BARIGELLI
DE HYDRONO
NATURA

67/1 F. III. 24.

M



IVLII CÆSARIS BARICELLI A S·MARCO

Doctoris Medici & Philoſophi de Hydronoſa Natura, ſiue ſudore humani corporis

LIBRI QVATVOR·

In quibus non ſolum de Origine, Differentijs & Præſagio: verum atq; de Vſu Apparatu, et Curatione ſudorum diſſeritur.

Opus varia lectione refertum, & cum ex Veterum, Neotericorumq; Medicorum decretis: tum ex longa, & accurata obſeruatione noua methodo eluceſcit.

Cum duplici Indice, vno quidem capitum, altero vero memorabilium, quæ in opere continentur.

Ad Illuſtriſſimum Dominū

D. HIERONYMVM CABANILIVM.

NEAPOLI apud Lazarum Scoriggium. 1614.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY


+ IVLIVS CAESAR BARICELLVS IN MEDICINA ET PHILOS. DOCTOR ÆTATIS ann. XL.
Felix Paduan' in.

ILLVSTRISS. DOMINO
D. HIERONYMO CABANILIO
IVLIVS CAESAR BARICELLVS felicitatem.

DIogenes ille Cynicus, Illuſtriſſime Domine Hieronyme (quo tempore Philippus Rex Macedonum, Corynthum inuaſurus, exercitum parabat infeſtum) populi ſollicitudinem maximè eſt admiratus: Siquidem Corinthij omnes animo perturbati, patriæ tutelæ nimia ſedulitate incumbebant. Proinde certatim, & emulatione horum aliquot arma, ac tela inſtaurabant; plurimi mœnia, muros, & turres renouabant: nonnulli lapides, & arenam portabant: nemo autem inter illos aderat, qui Regi belligero propugnacula parare non ſtuduiſſet Ipſe tamen, cùm nihil haberet operis, cui vacaret, pallio, & pera accinctus, dolium, in quo habitabat in Cranio, vltrò, citroq; voluere ingenti robore conatus eſt. Ex amico autem familiariter, cur hoc ageret interrogatus: Voluo, inquit, & ego dolium, ne ſolus inter tot laborantes ceſſare videar. Propemodum caſus in præſentiarum mihi contingit, quando non pauci ſunt ſcriptores, & perplures, qui typis opera mirifica, & in quolibet ſcientiarum genere perpolita documenta committunt: Inter quos, ne ipſe ſolus otiari videar vnà cum Diogene, meum aliquantiſper Baricellum

a *vol-*

voluere procuraui. At ijs potiſſimum, quæ in mea profeſſione Reipublicæ vtilia magis fore, & à me perfici poſſe cognoſcebã, vacare exiſtimaui. Quippe cum primis ipſe diſciplinis puerilibus incumberem, & aliorum ſcripta perlegerem, mirum in modum ad illorum ſtudia imitanda inflammabar, & operis aliquid illorum inſtar in lucẽ aliquandò me edere poſſe ſperabam. Cumq; ad Dialecticam, & Philoſophiam me contuliſſem, & poſtremò ad nunquam exhauſtos Medicinæ fontes, voluendo Galeni, & nonnullorum volumina, maiori illos imitandi exardebam deſiderio. Occaſio tandem orta eſt, vt in quodam Collegio, de ſudoris natura, vnà cum aliquot peritiſſimis Medicis verba facerem, ſiquidem nobilis infirmi curam habebamus, qui ex febre maligna correptus à primis ad vltimos morbi dies, ſudorem perpetuò paſſus eſt. Inde de eius cognitione, & ortu tractare decreui. Et ſic nactus otium inter ſtudia, & varios volitans libros, quædam ſignabam, quædam verò memoriæ mandabam, mecumq; animo opus aliquod compilare cogitabam, quo ſudorum naturam, & præſagia oſtendere valuiſſem. Profectò de ſudoribus inquiſitio tantæ vtilitatis eſſe exiſtimatur, vt ex ijs, iudicia naturæ, vires, & defectus in morbis poſſe manifeſtari credamus. Hoc autem nõ modò à Medicinæ profeſſoribus, verum atque à Philoſophis, & à cunctis ingenioſis maximopere expetitur. Cùm autem hoc appetenter perfeciſſem, licet lentè, cum lucubrationes meas in morborum obſeruationibus examinare ſemper conſtituiſſem: in ſtudioſorum vtilitatem prodere, & typis mandare, ne antiquæ, & curioſæ meæ cupiditati deeſſem in præſentia iudicaui. Protectore, vt moris eſt, indigebat opus: At non fuit mihi diù cogitare neceſſe, cui potiſſimum dicarem; confeſtim enim tua perſona Illuſtriſſima in meæ mentis acie apparuit, cuius humanitati tantum debeo, vt nullis officijs, nulla opera, induſtriaq; mea poſſe videar ſatisfacere. Porrò ex parentibus tuis multa mihi collata ſunt beneficia, ex te autem, pro tua benignitate, ſingulariq; fauore, maiora ſunt cumulata officia, adeò quod veluti ſarcina grauiori me obruiſti, et exploratum indies habeo, me à te plurimum fieri, et amari. Quapropter tantam tuorum in me meritorum magnitudinem eſſe video, vt eorum obliuio me nunquam capere, nec vlla quidem res abs te abducere poſſit. Te enim ſemper fautorem meum, & Mæcenatem eſſe cognoui: proinde tuis beneficijs, ſtudia mea, vires non paucas adepta fuiſſe videntur. Fateor ingenuè dum hæc ſcribere incœpiſſem, id mihi contingiſſe, quod viro illo opulento, & deformi (Galeni teſtimonio) traditur eueniſſe. Pulchrum hic peroptabat filium, verebatur tamen ne à ſua turpitudine

inqui-

inquinaretur. Quare in ſpatioſa tabella formoſum depingi puellulum, & diligenter ab vxore in congreſſu inſpici curauit. Peperit illa puerum non patri ſimilem, ſed picturæ, eo quod fixis oculis ad illam totum animum coniecerat. Idcirco partus hic noſter, tanquam huic conſimilis, quicquid boni habebit, ex te capiet, & tibi ſimilis iudicabitur, ſi tuo ſplendore illuſtrabis, & ſi maleuolorum inuidiam clariſſimo nomine tuo, tanquam inuictiſſimo propugnaculo confringes. Id efficias obnixè exoro: quippe Solem opus hoc haud aſpexiſſet, niſi lucis tuæ radius inuitaſſet. Duabus etiam de cauſis lucubrationes meas tibi dicare par erat, virtutum nimirum tuarum meritis, & Illuſtriſſimæ familiæ tuæ nobilitate, & excellentia. Tu quidem literarum ſtudijs, armorum, & equorum tractationibus adeò incubuiſti, vt veræ nobilitatis ſtemmata, te conſeruare confiteantur. Nobilitas enim, vt ex teipſo audiui, virtutum hæres, & partus dicitur. Nihil, vt reor, profectò eſt, quod magis nobiliſſimis perſonis, & humano generi conducat, quàm virtus ipſa. Hoc eximio, quo exornatus incedis virtutis decore, quaſi Magnes humanitatis me attraxiſti. Inſuper adeò claris ortus es natalibus, vt Illuſtriſſima familia tua Cabanilia antiquitate, & nobilitate in hoc Neapolis, nec in alio regno nullam habet, quam inuideat. Scriptores enim quamplurimi exiſtunt, antiqui, & neoterici è quibus tuorum maiorũ clariſſimum genus, ſplendores, dignitates, præclarè geſta, & diuitias partas colligimus. Propterea liceat mihi (pace tua) de hac nobiliſſima proſapia aliquantulum diſſerere. Ipſa quidem non ſolum in Neapolitano Regno claritudine conſpicua eſt, verum atque in Teraconenſi, & citeriori Hiſpania. Doctor Meneſcal in nobilium Hiſpaniæ citerioris hiſtoria, Cabaniliam, ſummo loco, nobiliſſimoq; genere adortam eſſe reſignauit. Huius credo Prouinciæ fuiſſe non vereor Raimundum illum Cabanilium, quem corrupto vocabulo de Cabanis appellabant Caroli Secundi Apuliæ Regis hoſpitij Seneſcallum. Hic cum Petro, Aragoniæ Rege è citeriori Hiſpania nauali copia anno 1282. ad Siciliam profectus, acquiſita Inſula, & collocata poſt eius obitum, Violante illius filia cum Ruberto Duce Calabriæ; in Caroli Secundi Regis hoſpitium euectus eſt. Huius opinionis eſt Scipio Ammiratus in lib. de familijs Illuſt. quod etiam ex Ioanne Boccatio in lib. de caſibus hominum Illuſtrium coniecturandum venit. Emerat Cabanilius ex quibuſdam piratis mancipium Maurum, cuius indoles cùm apprimè ſibi complacuiſſet, in Baptiſmo proprium nomen imponi voluit, & arma familiæ ei conceſſit. Tandem pro Rege ad bellum Raimundus profectus, manci-

pium culinæ Regiæ præfectum dereliquit. Seruus hic moriens, in templo Diuæ Claræ Neapoli ſepultus eſt, & in eius ſepultura Raimundi domini ſui celari inſignia procurauit. Inter alios ſcriptores Gaſpar Eſcolanus in Teraconenſis Hiſpaniæ apparatu, Cabaniliam familiam ex Citerioris Hiſpaniæ Prouincia, ad Teraconenſem cum Regibus oppugnandam euectam, ibiq; parta victoria, iſtius aliquot inſignes equites, & in militia claros commoratos fuiſſe recenſuit. Hinc inter Annales Valentiæ illius Regni Don Petrus de Cabaniglias primò Conſul Valentiæ annò 1366. poſtremò Gubernator factus eſt. Don Aloyſius Cabanilius anno 1467. Regis Ioannis Secundi, & ſucceſſiuè Ferdinandi Catholici eius filij Pincerna habitus eſt. Huic adeò fideliter obtemperauit, adeoq; ſtrenuè contra Gallos, & in bello contra Bethicam pugnauit, vt Rex ille Catholicus primò in Locumtenẽtem Gubernationis Valentiæ, deinde anno 1479. in Gubernatorem abſolutum Regni, & Ciuitatis elegerit. Ad hunc Magiſtratum Don Aloyſius eius filius anno 1503. euectus eſt. Don Hieronymus huius frater à Rege Aragonio anno 1511. ad Regem Galliæ Orator mittitur, vt Guicciardinus lib. 10. ſuæ hiſt. adnotauit. Anno verò 1521. fratri ſuo in Magiſtratu Gubernationis Regni, & Ciuitatis Valentiæ ſucceſſit. Hic Caroli Quinti Imperatoris, militum cuſtodiæ Præfectus anno 1550. pro Cæſare in bello contra Tunetes ſtrenuiſſimè pugnauit. Hic ſuis ſumptibus in Valentia Monaſterium Monacharum de Hieruſalem, & alia opera magnifica erexit. Eius filius Don Hieronymus, Principi Filippo in bello contra Flandriæ populos anno 1548. inſeruiuerat, mortuo autem patre, Gubernator etiam Regni Valentiæ effectus eſt. Conſeruatur hæc familia in illo Regno ingenuo ſplendore, maximaq; authoritate, & præter multas diuitias, Benizanum, Alginetem, & Bolbaytem poſſidet. Inter proceros familiæ viros, qui Valentiæ aderant, D. Garcia Gabanilius domi, & militia præclarus, cum Alfonſo Rege Aragonio nauali copia ad Liguriæ Corſicam oppugnãdam profectus, vt belli cauſam iuſtificaret, ad Martinum V. Pontificem Orator miſſus eſt. Dum autem Cabanilius ſuæ legationis votum obtinere nequiret, in Antonium Carrafam, quem Malitiam dicebant Reginæ Ioannis Secundæ inimicorũ tunc temporis armis exagitatæ, apud eundem Pontificem, Oratorem incidit: Ex quo poſt multa vltro, citroq; habita, ſuaſus eſt Cabanilius, vt Regem ſuum à Corſicæ oppugnatione abdicaret, & arma illa ad Reginæ Ioannis defenſionem, et vnà ſimul ad Neapolitani Regni liberationem dirigeret. Pollicebatur Malitia Re-

gem

gem Alfonſum in filium, vt Regina reciperet, & hæredem inſtitueret ſe effecturum. Regni Neapolitani nobilitatem, delicias, & magnificentiam extollebat. Quo factum eſt, vt Garcia non modò Malitiam ad Regem introduceret, verum atque auxilia impetraret, quemadmodum vtrumque ſucceſſit. Regina autem poſt ſui, & Regni liberationem, ſicut erat animo inconſtans, ita adoptionem reuocare auſa eſt. Mortua tamen, in Regni recuperatione adeò profecit D. Garcia, vt facilè intelligi potuit, victoriæ finem, & veram fuiſſe originem, eo quia dum turma equeſtrium militum, quibus erat Præfectus, vt huc, illuc excurreret, in Montefuſcolo eſſet conſtitutus: Beneuentum primò, deinde totam Prouinciam adeptus, fęlici victoriæ aditum procurauit. In alijs geſtis ita ſtrenuè perſeuerauit Garcia, vt Rex ille & in paranda pace, & militia facienda eius opera perpetuò vſus fuerit. Proinde anno 1447. ad Nicolaum V. Pontificem Oratorem deſtinauit. Præmeditans autem Rex, Garciæ merita, & in Regiam Coronam ſeruitia, Troiæ Comitem creauit, & multis alijs oppidis coboneſtauit. Vt autem familiam in hoc Regno D. Garcia inſtitueret Troiani Melfiæ Principis, & Mariæ Caldoræ filiam, Iuliam Caracciolam in coniugem accepit. Poſtremò cum alijs Ducibus ſtrenuis apud Ferdinandum Sereniſſimi Regis filium, ad bellum contra Florentinos profectus, ibi poſt æternæ memoriæ geſta pugnando obijt. D. Didacus eius filius Regi Ferdinando in omnibus factionibus fideliter, & ſtrenuè inſeruiuit. Hinc propter inſignes eius virtutes, & maxima eius merita adeò mirificè à Rege dilectus eſt, vt dum contra Turcas Hydrunti militiam faceret, Margaritam Orſinam Ducis Grauinæ ſororem, anno 1477. eius nomine deſponſaret. Quo tempore inter alia munera Didaco à Rege collata, Comitem Montellæ, & multorum oppidorum dominum creatum fuiſſe legimus. Didacus autem poſt præclara contra Turcas facinora in pugna pro Rege ſuo occubuit. D. Troianus huius filius, Troiæ, & Montellæ Comes, ſuorum maiorum veſtigia proſequutus tandiu Leutrecci impetum ſuſtinuit, vt Cæſaris milites ſuperuenire valuerint. In conflictu tamen dum inter primos Duces ſtrenuè pugnaret, vitam cum morte cõmutauit. D. Garcia autem eius filius, dum turma militum, quibus erat Præfectus, inimicum explorare tentaſſet, militari gloria interijt. D. Ioannes prædicti Comitis filius, à maiorum ſuorũ virtute minimè deflectens in bello Patraſſi, Tribunus militum, Regale vexillum primus cum D. Andronico fratre ſuo ſupra muros ſituauit, & erexit. Sed omittamus tot alios huius familiæ viros proceros, quos & rebus familiaribus, & ſanguine

pro-

proprio Regibus noſtrîs inſeruiuiſſe exploratum habemus. Don Cæſaris proaui tui, Comitis etiam Troiæ, & Montellæ filij, claram inſequamur memoriam. Hic parentum, & maiorum ſuorum geſtorum minimè oblitus, in bello Ducis Albaniæ, Fruſinonis, Leutrecci, & in multis alijs factionibus, Limitaneis militibus, quos habebat adeò pro Cæſare profecit, vt in partem beneficiorum anno 1528. oppidis Sancti Marci, & Sancti Georgij, Imperialis Maieſtas eum decorauerit. D. Marcellus auus tuus ab animo, & magnificentia tantorum virorum non degenerans, in bello apud Truentum proprijs ſumptibus pro Rege ſuo pugnauit. D. Didacus autem frater ſuus in bello Pedemontano, vbi inimicorum vires exploraſſet, in pugna ſuccubuit. Propterea ex tot benemeritis Sereniſſimus Rex noſter commotus, Marchionem Sācti Marci auum tuum, & D. Petrum auunculum tuum, Equitem Sancti Iacobi reſignauit. Ex Marchione auo D. Ferdinandus, & D. Franciſcus pater tuus nati ſunt, quorum virtutes, & animi dotes, nemo eſt, qui exploratas nō habeat. Sed quid de te loquar, Illuſtriſſime Don Hieronyme? Tu quidem maiorum tuorum nobilitatem, & prudentiam verè es conſequutus: propterea virtutum inſignia tibi eſſe grata ſemper animaduerto. Tu quidem magna animi ſolertia equorum, & armorum tractationibus, & rei familiaris, & bonarum literarum tempus tam aptè diſpenſas, vt familiæ tuæ ſplendoris, & dignitatis plurimum te adieciſſe omnes confiteantur. Ego profectò dum te diſſerentem audio, tui ingenij præſtantiam maximè admiror. Tu enim in Mathematicis, Philoſophicis, & Politicis diſciplinis admodum profeciſti, & in Aſtronomica, & variarum hiſtoriarum lectione quàm maximè delectaris; quare in libranda virtutum tuarum magnitudine, laudibus tuis haud par mihi datur ingenium. Ignoſcas, deprecor, ſi tuarum aurium modeſtiam, quoquo pacto offendere videor. Sed quid de Don Michaele fratre tuo dicam, ſi in hoc bonarum diſciplinarum dotes inſimul eſſe collectas aſpicio? Porrò tantum cultus, & nitoris ineſt ſuæ linguæ, vt ab incredibili verborum ſuauitate, non eſt qui non attrahatur. Quid de Don Aloyſio, cuius indoles talis eſt, vt heroichum animum ſuum omnes faueant, & venerentur? Quid tandem de Don Marcello tertio Marchione Sācti Marci, qui licèt mala corporis habitudine affligatur, omnibus tamen ſua humanitas cognita, & explorata exiſtit? Sed quid laboro, ſi tuæ proſapiæ celſitudo toto ferè orbe terrarum reſplendit: ſiquidem plurimi ſunt ſcriptores, qui de præclarè geſtis, ſplendore, rebus bellicis, & virtutum maiorum tuorum amplitudine loquuti ſunt.

Quæ

Quæ omnia ſi exprimere conarer, vtique mihi anni deficerent. Accipe igitur, Illuſtriſſime Domine Hieronyme, ea, qua ſoles humanitate, & benignitate a ſeruis tuis aliquid recipere, qualecunq; ſit hoc munuſculum: tibiq; perſuadeas in beneuolorum muneribus non eſſe ſpectandum rei miſſæ precium, ſed mittentis potius animum, vt Xerſes ille aquam manibus hauſtam à ruſtico libenter accepit. Quod ſi videro has mei ingenij primitias, æquè gratas tibi fuiſſe, atque ſtudioſè offero, vtique ad alia limatiora edenda, & nomini tuo clariſſimo dicanda prouocabor. Interim me tibi deditiſſimum benigno fauore proſequere, & ab inuidorum calumnijs vindicato. Vale Mœcenas; vale decus meum, Deumq; Optimum Maximum deprecor, vt vnà cum integerrima, & prudentiſſima Domina D. Liuia Cabanilia vxore tua, incœpta ſecundet. A Sancto Marco Calen. Maij, M. DC. XIV.

FRANCISCI DE PETRIS

Iuriſconſ. Clariſsimi.

SVdoris ſudore ſophi penetralia pandunt,
Alter naturæ eſt, alter & artis opus:
Maius at artis opus properant oſtendere; quid ni?
Naturam ars cohibet, ſubleuat; exuperat.

AD LECTOREM

In laudem Libri de Sudore, eruditiſſimi D. Iulij Cæſaris Baricelli Philoſophi, & Medici excellentiſſimi Hexaſtichon,

D. ABB. ANTONII RAGVCII

Canonici, & Auditoris Beneuenti.

ESt operi Sudor titulus, ſudore legendum;
Nam docet à priſcis non memorata viris.
Aurea multiplicis doctrinæ dogmata monſtrat,
Vt meritò authorem ſecla futura canant.
Quàm Medicina viro, totus, quàm debeat orbis;
Ingenij faciunt, hæc manifeſta ſui.

IV-

IVLIO CAESARI BARICELLO
Philoſopho eminentiſſimo auctori,

PROSPERI ANTONII ZIZZÆ
Academici Otioſi Neap. Elegia.

QValis ab humano promanet corpore ſudor
Salſaq; ſudantes perluat vnda genas.
Aut vbi prærupti ſuperamus culmiua montis
Aut vbi nos æſtas Solis adurit ope,
Seu cum letbiferis curantes corpora morbis
Sudamus calidis, balnea propter, aquis.
BARICELLE, refers, patriæ lux aurea gentis,
Maxime, morbiferas pellere docte lues.
Iam tuus æquoreos auſus tentare tumultus
Colla audax ſudans fumida tollit equus.
Seſſoremq; nouo vehit ad Capitolia curru
Cingat vt inſignes laurea docta comas.
Mam neque Pyerides tantum Peneide fronde
Fecere Aonio ſerta decora gregi,
Sed Medicis meritas largitur Apollo coronas,
Qui primus Medicæ dicitur auctor opis.
Quodue virtutis multo ſudore paraſti
Mille per ambages ingenioſe viam.
Nec te præcipitis tenuere pericula cliui
Tardaruntue tuos aſpera ſaxa pedes.
Sed iuga magnanimo ſuperans excelſa labore
Viciſti, & durum gloria adiuit iter.
Ah quoties media ſudabas nocte, vigeret
Nomen vt in longa poſteritate tuum.
Iam nouus Hippocrates toto celebraberis orbe,
Aeternaq; tuum ſorte canetur opus.
Nec Mauſolæi monumenta æterna ſepulcbri
Inuideas, Pariјs marmora cæſa iugis.
Sæpius antiquos exedit tempus honores
Alta nec Auguſti ſtant monumenta ducis.
At tua te virtus, tua terris didita fama
Euehet, extremam non aditura diem.

Qualia fragrant; ſudant ope balſama nardo
Et lita perpetuis myrrha cadaueribus.
Qualia & Heliades ſudant electra ſorores
Sæpius Auſoniæ quæ cupiere nurus,
Qualis odoratis Iouis quoque ſudor in herbis
Qui dedit inſperſo rore rubere roſas,
Tale tuum famæ monumentum inſignis olebit,
Aeternuſq; tuo nomine ſudor erit.
Virtutis tamen interea ſudore fruemur,
CAESAR & æternum concelebremus opus.

Eiuſdem Zizzæ carmen ad Librum.

VAde age culte liber fines viſure remotos
Nec horreas nouas plagas.
Te leget Auſonius, releget te Gallus, & Indus
Nomen ferentem CAESARIS.
Et ſi quis fœdo mordebit Zoilus ore,
Linguaq; olenti Mæuius.
Ne paueas, hinc maior honos tribuetur Iulo,
Rumpetur & tandem inuidus.
Vade age, ſunt Muſæ comites, eſt dexter Apollo,
Qui te tuetur, & regit.

IVLIO CAESARI BARICELLO
Philoſopho, & Medico peritiſſimo.

HIERONYMVS THOMASIVS,
Art. Medicinæ, ſacræq; Theologiæ Doctoris, &
Comitis Palatini epigramma.

BARICELLE tuo montis ſudore cacumen
Virtutum aſcendis; & ſuper aſtra volas.
Magnum iter aſcendis: ſed dat tibi gloria vires,
Et capite exornat parta corona tuorum.
Gloria quæ ſæui contemnit ſpicula fati,
Gloria quæ diræ non timet arma necis.
Diſcite ſudorem iuuenes: ſudore paratur
Virtus, & æterni gaudia vera boni.
Diſcite ſudorem Medici, & ſudore ſalutis
Præſaga noſcuntur ſigna futura necis.

IVLIVS ROSSVS BENEVENTANVS
in Chirurgia, & Medicina Doctor,

IVLIO CÆSARI BARICELLO
Doctori eruditiſſimo S.

DVm cauſas calamo ſudoris Apollinis arte
Dulce canis, cithara, docta Thalia ſonat.
Abdita doctorum luſtras in corporis vnda,
Et ſalubres, ægris fert Baricellus aquas.
Tu ſudare doces, madidos tu comprimis artus,
Et medicas pariter ſedulò fundis opes.

IOANNES SYLVIVS DE BELLIS
à Sanɛto Marco

*IVLIO CAESARI BARICELLO
in Medic. & Philoſ. Doɛtori eximio S.*

MIrificè gaudeo, doɛtiſſime Iuli, Typographis opus illud de Sudore cõmiſſiſſe, quod aliàs renuiſti; ſperoq; propediem alia opera, quæ præ manibus habes, typis etiam ad publicam ſtudioſorum vtilitatem eſſe daturum, quod etiam, atque etiam exoro, ne labores tot, & vigiliæ, quas in ſtudijs ſubſtinuiſti, ſub ſilentio pertranſeant. Vale, tibiq; perſuadeas nil mihi cariùs, dulciùſq; ſuccedere poſſe, quàm à te viro integerrimo adamari. Sanɛti Marci.

IN-

INDEX CAPITVM QVATVOR Librorum de hydronoſa natura.

Capita primi Libri.

INueſtigatur ſudoris definitio ex veterum, & neotericorũ monumẽtis, & vltimò ponitur opinio propria. cap.1. fol.1
De ſudoris ortu, & eius materia. cap.2. 27
De ſudorum cauſis vniuerſalibus. cap.3. 40
De ſudorum diuiſione. cap.4. 58

Capita ſecundi Libri.

PRoponuntur generales ſudorum differentiæ. cap.1. 75
De ſudoribus à ſubſtantia deſumptis. cap.2. 77
De ſudore craſſo. cap.3. ibid.
De ſudore tenui. cap.4. 83
De ſudoribus à quantitate deſumptis. cap.5. 89
De ſudore multo. cap.6. ibid.
De ſudore pauco. cap.7. 106
De ſudoribus à qualitate deſumptis. cap.8. 116
De ſudoribus tangibilibus, & primò de calidis. cap.9. 119
De ſudore frigido. cap.10. 126
De ſudoribus à colore perceptis. cap.11. 146
De ſudoribus à guſtu perceptis. cap.12. 161
De ſudoribus ab odoratu perceptis. cap.13. 171
Sudores ſonori, & ſilentes. cap.14. 181
Sudores ex habitu deſumpti. cap. 15. 183
Sudores ex relatione conſiderati. cap.16. ibid.
De ſudoribus à tempore cœptis. cap.17. 184
De ſudore diurno. cap.18. 185
Sudores nocturni. cap.19. 186
Sudores matutini, meridiales, & veſpertini. cap.20. 189
Sudores circa anni tempora, & primò vernales. cap.21. 192
Sudor æſtiui. cap.22. 195
Sudores autumnales. cap.23. 199
Sudores hyemales. cap.24. 201
Sudores ante cibum. cap.25. 203
De ſudore à cibo. cap.26. 206
De ſudoribus à potu. cap.27. 209
De ſudore in motu, exercitatione, labore, curſu, palæſtra, & coitu. cap.28. 211
Sudores poſt motum. cap.29. 217
De ſudore à balneo, Sole, & laconicis. cap.30. 218
De morborum temporibus. cap. 31. 220
Sudores in morbi principio. cap. 32. 225

Sudo-

Sudores in augmēto morborum. cap.33. 236
Sudores in morborum conſiſtentia. cap.34. 248
Sudores in morborum declinatione. cap.35. 268
De ſudoribus à ſitu perceptis. cap.36. 272
An ſudores agant, an patiantur. cap.37. 276

Capita tertij Libri.

TRactatio de ſudorum præſagijs. cap.1. 279
De ſudoribus criticis. cap.2. 284
De ſudoribus ſymptomaticis, diaphoreticis, & epidemicis. cap. 3. 304
De ſudoribus retentis. cap.4. 339
De morbis, qui ſudoribus terminantur. cap.5. 346
De ſignis futurarum criſium per ſudores. cap.6. 535

Capita quarti Libri.

De ſudorum vſu. cap.1. 358
De ſudorum apparatu. cap. 2. 362
De generali ſudorum curatione. cap.3. 411

F I N I S.

AV-

AVCTORES, QVORVM TESTIMONIA in hoc opere citantur.

Aetius.
Aelianus.
Albertus Magnus.
Altimarus.
Alexander Maſſaria.
Albaharim.
Alexius Pedemontanus.
Ammiratus.
Amatus Luſitanus.
Antonius Mirandulanus.
Andreas Libauius.
Andernacus.
Antigonus.
Andreas Baccius.
Andreas Lacuna.
Antonius Sneeberger.
Antonius Chalmeteus.
Apuleius.
Ariſtoteles.
Arnaldus Villanoua.
Atheneus.
B. Auguſtinus.
Auerroes.
Auicenna.
D. Baſilius.
Bartholomeus Anglicus.
Bartholomeus Medina.
Card. Baronius.
Bartholomeus Sybilla.
Bartholomeus Mōtagnana.
Berardinus Hordonius.
Beniuenius.
Beda.
Braſauola.
Campeſius.
Cicero.
Clearchus.
Conciliator.
Cornelius Celſus.
Cornelius Tacitus.
Demetrius Phalereus.
Diocles.
Didacus de la Vega.
Dioſcorides.
Dionyſius.
Diodorus.
Doctor Meneſcal.
Donatus Sanctorus.
Empedocles.
Epiphanius Ferdinandus.
Fallopius.
Ferdinandus Loffredus.
Fernelius.
Franciſcus Alphanus.
Franciſcus Lombardus.
Ferdinandus Caſſanus.
Franciſcus Valleriola.
Franciſcus Thomaſius.
Franciſcus Titelmannus.
Fracaſtorius.
Gaſpar Eſcolanus.
Galenus.
Gemma Coſmocrit.
Georgius Agricola.
Georgius Agricola.
Gregorius Niſſenus.
Haly.
Herodotus.
Herophilus.
Heraclitus.
Hercules Saxonia.
Hippocrates.
Hieronymus Capiuaccius.
Hieronymus Cardanus.
Hieronymus Mercurialis.
D. Hilarius.
Higinius.
Horatius.
Honufrius Panuinus.
Hollerius.
Horatius Augenius.
Iacobus Philippus.
Iacobus Fontanus.
Iacobus Vuecherus.
Ioannes Marinellus.
Ioannes Schenkius.
Ioannes Brauus.
Ioannes Hucherus.
Ioannes de Vito.
Ioannes Heurnius.
Ioannes Tyengius.
Ioachimus Forcius.
Ioſephus Pomius.
Ioſephus ſcientia.
Ioannes Boccatius.
Ioannes Baptiſta Porta.
Iuuenalis.
Ingraſſia.
Iulius Iaſolinus.
Iulius Capaccius.
Laertius.
Laurentius Scholzius.
Leonardus Iacchinus.
Leonarthus Fuchſius.
Liuinus Sandeſius.
Lelius à Fonte.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Buccaferreus.
Ludouicus Cæl. Rodiginus.
Marcellus Empiricus.
Martialis.
Martinus Delrius.
Mambrinus Roſſeus.
Marcus Zimara.
Manardus.
Marcellus Donatus.
Mengus Fauentinus.
Meletius.
Michael Paſchalius.
Monardes.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Monardes.
Ouidius.
Paulus Aegineta.
Paulus Iuriſconſultus.
Petrus Paulus Perreda.
Petrus Foreſtus.
Perſius.
Ptolomeus.

Petrus

Petrus Bayrus.
Petrus Salius.
Pontanus.
Petronius.
Petrus de Oſma.
Petrus Matthiolus.
Petrus Seuerinus Danus.
Philoſtratus.
Paſqual Caracciolus.
Polidorus Virgilius.
Paulus Simoneta.
Pomponatius.
Paulus Tucca.
Plinius.
Plutarchus.
Plato.
Plautus.
Proſper Alpinus.
Pythagora.
Quintus Serenus.
Quercetanus.
Raſis.
Rodericus à Fonſeca.
Rondoletius.
Salamon Albertus.
Sauanarola.
Sidonius.
Sanctor. Sanctorius.
Seneca.
Seruius.
Strabo.
Suidas.
Stephanus Athenienſis.
Sebaſtianus Medices.
Tagaultius.
Teophraſtus Græcus.
Teophraſtus Paracelſus.
Themiſtius.
Titus Liuius.
Thomas Tomaius.
Thomas Garzonius.
Theodorus Priſcianus.
Theodorus Guainerius.
Valleſius.
Victorius Trincauellus.
Vidus Vidius ſenior.
Vgolinus.
Vitruuius.
Virgilius.
Ziſiriel Thomas Bouius.

IVLII

IVLII CAESARIS BARICELLI A SANCTO MARCO

DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI,

De hydronoſa natura, ſiue de ſudore humani corporis.

LIBER PRIMVS.

Inueſtigatur ſudoris definitio, ex veterum, & Neotericorum monumentis, & vltimò ponitur opinio propria. Cap. I.

SOlertiſſima natura, animalium corpora, cutim induere voluit; vt ipſa veluti tegumẽtum circumpoſita carnes, & membra defenderet: ſeu partes vnitas contineret, quemadmodum Hippocrates in libro de oſſib. aſſerere videtur. Hæc, Galeni teſtimonio 1. ſimplic. med. facult. 12. in primo ſtatim ortu omnis, ſibi continua eſt, temporis autẽ ſpatio perforatur, ac in ea plurima nanciſcuntur ſpiramenta ritu cribrorum. Par erat pro vitæ ſubſidio ſpiracula in ea adaptare; vt ſi qua in corporibus contingeret fieri excrementa: per illa poſſent expurgari, & expelli. Hinc

natura tanquam prouida ad ſuperfluitatum, quæ continuò in corpore oriuntur remedium, quia hæ vel vaporoſæ, & ſubtiles, vel limoſæ, craſſæ, atque ſolidiores ſunt; duplicia, texuit ſpiramenta, quorum aliqua noſtris, eſſent manifeſta ſenſibus, vti ſunt oculi, nares, aures, os, aluus, & veſſica: alia verò occulta exiſterent. Hæc ſunt, cutis foramina, pori dicti, per quos fuliginoſi vapores educuntur, difflationes, & tranſpirationes fiunt, & ſudores erumpunt. Hoc cutis officium eſt, quo factum arbitror, vt ſuperfluitatis receptaculum à Gal. in lib. de cauſ. morbor. vocaretur. Hac etiam ratione, ſummus ille Philoſophiæ pater in Timæo, naſſulæ piſcatoriæ, cutim aſſimilare ſtuduit, cum aliam actionem, præter humorum inutilium receptionem, nullam habere vtilem videamus. Nos omiſſis ſolidioribus excrementis, ac ijs, quæ per manifeſta, exeunt foramina; de illis ſcribere intendimus, quæ per cœca, & occulta oculis noſtris, ſpiracula educuntur: non autem de omnibus, cùm noſtrum fuerit inſtitutum, de humano tantùm ſudore differere, illumq; pro materia in ſcriptis noſtris recipere.

Spiracula cutis, quæ foramina, meatus, & pori dicuntur in lib. de vtilit. reſpirat. inter Galeno attributos, eſſe venas ſubtiliſſimas ſcribitur, quæ à craſſis venis procedant. Galenus verò 1. de ſanit. tuen. 12. poros cutis vocauit exiguos meatus; quorum nõ modò corpus vniuerſum, ſed tota cùtis plena eſt. Fabricauit enim illam natura inſtar cribelli perforatam, vt vaporaſarum ſubſtantiarum fieret tranſpiratio, & ſuperfluitatum interiorum membrorum eductio. De qua re vide Gal. 2. de temperam. 5. in lib. de anatom. adminiſtr. Amatum Luſitanum centur. 4. curat. vltima de homine excoriato, ſiue Oribaſium in Aphor.

Vt autem de ſudore ordinatim ſcribamus, inuocato diuino numine. Primò notitiam quid nominis afferemus; ea enim eſt principium, & origo omnis noſtræ cognitionis: ita afferuit dilucidiſſimus Themiſtius 1. Poſter. 1. Secundò notitiam quid rei, de eo explicabimus; & pedetentim ad eius generationem, cauſas, diuiſiones, differentias, vſum, præſagium, & curationem accedemus. Atque eo libentius onus hoc (licet impar viribus noſtris) capere voluimus, nam legeramus in Gal. 10. ſimplic. medic. facult. cap. de ſudore, vbi hęc afferuntur. Verùm de vrina plus etiam, quàm cõueniat, Medici ſcripſerunt: propterea nimirum, quod largè ea in omnibus hominibus

ſibus tum priuatim, tum publicè quotidiè colligatur. At de ſudoribus, aut nihil, aut quę curioſa ſint potius, & pręſtigiaturæ obnoxia, & inſuper ſcripſerũt alij ſuperuacanea, quę per aliam fieri poſſent materiam medicam. Qua occaſione impulſus ad ea ſcribendum, quæ poſteritati prodeſſe cogitaram, nactus mecum ipſo, paucos de ſudore Medicos ſcripta propalaſſe; quando nonnullis collectis, vt huiuſmodi negotium inſtituerem, reperi, quamplurimos ſapientiſſimos viros, ſudorificam tractaſſe materiam, atque præter meam expectationem, multo plura in medium attuliſſe, quàm ipſe credere potuiſſem. Confuſus dicebam cum Ouidio in ſuis epiſtolis.

Xanthe retro propera, retroq; recurrite lymphæ.

At perpendens quãto difficilius aſſumerem onus, tanto maiorem, ex meis laboribus vtilitatem poſteros conſequuturos, nullis volui parcere vigilijs, nullis impenſis, totum me huic tradidi deſiderio, vt finem adipiſcerer. Ratum mihi erat homines hac lege natos, vt eam viuendi inſtituant rationẽ, qua & alijs, & ſibi prodeſſe poſſint. Huiuſmodi calcaribus ſudorum naturam explanare elaborauimus. Si autem de ea adeò eleganter, & ſapienter, quemadmodum negotium requireret, haud ſcripſimus, nemo nos inſcitiæ poterit incuſare, ſi Galeno fidem pręſtare volumus; ſatis erit in illorum nos eſſe numero, qui de ſudoribus pauca tantùm adnotarunt. Hoc porrò profeſſi fuimus, opus noſtrum vtcunque ſit, non minus rei veritati conſonum fore, quàm ſelectioribus auctorum ſcriptis accommodatum. Cętera lector iudicabit.

Quantum ad notitiam quid nominis, ſciendum volumus, excrementum, quod è cute excernitur, quemadmodũ ex Gal. 1. de ſanit. tuend. 12. atque alijs auctoribus colligitur, iſta nomina ſortiri, halitus, trãſpiratio, perſpiratio, perflatus, difflatio, ſudor gręcè hydros, & pilus. Ex quibus ex inſtituto de ſudore tantùm diſputabimus. Hoc erit excremẽtum humoroſum à calore ſolutum, & per cutim corporis extruſum. Quippè ſudare eos dicimus, qui humorem actu humidum per cutis foramina excernunt, ad differentiam perſpirationum, quæ ex eiſdem inſenſibiliter euaporant. Sit hæc larga ſudoris lineatio, ſeu inſcriptio pro confuſa, & vniuerſali doctrina; reſtat modò ad notitiam quid rei, & ad magis certam deuenire; nõ enim cognitio quid nominis, ad quamlibet negotij veritatem ſufficit perſcrutandam. Ideo vt ad eam me accingam, non erit à propo-

ſito alienum, aliorum opiniones, qui de ſudoris eſſentia, & generatione ſcripſerunt, recenſere. Capimus ordinem hunc ab Ariſt. qui in omnibus ſuis libris, vt ſummus Philoſophus, priuſquã ſuam aperiret ſententiam, antiquorum opiniones recitabat; arguebat cùm opus erat; fundamenta illorum, cùm nõ erant conſona, euertebat, & vltimò ſuam adducebat. Ita lucidior fiebat perſcrutatio, & res obſcuræ reddebantur apertæ, ambiguæ, claræ, & indubitatę: iuxta quem ſenſum ipſemet 1. Metaph. 48. conſtituit ex prioribus, & notioribus procedere diffinitiones. Doctrina hæc in tractatu de principijs naturalibus, motu, loco, vacuo, tempore, anima, cęlo, & alijs generabilibus, & corruptibilibus clariſſimè manifeſtatur.

Inter ſcriptores magni nominis, qui viam Ariſt. in ſuis operibus inſequuti ſunt, eſt Hieronymus Mercurialis, qui in ſuo de ſudoribus tractatu hunc ordinem habere voluit. In hac parte hunc imitabor, ne videar ab Ariſt. doctrina deflectere. At hic inuidus Zoilus ſtatim murmurabit, Mercurialis ſcripta me collegiſſe, ſeu aliorum lucubrationes typis mandaſſe. Equidem duo ſunt, quæ reformidamus in ſcriptis noſtris, inuidiam ſapientium, & ruditatem hominũ. Rudes enim proteruè vituperare ſolent, quæ deſperant ſe poſſe conſequi (vtar verbis *Valleſij* lib. 5. ſuarum controuer.) Ingenioſi verò inuidia tentantur: hinc rudium opinioni malignè fauere conantur. Idcirco ſciant talis farinæ homines, me ſolum in ſtudioſorum gratiam, qui verè literarum amatores ſunt, hos labores ſuſcepiſſe. Hos cupio eſſe meos iudices, cæteros enim vel ruditate, vel inuidia ſuſpectos in iudicãdo exiſtimo. Inuidi ergo, & rudes procul abſint, niſi etenim veritatis acceperint clypeum, & beneuolentiæ, nec quidem ſcripta noſtra olfacere poterunt.

Empedocles Athenienſis Philoſophus, qui floruit tempore Artaxerſis, Sudorem, ex quatuor elementis conſtare, & ex ſanguine attenuato, & eliquato manare aſſeruit. Legitur hoc in lib. de hiſtoria philoſophica, ſiue auctoritas ſit Galeni, ſiue Plutarchi, cui multi attribuunt. Quæ opinio licèt ſit antiquiſſima, & perinde alicuius dignitatis: tamen à Hieronymo Mercuriali viro doctiſſimo in ſuo de ſudore, tribus rationibus confutatur. Primò, quia ſi verũm eſſet, ſudorem fieri ex ſanguine, ſequeretur, qui plurimum ſudat, plurimũ emaciari; nam ſanguis eſt humor, quo corpora noſtra nutriuntur. Secundò, ſequeretur, ſudorem ipſum vel rubeum eſſe, vel ru-

beo

beo proximum. Vltimò ſequeretur, qui plurimum ſudāt, perpetuò animis concidere; ratio eſt, vt ait ipſe Mercurialis, quia plurimo diffuſo, & extenuato ſanguine, neceſſariò plurimos ſpiritus conſumi, & conſequenter vires animi etiam conſumi, & deperdi.

Qui benè recolit mentem Mercurialis, facillimè tenuiſſe percipiet, Sudorem eſſe ſanguinis excretionē, Empedoclem credidiſſe; quod ſi ſic eſſet, meritò veniret incuſandus Philoſophus ille. Diffinitio enim vera illa eſſe debet, quæ omnibus conueniat ſpeciebus ſub ſe contentis rei diffinitæ, vt Auerroes 4. Phyſ. comm. 42. diſputauit; modò hæc diffinitio, ex mente Mercurialis, vni tantùm competeret ſudoris ſpeciei, ergo non vera, nec vniuerſalis, ſed particularis eſſet diffinitio. Attamen ſi verba Empedoclis attendimus, ſudorem ab illo diffinitum, noſcimus non eſſe ſanguinis excretionē, ſed manare à ſanguine attenuato, & eliquato, quod eſt admodum diuerſum a Mercurialis propoſito. Propterea videamus, quomodo dicatur ſanguis attenuatus, & eliquatus, & quomodo ab illo ſecundùm naturam ſudor innaſci poſſit, ad hoc, vt tanti Philoſophi mentem penetremus.

Profectò ſanguis duplici via poteſt attenuari, ſiue eliquari, vel ſecundum naturam, vel præter naturam. Secundum naturam, præter alias cauſas, à ſeroſo, & aquoſo humore, qui à potus, cibiq; humiditate redundat; & qui ſudorum ſecundum naturam vera materia eſt, attenuatur. Hoc humorum ſero à natura præſtitum eſt officium, vt inter cætera munera ſanguinariam maſſam ſua humiditate attenuare, eliquare, & emollire habeat, per vias anguſtas, vt illa penetrare poſſit ad nutriendum animal. Cùm autem ſanguis ſeroſa hac humiditate priuatur, incraſſatus, & non attenuatus dicitur: quemadmodum lac, quod coagulatur, ſerò videlicet, tenui ſeorſum ſegregato, vt Gal. 5. ſimpl. med. facult. 13. quo loco benè demōſtrauit diureticorum vſu, ſanguinem non attenuari, ſed incraſſari potius, euacuato per diuretica ſeroſo humore, qui illum tenuem, & liquidiorem reddebat. Pręter naturam verò attenuatur, & eliquatur à calore valido, alijſq; cauſis morbificis.

His ſtantibus, facilè eſt Empedoclis mentem penetrare; ſudorem nimirum manare à ſanguine attenuato, & eliquato, hoc eſt tunc poſſe fieri ſudorem, cum ſanguis attenuatus, & eliquatus ſecūdum naturam reperitur. Si etenim ſanguis ſeri defectu, quaſi coagulo incraſſatus

craſſatus maneret, vtique ſudor ſecundum naturam haud daretur: ſed tantum prẹter naturam, quod eſt contra omnes, qui de ſudoris natura tractauerunt, & cõtra eundem Mercurialem, qui ſudorem ſecundum naturam in ſuo libello diffiniuit. Hæc fuit genuina iſtius Philoſophi opinio, vt puto, moueorq; ab huius rei argumẽto, quod in ſudore ſanguineo nõ competat hoc vocabulum attenuatio, nam licèt ſudor ille à ſanguine procedat liquidiſsimo, nõ per hoc ſequitur, quod fuerit prius attenuatus: ſed quia ex debilitate caloris natiui ſereſcit, & mutatur à ſubſtantia, & qualitate propria, vt in cap. proprio dicemus. Quando autem attenuatio, & eliquatio ſuccedit in ſanguine, vel fiat ſecundum naturam à calore natiuo, & feroſa humiditate, vel præter naturam à calore febrili, & cauſis morbificis, vtique ſi ſudores accidunt nunquam rubei, vel rubeo proximi, vt malè Mercurialis opinatus eſt, erumpunt, ſed ſemper alterius coloris à ſanguine, & quod hoc ſit verum, clariſſimè patet in febribus colliquatiuis, & peſtilentibus, vbi ſanguis, adipes, pinguedines, & membra colliquantur, & ſæpe in ſudores abeunt; nec perinde illi rubei, & ſanguinei ſunt. Itaque concludendum iure exiſtimo Empedoclem benè, & ſapienter dixiſſe, Sudorem fieri ex ſanguine attenuato, & eliquato, cum ex narratis pateat, demonſtrare voluiſſe, ſudores tunc fieri cum in ſanguine accidit attenuatio, & eliquatio, qua poſitione complexus videtur tam ſecundum naturam, quàm præter naturam ſudorum eſſentiam; licèt quodammodo obſcuro loquutus ſit, prout illa ferebat ætas.

Sed quia Mercurialis, vel alter eius aſſecla hoc meum ſcrutiniũ in Empedoclis dictis, potius ſub coniectura, & figmentis, quam ratione firmari diceret; propterea illud mihi placuit corroborare cũ medicinę patrono magno Hippocrate, qui in lib. de flatibus loquẽdo de ſudore critico, & iudicatorio dixit fieri à ſanguine eliquato, & attenuato. Verba ſunt hæc. Liquefit ergo quicquid ille in cauis attingit. Et in alijs contextibus. Liquefit ergo quicquid ignea vis attingerit. Confirmauit hoc etiam in lib. de morbis ante finem, quo ſenſu etiam Galen. 3. Aphor. 6. dixit, in morborum criſibus, multos fieri ſudores, dum tota ſimul, & confertim humiditas excernitur. Neceſſe erat vt prius maſſa ſanguinis eliquaretur, & humeſceret. Quapropter Mercurialis ex eo, quod malè accepit attenuationẽ, non intellexit Empedoclis mentem. Omnes enim ſudores, vt vidimus,

mus, tam ſecundum naturam, quàm præter naturam, qui à maſſa ſanguinis, & humorum extenuata, & eliquata procedunt, nullatenus ſanguinei ſunt: ſecus ij, qui à fereſcente ſanguine erumpunt. Hæc ſint pro optima opinione Empedoclis, in præſentiarum dicta; inferius tamen clariora fient.

Hippocrates Cous Medicorum princeps, illius Hippocratis nepos, qui ſolum opuſculum de officina Chirurgici compoſuit, tempore, quo Empedocles viuebat, maxima nominis celebritate floruit, quemadmodum Iacobus Philippus in ſupplem. Chronicarum adnotauit. Hic volēs oſtendere ſudoris materiam lib. 4. de morbis, num. 18. ſecundum Ioannem Marinellũ, poſt multa relata dicebat. Cum inutilis fiat humor, & ad ventriculum, & ad veſſicam defluit, hæ autem foras expellunt; pars verò ipſius extra exhalat, per internam corporis raritatem: pars autem, quę ad huc intus manet, ſudor fit, & per corpus foras procedit. Comprobauit hæc omnia in lib. de Aere, Aquis, & Locis, in ſanis corporibus, dum ait. Sol, ex ipſis hominibus, tenuiſſimum, ac leuiſſimum humorem ducit, eius rei maximum ſignũ, inde ſumere licet, vbi homo veſtibus indutus, in Sole iter fecerit, aut ſederit, quaſcunque enim corporis partes Sol aſpicit, hæ non exudant. Sol enim quicquid comparet ſudoris, ſurſum rapit, quæ verò ſub veſte contectæ ſunt, aut ſub aliqua alia re, hæ exudant: educitur enim, ac domatur à Sole ſudor; ſeruatur autem ex tegmentis, vt ne diſperdatur à Sole. Cùm verò in vmbra deuenerit totum corpus ſimiliter ſudore perfluit: non enim amplius Sol affulget.

Ex quibus omnibus, qui in Hippocratica doctrina exercitatus reperitur, quam facilè addiſcet, Hippocratem voluiſſe, ſudorem ab humiditate, ſiue ſeroſo humorum excremento fieri. In febribus autem quomodo ſuccedat, 1. de morbis, ita expreſſit. Sudor verò fit hac de cauſa. Quicunque morbi in iudicatorijs diebus iudicantur, & febrilis ignis dimittit, in his de pituita, & bile, quod tenuiſſimum eſt, eliquatur, & ſecernitur, & ſecedit partim extra corpus, partim intus: iſthic & in corpus relinquitur, partim prę caliditate attenuatur, & vapor fit, & cum ſpiritu permiſtum foras procedit. At in lib. de Flatibus clariùs ſudoris modum depinxit, & eius efficientem cauſam. Cum flatus ingens, ſcilicet humiditas vaporoſa febrilis, & calida ad meatus corporis irruerit, ſudores fiunt: ſiquidem ſpiritus

com-

compactus in aquam tranſmutatur, & per meatus penetrans extra prorumpit, eodem planè modo, quo à feruentibus aquis vapor eleuatus, ſi obſtaculum habeat, ad quod impingere oportet, pinguẽ fit, & condenſatur, guttæq; diſtillant ab his corporibus: quibus vapor ipſe fuit impactus. Hęc eſt materia, ex qua ſudor in morbis oritur. Hæc cauſa efficiens, & modi ſecundum Hippocratem.

In hac magni Hippocratis opinione, duo examinanda proponimus. Primùm an Hippocrates huius fuiſſet ſententiæ, quod ſudores ab eleuatis vaporibus, & circa cutem condenſatis; an etiam à ſero humorum mole educto erumperent? Alterum an præter ſeroſam humiditatem, alios etiam humores per cutim excerni poſſe crediderit? Quoad primum ex illius decreto circa ſudores in ſanis corporibus, benè noſcimus, Hippocratem non ex vaporibus eleuatis, ſed ex ſeroſo humore ſubſtantia educto fieri aſſeruiſſe. Patet ex verbis in 4. de morbis. Pars autem, quæ adhuc intus manet, ſudor fit. Et in lib. de aere, aq. & loc. Sol tenuiſſimum, & leuiſſimum humorem ducit. Ex ſecundo autem decreto, in febribus oppoſitum tenuiſſe conſtat; ſudores enim non à ſeroſis humoribus, mole eductis, ſed ab ijs eleuatis vaporibus fieri, ſcripſit. Manifeſtũ eſt hoc in lib. de Flatibus, & in 1. de morbis, vbi eleuatos vapores à partibus tenuiſſimis humorum, ex ſero nimirum illorum, in aquam tranſmutari, & per ſudores excerni edocuit. Quapropter ex ſententia Hippocratis in ſanis corporibus à ſero humorum mole educto; in agris verò à vaporibus ex illo eleuatis, ſudores fieri compertum eſt.

Profectò ſi ſic eſſet medicinæ parens, & qui longo tempore medicinam deperditam, in lucem reuocauit, teſtimonio Iſid. 4. ethym. grauiter erraſſet. Namq; ſudores tam in ſanis, quàm in ægris corporibus à ſeroſis humoribus mole eductis, & à vaporibus ab ijs eleuatis fieri poſſunt: quemadmodum clariſſimè per multas rationes inferius manifeſtabimus. Quapropter vt tantum hominem à culpa eximamus, credendum eſt, dum ambos ſudandi modos expreſſit, voluiſſe in ſanis fieri ab humorum ſero, & in febribus ab eorum vaporibus, eo quia tam in ſanis, quàm in ægris taliter vt plurimum ſudores erumpunt; ratio eſt, quia in febribus à calore febrili magis attenuatur maſſa humorum, hinc facilè eſt, vt ex ea vapores educãtur. ſicuti in ſanis credibile eſt, vt ex minori vrgentia ſeroſi humores

res ſpontè excernantur. Hippocrates ergò voluit attendere id, quod vt plurimum, non autem quod rariùs ſuccedit.

Alterum erat, an præter ſeroſos humores, & eorũ vapores, alios admittat Hippoc. humores, qui per ſudores excerni poſſint? Prima facie videtur Hippocrates ſolùm admittere humorum ſeroſitatẽ, & vapores ex illa eleuatos; nam 1. de morbis ait. In his de pituita, & bile, quod tenuiſſimum, & leuiſſimum eſt, eliquatur, vbi per tenuiſſimum intelligit extenuatum humorũ ſerum. Si tamen acutius eius mentem penetramus, non ſolum humorum ſerum, ſed etiam humores ipſos intellexiſſe coniecturabimus: ratio eſt hæc, quia in mille locis decreuit, per ſudores morbos iudicari poſſe. Patet hoc 4. Aphor. 36. & 3. Aphor. 6. & 1. Prognoſ. vbi dicebat. Sudores optimi ſunt, & celerrimè febrem ſedant, qui in diebus iudicatorijs fiunt, & perfectè febrem ſummouent. Patet, & alibi, quando de morborum ſolutione, qui ab humorum putredine oriuntur, loquutus eſt. Modò ſi per ſudores excretos, febres ſoluuntur, nulli dubium eſt, alio pacto fieri non poſſe, quam per humorum euacuationem. Quanti ergo ſani iudicij, quantæq; exiſtimationis ſit hæc magni Hippocratis opinio, ijs ſapientibus cõſiderandum relinquo, qui hominis huius excellentiam cognoſcunt.

Theophraſtus Gręcus in lib. de ſudoribus videtur fuiſſe huius opinionis, ſudores fieri ex eleuatis ab vniuerſo corpore vaporibus, qui per cutim egredientes, ab aeris frigore congelantur, & in aquam conuertuntur. Conſequutus eſt ſententiã hanc Theoph. ex eo, quòd multi alij, inter quos connumeratur Heraclitus, huiuſmodi fuerunt voti. Huius etiam opinionis videntur fuiſſe Meletius in lib. de hominis ſtructura, & Gregorius Niſſenus in lib. de hominis opificio; hi loquentes de lacrymarum ortu (quæ, vt inferius diſputabimus, ſunt eiuſdem naturæ ſudoris) prodiderunt eas à vaporibus à corpore eleuatis ad cerebrum connaſci, quæ cerebri frigus ſentientes, condenſantur, & in aquam vertuntur, deinde per oculos effluunt. Quibus etiam Diuus Baſilius videtur aſſentire. Ariſt. etiam in probl. idem de ſudore tenuiſſe videtur, quemadmodum nos in loco proprio adnotabimus.

Porrò opinio hęc quamuis à talium hominum iudicio examinata, irrefragabilis videatur; tamen à Mercuriali doctiſſimo hoc vno fundamento exploditur, quod ſi vera eſſet, ſequeretur inſenſibilem trãſpirationem apud Medicos non dari. Conualidat ſuum intentum

primò cum Gal. 1. de tuend. val. 12. quod humor ſeroſus interdum à natura ſponte per cutim educatur, interdum in vapores diſſoluatur, qua ſequela ait Mercurialis, inſenſibilem tranſpirationem tũc fieri, cùm humor ſeroſus in vapores diſſoluitur, quod ſi vapores illi ex aeris frigore condenſarentur, neceſſarium eſſet inſenſibilem tranſpirationem non eſſe. Secundariò hiſce fundamentis negotium agitat. Si opinio hæc eſſet vera, vtique per ſudorem nũquam humoris ęquiualens fieret exinanitio; ratio eſt, quia ex decima parte humorum, fiunt decem aeris, & vaporum; vnde non poſſent vnquam tot vapores fieri, vt conſumerent humores, quemadmodum experientia patet. Poſtremò argumento comprobat, quod antequam ſudor à cute erumpat, carnes madeant. Ita Mercurialis exprimit ab humoribus, non autem à vaporibus ſudores concitari.

At alij ſapientiſſimi viri Theophraſti opinionem tãquam ſolidam affirmantes, & à Mercurialis fundamentis minimè territi, in cãpum, & literarium congreſſum accedere audent. Inter alios, qui à Mercuriali magis exagitatur Berardinus Gordonius eſt, qui poſtea quam antiquitus (iam ſunt ferè anni centum, & quadraginta) hãc inſequutus ſententiam, in publicis Gymnaſijs docuit, & typis mandauit, ſudorem eſſe vaporem humidum, ab interioribus corporis reſolutum, & iuxta corporis ſuperficiem condenſatum; adeò cruciatur ſuã peruerti opinionem, vt intrepidè ſolus, aliorum nomine aggredi, cõtra Mercurialem profeſſus eſt, vt ſuam, & tantorum dignitatem tueri poſſit, & vt video, iam in ſcenam ingreditur, vbi doctiſſimus Mercurialis inambulat. Nos autem dum iſti præclariſſimi viri diſputantes digladiantur, quas vltro, citroq; rationes proponant audiamus, vt in tanta controuerſia quid ſentiendum fore intelligamus.

Primùm, quod in congreſſu propoſuit Gordonius, fuit, Mercurialem perperam Galenum intellexiſſe, 1. de ſanit. tuen. 12. vbi hæc habentur. Ergo tenuiſſimum huius generis excrementum facile ſanè eijcitur, partim in ſpeciem halitus ab inſito calore ſolutum, partim violento motu cõfertim erumpens. Nam dicebat Gordonius, licèt ſeroſum humorem in ſpeciem halitus eijci poſſe afferat; non per hoc tamen negauit, condenſari poſſe, & in ſudorem conuerti. Cui Mercurialis compatior (inquit) ignorãtiam tuam, Gordoni, nam ſi aliter à mea expoſitione Galenum intelligis, inſenſibilem tranſpirationẽ omnimodo negare cogeris; ratio eſt hæc, quod ſi vapores à ſeroſo humore reſoluti, condenſantur; ergo non inſenſibiliter eijciuntur,

nec

nec inſenſibilis euacuatio datur. Immo compatior temeritatē tuam, reſpondit Gordonius. Ego quidem inſenſibilem tranſpirationē minimè nego: ſed aliter fieri aſſero, quàm tu loqueris. Vapor enim à ſeroſo humore diſſolutus, duplex eſt, vel ſiccus, vel humidus, à vapore ſicco fieri inſenſibilem perflatum, & ab humido ſudores, ſuſtineo; moueor à generatione pluuiæ, & ventorum in aere, quorum altera ab humido, altera verò à ſicco halitu generatur. Hac diſtinctione conabatur Gordonius omnia Mercurialis fundamenta euertere. Nam in eo, quod dicebat Mercurialis, madere carnes ante ſudoris eruptionem, dicebat Gordonius madere propter humidos vapores ſub cute latentes. Ad aliud autem, quod ex decima parte humorum fiebant decem aeris, & exinde humoris exinanitionem nunquam fieri, Gordonius hoc valere cum vapore ſicco, non autem cum humido contendebat; eo quod vapor humidus ſufficiens erat ad humores conſumendos, cum humori pars ſit proximior. Tacebat Mercurialis, quando ſubridens: Fruſtra (reſpondit) ò Gordoni, meam conaris diluere opinionem; illa enim adeò viribus Galeni munita eſt, vt difficillimum duco à te poſſe peruerti. Quapropter audi Galenum in lib. aduerſus Lycum, cap.2. qui in corpore noſtro duplicem tranſpirationē ponit, alteram, qualis eſt vapor humidus; altera, qualis eſt aer ſiccus. Quid ergo oblatras, Gordoni? Nonne hoc contextu apertè vides, quanta facilitate diſtinctio tua diluatur? Nonne audis Galen. dicētem, inſenſibilem tranſpirationē, & à vapore humido, & à ſicco produci? Confitere igitur meam opinionem eſſe veriorem, teq; malam in publicum doctrinā diſſeminaſſe, ita profectò exequeris, quod homini probo conuenire ſemper exiſtimaui. Multa animi audacia Gordonius. Nec tua fundamenta, nec loca Galeni malè à te citata, dixit, me perterrent, quando illa inualida æquè duxi, & Gal. contextus perperam à te explanari. Vt autem primò tuam aperiam inconſtantiam, exprobare iuuat, quod in præſentiarum minimè attendis. Si enim meam de ſudore ſententiam, falſam, & erroneam credidiſti, vt in tuo libello hanc aliam tenere profiteris; cur oblitus tuæmet concluſionis in tuo de febribus cap.16. oppoſitum acceptas? atque cum Theophraſto, & Ariſt. à reſolutis humiditatibus in vapores fieri autumas, qui deinde per cutim exeuntes, dum ab aere frigido tanguntur, in ſudorem concreſcant? Hæc opinio, ò Mercurialis, non eſt illa, quam ego tot annos ſuſtinui? Quæ igitur eſt verior, cum id, quod negaſti, iam cogeris affirmare, & vnà meam defendere ſenten-

tiam? Erubuit Mercurialis ſe aliter à propoſita hypotheſi ſcripſiſſe, atque de inconſtantia poſſe incuſari, & eo magis, quia Gordonius Amati Luſitani Centurias, quas clam obtulerat, aperuit, vbi cent.5. cur.4. auctor ille experimēto adnotauit, Ioannem ab Ægidio hecticum à Medicis pro deplorato relictum, copioſum habuiſſe ſudorem à vaporibus è corpore eleuatis, & circa cutem cōdenſatis. Hęc ille. Ecce hunc ęgrotantem in cubiculo peramplo, & valde alto iacentē percipio, cuius cubiculi aer humidus admodum, craſſus, & frigidus erat, vnde non falſa coniectura deprehendo, aeris frigiditas, quia calidos vapores, ex intima corporis parte in cubili ad cutem delatos, attingebat, eos condenſabat, & in aquam vertebat, vnde ſudor continuò huic, & madores copioſi, hærebant: pro quibus abigendis, auctor ex carbonibus focu accenſis in cubiculo vſus, infirmum ab hoc ſymptomate liberauit. Hæc hiſtoria admodum diſplicuit Mercuriali, propterea contra Amatum, & Gordonium nouas de hac re parabat contentiones: quia res tamen plena videbatur iurgijs, prouiſum eſt, ambos è congreſſu decedere.

Veniamus autem nos modò ad ſummam negotij, atque videamus vtra diſputantium opinio ſit acceptanda. Iacobus Hollerius lib.2. cap. de ſudore, videtur reſolutè quæſitum diſſoluiſſe, dum ait. Sudor excretio eſt ſeroſi humoris per poros corporis. Cauſas habet efficiētem, quidē calorem, materialem verò vel vaporem, vel humiditatē. Vapor à calore, qui humores reſoluit, deinde in ſuperficiem corporis attollit, relaxat poros; ſed vapor occurſu cutis reſiſtit, atque hic in humorem conuertitur, non aliter, quàm in aere pluuia, in ollis coquinarijs humor è vapore ſublato, ſi quid ſolidū opponitur. Humor verò eo modo materia eſt ſudoribus, vt etiam vrinis. Marcellus Donatus 1. de hiſt. mirabili, cap.2. Hollerio aſſentit, dum ait. Quum itaq; natura, ſeu calor naturalis huiuſmodi facultatibus mediantibus, ſeroſum excrementum, quod ſudoris materia exiſtit è corpore tradit, id duplici modo operatur, vel enim per poros cutis hunc elaboratū, attenuatūq; ſerum, facta ſeparatione ab vtili nutrimento, expulctrix facultas expellit, vel in vapores reſolutum à calore ſerum attenuante; cum ad cutim peruenerint vapores, cutis frigiditate denſati, & in ſeroſum humorem rurſus conuerti, per meatus cutis exeuntes, ſudorem cauſant. Hi celebres viri in Hippocr. diſciplina verſatiſſimi, litē dirimunt, dum ſudorem non à ſeroſa humiditate tantùm actu expulſa, vt voluit Mercurialis, nec à vaporibus cōdenſatis, vt Gordonius;

ſed ab vtraque cauſa fieri poſſe determinant. His videtur aſſentire Ludouicus Mercatus famigeratus Medicus tom.1. in cap. de ſignis criticæ euacuationis. Quare neutra opinio abſolutè vera iudicatur, ambæ autem veræ ſi copulantur ad vnum faciendum quæſitum.

Verùm quia totum conſiſtit negotium in cognoſcenda inſenſibili tranſpiratione, è qua lis tanta orta eſt, ideo conuenientiſſimum fore exiſtimaui aliquid de ea diſſerere, noſtramq; ſententiam adducere, vt quæſitum hoc clarius, apertiuſq; reſultet. Tranſpiratio inſenſibilis ita vocatur, quia eſt quædam euacuatio latens ſenſum: nam conſpectum præ tenuitate effugit, vt Gal.1.de ſanit.tuen.12. Euacuatio autem hæc per cutis foramina efficitur, è quibus omnia tertiæ coctionis excrementa euacuantur. Quia tamen ſenſum latet, neceſſarium eſt vt à tenuiſſimis partibus procedat. Propterea Gal.in lib.de atra bile, cap.4. dicebat. Sed quæ eius generis tenuioris ſubſtantiæ ſunt, ea partim per difflationem, quæ ſenſum refugit: partim ſenſibiliter, vt per ſudores cutem perrumpunt. In quo textu, licèt Gal.aſſerat, quæ ſunt tenuioris ſubſtantiæ, partim in halitum difflari, & partim per ſudorē erumpi, non per hoc credere debemus eiuſdē eſſe tenuitatis, quod ſenſibiliter, & inſenſibiliter excernitur: ſed potius tranſpirationem fieri à parte magis à calore ſubtiliata, & extenuata, quæ in vaporem conuerſa, poſſit per corporis poros inſenſibiliter difflari. In ſanis corporibus tranſpiratio è vapore efficitur, qui non ſolum ab aquoſo humore, verum atque à ſanguine, & reliquis ſuccis exhalat: quibus verò praui redundant humores à cute pro vaporibus fuligines exeunt.

Galenus in lib.aduerſus Lycum duplicem adnotauit tranſpirationem, alteram qualis eſt vapor, alteram verò qualis aer ſiccus, è quo contextu duplicia à corpore noſtro difflari poſſe excrementa haurimus, humida ſcilicet, & ſicca. Hæc autem cum impediuntur ne minimè inſenſibiliter tranſpirent, quemadmodum diuerſam ſortiuntur naturam, ita diuerſos producunt effectus, quod videtur non ſiluiſſe Gal.1.de ſanit.tuen.12. quando dicebat. In hoc inſenſibili perflatu etiam craſſioris excrementi non nihil excernitur. Huic autem, & vehementiore deducente calore, & impetu impellēte maiore opus eſt: cum alioqui periculum ſit, ne ante itineris finem ſiſtatur, ſaltem ad cutim.

Accedamus modò ad inſtitutum quæſitum, atque percurramus, quādo vaporoſa hæc excrementa, quę inſenſibiliter difflari diximus, inter-

intercipiantur, & denſentur, quo minus liberè è cute expirent; ita profectò à tanta videbimur controuerſia extricati. Equidem duplici via id poſſe contingere, conſentaneum eſt, vel ratione reſoluti vaporis, vel cutis ipſius. Succedit ratione vaporis, cum ille in tanta copia, ad cutem fertur, vt totus nequeat difflari: quapropter facilè eſt, vt poſſit ſub cute condenſari, & in aquam verti. Vtique in corporibus calidis, & humidis, in quibus cutis rara eſt, & præſertim cum ita etiã fuerit aer, copioſi oriuntur vapores: iſti autem cum omnes inſenſibiliter expirari nequeant, in aquoſum iterum conuertuntur humorẽ, & in ſudores erumpunt. Sæpè ab humoribus etiam iſti reſoluti vapores foramina cutis pertranſeunt: repercuſſi tamen à frigido aere, iuxta cutem congelantur, & in aquam vertuntur. Succedit impediri inſenſibilem perflatum ratione cutis, cum illa ab aeris frigore alterata, vapores condenſat reſolutos, & in ſudores conuertit. Sępè etiã abſq; extrinſeca alteratione vapores iſtos coagulat, & ſudores procurat. Fit autem hoc, quando vapores adeo feruentes ſuſcitantur, vt facilè à cute minus calida repercutiantur, quemadmodum in calidiſſimis febribus, atq; immoderatis exercitijs caloris vrgentia fieri conſueuit. Hæc eſt via, qua tam humida, quàm ſicca intercipiuntur excrementa. Hinc ab ijs ſudores, ſordes, pruritus, ſcabies, ſerpigo, impetigo, & diuerſæ aliæ affectiones; quarum aliæ ab humidis, aliæ à ſiccis, craſſioribus, & mixtis proueniunt excrementis. Hinc pili, vngues, & cætera, quæ ex tertiæ coctionis excrementis emergunt, vt à Gal. 1. de tuenda valet. 12. percipi poteſt.

Veniamus autem ad Mercurialem, qui negauit, ſudores fieri poſſe ex eleuatis vaporibus, munitus Gal. teſtimonio 1. de ſanit. tuend. 12. ex eo, quod dicat, ſeroſum humorẽ interdum ſpontè per cutim educi à natura, interdũ verò in vapores diſſolui. Opinatus eſt hoc textu, Galenum voluiſſe, non dari inſenſibilem perflatum, ſi ex ijs ſudores fierent: ſed dormitat hic bonus vir; nam per eundem textum, licèt concedamus, ſudores ex vaporibus fieri, nõ per hoc tamen negatur inſenſibilis tranſpiratio, eo quia non ſemper vapores in ſudores mutantur; ſed ſolùm cum inſenſibiliter omnes digeri nequeunt, ſeu repercutiuntur à frigore, aut à cute intercipiuntur, vt diſputauimus. Credidit Mercurialis in tract. de ſudore, nullam in corpore noſtro viuo, frigiditatẽ reperiri poſſe, quæ feruidos, & calidos vapores condenſare valeat. Sed miror, hominem prudentiſſimum, in eam iuiſſe ſententiam, vt Galenum, qui Hippocratem legerat, & eius opera ex-

colerat,

colerat, crederet, ſudores à vaporibus haud fieri poſſe, voluiſſe. Propterea ex falſa Mercurialis hypotheſi commotus Marcellus Donatus 1.de hiſt.mirab.cap.2.benè demõſtrauit, vapores calidos à cute poſſe congelari. Quia & ſi cutis viuente animali, calore nunquam ſit deſtituta, tamen ſi feruido vapori comparetur, frigida iure meritò poterit appellari, ſicut enim cerebri temperamentum frigidum eſſe, communi Medicorum conſenſu ſtatutum eſt, & nihilominus lib. 8. de vſu partium, cap.2. quouis nos ambiente aere calidius eſſe, Gal. voluit; à pari, & nos cutim comparatiuè frigidam dicere poterimus, cumq; cerebrum, nõ ſolùm aduentitia, ſed & ſui naturali frigiditate, vapores illud petentes, virtuteq; caloris ſurſum latos refrigerare, & denſare poſſit, ex 1.de ſympt.cau.8. Galeni ſententia, & 2.de part. animal.& in lib.de ſomn.Ariſt.ait. Quibus & experimentum ſuffragatur, vt in catharris quotidiè obſeruamus, cur pariter idẽ præſtare poſſe, cutis externæ frigiditatem negabimus? quæ tamen frigiditas non abſolutè, ſed comparatiuè eſt intelligenda; nam ſi abſolutè frigida cutis eſſet, nõ ſolũ vapores denſaret, ſed & ita refrigeraret, quod ſudores non tepentes exirent, ſed frigidi, quod aliquando euenire accidit in morbis, vel lethalibus, vel longis, tum ratione frigiditatis cutis, tũ humorũ peccantium, vt 4. Aphor. 37. Hipp. Hęc Marcellus.

Plato ille ſummus tã ieiunè ſudoris naturam excogitauit, vt valde admiror, hominem alioqui ſapientiſſimum, pede ſic arido, negotiũ tantum pertranſiſſe. Dicit enim in Timæo, ſudorem eſſe pituitoſum excrementum, ſed fallitur; nam non ſolum pituitoſum, ſed etiã bilioſum, ſanguineum, & alterius naturæ reperitur. Ideo diffinitio hæc, qualis ſit, alia non eget ponderatione.

Ariſtoteles, qui Platonem audiuit, in eandem incidit fallaciam, quando 2.probl.4. dicebat, ſudorem eſſe humorem incoctum, quòd forſitan à pręceptore diffinitionem commutauit hanc, iudicans illũ, excremẽtũ eſſe pituitoſum. Profectò antiquitùs inter Philoſophos, & Medicos de humorum numero magna ſucceſſit diſcordia. Antiquiores enim, quos ſequi videtur Ariſt. vnum tantum humorem poſuerunt, quare mirum non eſt, Platonem, & Ariſtotelem eandem de ſudore habuiſſe ſententiam, cum forſitan vnum humorem, illumq; pituitam vocari, reperiri crediderint. Sed videtur Gal. quodãmodo aſſentire Ariſt. opinioni, dum 1.de ſanit.tuen.12. ſcripſit, ſudoris materiam, eſſe quaſdã reliquias alimẽti ſemicoctas. Hic textus fortaſſe alicui dubitandi anſam præberet, ſuſpicanti Gal. hæc ab Ariſt. accepiſſe,

piſſe, atque in eundem errorem incidiſſe; niſi eſſet, quod Gal. aliter hæc, quam ipſe Ariſt. intelligit. Docet enim ibi Gal. cum ſudoris materia, aliquam, alimenti portionem ſemicoctam excerni poſſe, quæ ex eo, quod nutrire nequiuit, à natura extruditur: quemadmodum in vrinis quotidiè conſimilia expurgari videmus. Hæc opinio quantum differat ab Ariſtotelica, vobis conſiderandum relinquo. Ariſtoteles autem primæ ſuæ concluſionis de ſudore oblitus, alterã voluit 3. de partib. anim. 5. exprimere, aſſerens, ſudorẽ eſſe, vaporis humidi excrementum; de quo volẽs reddere modum 2. probl. 20. cum calor à motu excitatur, dixit, humorem extenuatum in ſpiritum ad ſummum corporis euocari, atque in ſudores conuerti. Hæc opinio vera eſſet, niſi exiſtimaſſet Ariſtoteles, ſudores omnes hoc pacto fieri, ſed quemadmodum ipſe in hac re videtur incõſtans, ita ſemper iudicaui, quam plurima in auctore hoc exotica eſſe, & aliunde apparata, qua via virum hunc à nonnullis calumnijs vindicare poterimus, cum ipſe enim acroamata affert, ea ſaniora iudicio omniũ eſſe conſueuere.

Diocles apud Athenienſes inſignis Medicus, de ſudoris natura, duram habuit opinionẽ: ſcripſit enim, teſtimonio Galeni 1. Aphor. com. 15. ſudorem eſſe partem cibi inconcocti, ac per cutis corporis foramina, contra naturã excreti. Credebat hic magnus Philoſophus in ſanis hominibus, qui moderata victus ratione vtũtur diffluere nequiuiſſe, eo quia excrementa, aſſerebat, quæ proueniunt à perfectè elaborata coctione inſenſibiliter difflari: nam perfecta coctio arguit naturam validam, & magnitudinem natiui caloris; quo tẽpore, aiebat, qui ad cutem transfertur aquoſus humor, paucum, & tenuem eſſe, propterea vniuerſum à valido calore in vapores diſſolui: ſecus eſſe in ijs, qui immoderatè viuunt, & quibus perfectę nõ exercentur à natura coctiones, exiſtimauit. Arguebat debilẽ calorem in ijs corporibus, & copioſa excrementa, quæ cum à caloris debilitate inſenſibiliter difflari nequirent, in ſudores vertebantur. Ita contendebat, ſudores omnes præter naturam exiſtere.

Opinio hæc adeò probabilis viſa eſt, vt Gal. ipſe eam fortaſſis, aut noluiſſet, aut diſſoluere nequiuiſſet, namq; licèt in lib. de diff. ſympt. vlt. Dioclis dogma durum, & inefficax appellet, atq; idcirco de hac re ſe aliquando ſcripturum promittat: quia tamen id præſtitiſſe nõ legimus, ſuſpicandi anſam nonnullis Medicis de eius voluntate peperit. Inter hos Actuarius eſt, qui 1. Method. med. 23. Dioclis opinionem reſolutè accepit, & ſudores omnes hoc pacto euenire contendit.

tendit. Ego quidem, Galenum in Dioclis iuiſſe ſententiam minimè credere poſſum: nam contra euidentiam eſt,ſudores omnes præter naturam eſſe,cùm naturales etiã ſint. Et quamuis aliquis ex eo,quod ſcripſit Gal.1.de ſanit.tuen.12. ex ſemicoctis cibi reliquijs, quæ nutriendæ parti aſſimilare nequeunt,ſudores poſſe contingere dubitaret: quia tamen Gal.diuerſum à Dioclis fundamẽto illud exagitauit, vt ſuperius expoſuimus,ceſſat omnis dubitatio. Propterea omnimodo credo Galenum Dioclis opinionem falſam eſſe tenuiſſe: nam experimento conſtat, corpora ſana, licet maximè ſecundum naturam ſe habeant exudare, veluti calidis temporibus, & quando exercẽtur aſpicimus. Immò, quòd euidentius eſt, à calore debili ſudores fieri non neceſſarium eſt; ad faciendum enim ſudorem, requiritur potius caloris validitas, vt materias illius attenuare, & ad exitum diſponere poſſit, non autem illius imbecillitas, vt perperam Diocles exiſtimabat.

Galenus, Medicorum omnium norma, ex eo quod ante ipſum neminem conſtat, Medicinam abſoluiſſe, in pluribus ſuorum librorũ locis, quid de ſudoris natura ſentiret manifeſtauit. Hic 1.de natur. facult.vlt.talia affert. Totum id, quod bibimus, vrina fit, præter exiguum quodam, quod per ſudorem, aut per inuiſibilem perſpiratum abijt, vel aluo emittitur. Quam ſentẽtiam confirmauit in lib.de atra bile cap.2. Rationi conſentaneum eſt, ex potu ferri quicquam cum ſanguine in iecore genito, quod poſtea non per vrinas modò excernatur, verùm per ſudores quoque. Et 1.de ſanit.tuend.12.edocuit, ſudorẽ eſſe id humidum, quod pro cibi vehiculo in vaſis erat, quodq; iam officio ſuo functum, cum ſuperſit, per cutis meatus excernitur. Clariùs lib.10.ſimpl.med.facult.in cap.de ſudore. Sudor eſt ex his, quæ in animantis corpore prodeunt, & eandem habens materiam cum vrina, eundemq; generationis modũ: ſiquidem vtrunq; ex potu conſtat. Quæ omnes ſententiæ, aliud inferre non videntur, quàm ſudorem fieri ex humorum ſeroſitate, quàm ſub nomine potus placuit declarare; ſiquidem ſerum à potu, cibiſq; humidis originem habet. Parauit illud natura, vt cibi eſſet vehiculum ad nutriendum animal: propterea hoc peracto munere, ſi ſuperfluè redundat, & per vrinas, & per ſudores excernit. Vocatur hoc à nonnullis materia potulenta, ſeroſa humiditas, & aquoſus humor, vt in lib.de vtil.reſpir.inter attributos Gal. legimus, vbi ſudorem eſſe, ſanguini aquam admiſtam adnotatur.

Galeni hęc opinio videtur fundari ſub hoc,ſudoris euacuationem eſſe vnã ex communibus euacuationibus naturę,vt ipſe 3.art.medic. aſſeruit, ob id 1.de ſanit.tuend. ſerum in numero eorum excrementorum repoſuit,quæ ſecundum naturam colliguntur,etiam in homine optimè ſano. At oppoſitum etiam ferè aſſerere videtur eodẽ lib. cap.17.dum ait.Ergo tenuiſſimum hoc excrementum facilè ſanè eijcitur,partim in ſpeciem halitus,ab inſito calore ſolutum;partim violento motu confertim erũpens.Appellant verò,quod ita excernitur ſudorem; ſi ergo violento motu.Gal.ait erumpere ſudorem, occaſio dubitandi inſurgit, euacuationem ſudoris,eſſe non naturalem,quod eſſet diuerſum à primo propoſito. Valleſius,qui vidit hanc difficultatem 5.lib.controu.20.breuiter enodauit. Non enim dictũ eo voluit Gal. ſudoremfi eri motu violento, quod non fiat naturali, ſed quod à motu vehementiori.

Vt autem aperiamus, ſudorem ex ſero humorum fieri ſecundum naturam,Galenum voluiſſe,præſtabit ea adducere loca,vbi maximè negotium hoc agitauit.Ille in 4.de ſanit.tuen.cap.4.ſcriptũ reliquit, ſudorem eſſe ſuccorum,qui in vniuerſo corpore abundãt nota,qualiſcunque verò is in corpore habetur, tale neceſſe eſt eius appareat ſerum. Cuiuſmodi enim ſanguis ſit,qui in vaſis continetur, ea planè oſtendunt, quando ſi is bilioſus ſit, ſerum quoque eius bilioſum eſſe neceſſe eſt,idq; pro vtriuſque bilis ratione, ſimili modo pituitoſum, ſi is ſit pituitoſus. Quia autem ſæpè numero ſudores non ſolum à ſeroſa humiditate, verum atque ab alijs ſuccis fieri conſueuere,eo maxime quando praui in corpore redundant humores,ideo textu eodẽ per ſudorem,& vrinam expelli aſſeruit,malos ſuccos iam planè corruptos,quòd concoqui non poſſunt.Clariùs 6.Epidem.comment.4. comm.31.per hæc verba. Quinimmo interdum,& extenuati humores vtiliter diſſlantur, quos cum pinguiores ſunt per ſenſiles excretiones,natura è corpore propellit,ſudores citans,aut lotij, deiectionemue multitudinem,aut vomitum mouens. Sed quia dubium oriebatur, quomodo natura tales per ſudores expelleret humores, ipſe in 3.Epidem.comm.3.com.41.ſapientiſſimè expoſuit. Sed quemadmodum didiciſti ſudores, & deiectiones interdum, vt ſuperfluitatis humorum in corpore malorum ſymptomata excerni, interdum expurgante natura. Quibus verbis ſudores criticos,& ſymptomaticos Galenus depingere voluit.Ecce modò,quòd ſecundum Gal.ſudoris materia non ſolum ipſa humorum ſeroſitas eſt,ſed etiã humores ipſi,

diuerſa

diuerſa tamen via. Humori enim ſeroſo ſudoris nomen verè cōpetit: quia tanquam tertiæ coctionis, excrementum per cutis foramina à natura educitur; cumq; hoc cōtinuò generetur, atque modò per urinas, modò per aluum, modò per ſudores excernatur, iure ſudor appellatur. Alij ex proprietate vocabuli, ſerum, ſudorem eſſe voluere; nam ydros, græcè, quem nos ſudorem dicimus, aquam, & ſerum denotat. De hoc dicebat Gal. 1. de ſanit. tuen. 12. Huic excremento nullus certus à natura præſcriptus eſt meatus; expellitur tamen partim actu per ipſa molliora corpora, quæ fluentis eius violentiæ cedunt, potiſſimum cum à ſpiritu maiore impetu irruente impellitur; partim etiam per exiguos omnes corporeæ molis meatus, πόρυς Græci vocant, quorum non modò corpus vniuerſum, ſed etiā tota cutis plena eſt. Humores autem ex accidenti ſudoris nomen habere videntur, quatenus nimirum extenuati veluti ſerum, per eadē cutis foramina educantur, aut in vapores cōuerſi, iuxta cutem in aquam vertantur. Ob id ſanè Marcellus Donatus 1. de hiſt. mirab. cap. 2. ſeroſum excrementum, ſudoris nomen mereri volebat; materias autem bilioſas, pituitoſas, vel alterius generis per poros extruſas, ſudores amplius veros non eſſe, ſed potius peccantium humorum excretiones à natura per eam regionem patratas. Hæc eſt ſumma opinionis Galeni de ſudore corporis.

Princeps Auicenna inter Arabos maximi nominis, volens lib. 2. ſudoris naturam inquirere, ſcripſit, ſudorem eſſe ſanguinis aquoſitatem, cui pus colericum ſit commiſtum. Quæ opinio licèt videatur conuenire cum Galeni ſententia in lib. de vtil. reſp. vbi dicebamus, ſudorem, ſanguini eſſe aquam admixtam; atque per hoc voluiſſe exprimere humorū ſerum, qui eſt ſudor naturalis, & propriè acceptus; tamen quia addit Auic. pus colericum eſſe illi admixtū, non videtur, ſudorem propriè acceptū diffiniuiſſe (cùm arguat, cum ſero euacuari putridam bilem) ſed potius humorū euacuationes, quas natura per ſudoris vias moliri conſueuit. Credi poſſet, Auicennam per pus illud colericum, voluiſſe intelligere aliquam bilis portionem, in quo ſenſu à Gal. ſentētia minimè diſſentiret. Hic enim 10. ſimpl. med. facult. 13. per hæc huiuſmodi negotium expreſſit. Sudor vnus hic etiam eſt humorum in animantis corpore prouenientium, eandē habens materiam, & eūdem generationis modum, quam vrinæ; ſiquidem vtrique ex bibito humore conſtat, generatio ex calfacto ſimul in corpore, & bilioſæ non nihil ſubſtantiæ adepto. Vbi Gal. ſubſtantiam bilioſam

admittit in ſudore, vt ſua tenuitate facilius per poros excludi poſſit, quemadmodum eius efficaciam per hæc 14. Method. med. cap. 1. adnotauit. Tenuis namque ſubſtantiæ eſt pallidæ bilis humor; itaque facilè ad ipsã cutim transfluit, carnoſis, rariſq; corporibus trãſmiſſis. Auic. autem quia in 4. lib. ſudorum citrinorum, & viridium meminit, multã præbet ſuſpicionem, ſe propriè acceptum ſudorem non diffiniuiſſe, quod maximè admiror, cum hic omnia Galeni opera viderit. Forſitan credere debemus ex eo, quod lib. 2. dicit, ſudorem eſſe ſuperfluitatem vnctuoſitatis, & humiditatis poſt digeſtionem vltimã, voluiſſe per hoc verum ſudorem intelligere, quia autem admodum genericè loquitur, non poteſt adeo defendi, vt materiam hanc ſicco pede, & minus apertè, quàm par erat explicauiſſe non videatur.

Poſt Galenum, & Auic. alij, & innumeri ſucceſſere ſcriptores, quorum alij Galeno, alij Auic. alij Theophraſto, & Ariſt. adhærentes, varia ſcripſerunt circa ſudoris eſſentiam; habuerũt tamen in re medica iſtorum principia, & fundamenta. Succeſſit noua Medicorum ſecta à Theophraſto Paracelſo, quæ vtens diuerſis principijs, & fundamẽtis in naturalium rerum compoſitione, diuerſam habuit ſententiam de ſudore, & circa alia, in laqueos inextricabiles Medicos duxit. Auctor hic in rerum naturalium principijs, Sale, Sulphure, & Mercurio vtitur, non communibus, vt vulgus intelligeret, quia ex ſale cõmuni, ſulphure, & mercurio nullum corpus conſtitui docet, cum ſint indiuidua in ſuo genere. Formauit vnumquodque horũ pariter alia principia continere: omnia tamen corpora ex primis cõſtitui principijs, quemadmodum noſtrates Philoſophi ex materia, forma, & priuatione fieri ſcripſere. Ita planè vniuerſam commutauit Medicinam, vt benè Petrus Seuerinus Danus 1. cap. de idea Medicinæ diſputauit. Sed veh illi, quia iſtis redargutijs, varia in ſcriptis enormia commiſcuit, & miſerè à Fide apoſtatauit. Hic auctor inquirens ſudoris materiam tom. 1. lib. 3. Paramiri de morb. origine, tract. 4. Sudorem, ait, qui cutem permeat, ſanguinis eſſe excrementum. tom. 3. in ſcholio lib. de Tartaro, ſudorem eſſe cruorem membrorum principalium, aſſerit, proinde mortalem eſſe, quando à pia matre exudat. In hoc loco dum explicat, ſudorem eſſe cruorem, inferre voluit, quod tom. 1. cap. citato, de cruore poſuerat, vbi cruorẽ, qui in ramulis ſtillatur, carnis eſſe excrementum edocuit, qui modus ſudoris differẽs videtur à primo.

Tom. 3. in fragmento de Peſte, duplicem eſſe ſudorem poſuit, vnũ, qui funditur per poros, alterũ verò per emunctoria. Hinc tom. eod.

in tract.de Peſte, cum additionibus lib. 1.hęc reliquit adnotata; nam in tribus illis locis ſunt emunctoria aquæ, cordis ſcilicet, cerebri, & epatis. Ideo ſudor duplex eſt, per poros nimirum totius corporis, & per poros harum partium. His euacuatur elementũ aquæ totius corporis. In his ſulphur eſt, quod accenditur. Alias in toto elemento ſulphur nullum eſt, quod incendatur, niſi quod in hiſce tribus locis continetur, ſicut per anatomiam mundanam rerum patet.

Eodem tomo, lib. 1. de Peſte, cap. 5. confirmauit, ſudorẽ dupliciter emanare, per hæc. Nouiſtis ſudorem in corpore duplicem, manantẽ per poros, & fluentem per emunctoria. Qui per poros emanat, partem is firmamenti nihil attinet. Qui verò ex emunctorijs (velut in tribus dictis locis) manat, is ſudor eſt ſulphuris, quod peſtis exiſtit. In lib. 5. tract. 4. cap. 7. affert, ſudoris vtilitates in morbis metallicis. In lib. 1. de Peſte, cum additionibus, cap. de Loco, hęc innuit. Natura ſudorem duplicem emittit, vnum per poros, qui cum peſte cõmercij nihil habet. Is enim ſudor eſt tantum euacuatio ſuperfluorum humorum ſtercoris in vniuerſo corpore, qui ab ipſa natura cietur, ac regitur, non à cęlo. Alter ſudor ex parte cęleſti eſt, ac protruditur tribus locis, iuxtà aures, ſub alis, & inguina. Nec in locis is erumpit pluribus. Hæc enim cęli emunctoria ſunt, quoad ipſius ſudorem. Iſta ergo ſunt loca peſtis, non alia.

Hæc volui noſtro operi addere, vt ſtudioſi, & curioſi, Paracelſicæ ſectæ de ſudore opinionem inueniant. Equidem iſtius auctoris fundamenta, quamuis à noſtris diuerſa videantur; ſub velo tamen, & ſub obſcuro, & ficto ſermone, occultè habere, & clam inſerta omnia, quę in Hippoc. & Gal. diſciplina reperiuntur, exiſtimo.

Ex Neotericis autem, qui (ſpreto Paracelſo) in cognoſcenda ſudoris natura elaborarunt, ferè infiniti ſunt, ijq; ſolertiſſimi. Cõfiteor ætatis noſtræ homines talibus de Republica viris benemeritis, plurimum debere. Hi enim noctu, diuq; in abditis rerum naturaliũ cauſis perſcrutandis, vt poſteritati prodeſſent, elaborarunt, ex quo in tãtum ſublati ſunt faſtigij, vt eorum opera admirẽtur, & perlongiſſima ſęcula viuant. Hoc parit virtus, & hominis ingenium. Ego quidem aliquot iſtorum opinionis referam, vt poſt tot ſcriptorum diſcuſſiones, tot rerum ambages noſtram de ſudore adducamus ſententiam.

Fernelius Ambianus Medicus acutiſſimus lib. 6. Phyſiolog. cap. 6. ſudores reliquias eſſe ſeroſi humoris ad cutem euectos, tenuiq; bile perfuſos adnotauit.

Altimarus in lib.de ſedimento in vrin.cap.1.ſeroſam,& humidam partem alimenti eſſe voluit.

Mercurialis ita ſudorem diffiniuit. Sudor eſt portio materię potulentæ in iecore alterata, & ſanguini peruehendo per venas à natura tranſmiſſa, ac demum ex venis ipſis per meatus occultos expulſa. ita legitur in tract.de ſudore. Epiphanius Ferdinandus 2.theorem.31. Mercurialem accuſat de defectiua diffinitione, ex eo, quod dixit, ſudorem materiam potulentam eſſe; conſtat enim ſudorem non ſolum ex potu, ſed etiam à cibis fieri: ſed imprudenter reprehendit, nam Mercurialis illic ſub nomine potulentæ materiæ, id totum humidũ, quod in cibis, & potibus aſſumitur, intelligere confeſſus eſt.

Hieronymus Cardanus. Sudorem eſſe tota ſubſtantia medium inter naturalia excrementa, 4.Aph.vlt.voluit: ſed pace tanti viri, eius opinio ridicula eſt.

Marcellus Donatus 1.de hiſt.mirab.2. Sudor eſt ſeroſi excrementi naturalis excretio.

Hollerius lib.2. Sudor, excretio eſt ſeroſi humoris per poros corporis.

Proſper Alpinus 7.Progn.5. Sudor eſt particularis euacuatio ſenſibilis per poros cutis, meatuſue facta.

Ludouicus Mercatus 1.de morbo Gallico 10. Sudor, vacuatio vniuerſalis eſt, qua venoſum genus, & tertia corporis regio ſeſe ab excrementis exonerare habent.

Profectò viri iſti diſertiſſimi ſanorum tantum corporum ſudores, qui ab humorum ſeroſitate fiunt, exprimere vidẽtur, parum animaduertentes ab humoribus ipſis, vt in ægris corporibus quotidiè obſeruamus, etiam connaſci poſſe. Quippè in ijs non ſolùm ſerum humorum, ſed bilim, pituitam, cęteroſq; ſuccos, &, quod peius, adipes, pinguedines, & membra ipſa colliquata, per cutis foramina excerni contingit. Quare talis diffinitio opus erat, quæ ſanorum, & languentium ſudores includeret. Generalis enim diffinitio illa eſt, quæ omnibus competit ſub ſe contentis ſpeciebus. Modò in iſtorum allata diffinitione ſanorum tantùm, & non ægrorum corporum, ſudorum ſpecies continentur, ergo non eſt bona diffinitio. Excipio ab his Ludouicum Mercatum, & Proſperum Alpinum, qui id rectiùs recolentes, diffinitionem ab iſtis diuerſimodè attulerunt, vt explicauimus. Quare pace tantorum virorum, quorum doctrinam potius admiror, quàm æmulor, Mercatum, & Alpinum viros doctiſſimos, meo iudicio,

cio, ſcopum in hac re magis attinxiſſe confiteor.

Ego autem, vt tanto negotio poſtremam manum poſt tot ſententias imponam, triplicem de ſudore diffinitionem ſtudioſis afferre ſtudui. Vniuerſalem vnam, reliquas verò particulares. Prima ſanorum, & languentium corporum complectetur ſudores. Reliquarum autem altera ſanorum tantùm, altera ægrorum corporum ſudores explicabit. Ita equidem in ſtudioſorum gratiam videbor de ſudoris diffinitione tot & tantas controuerſias extricare.

Auctoris propria opinio, & ſudoris diffinitio.

SVdor eſt euacuatio ſenſibilis, tenuis, corporis, & humorũ humiditatis, à calore ſolutæ, & per cutis poroſitates, medijs facultatibus excretæ. Dicitur ſenſibilis euacuatio, ad differentiam earum euacuationum, quæ inſenſibiliter fiunt, vt tranſpiratio, & diſflatio inſenſibilis. Humiditas ponitur loco generis, & ſub ea comprehenduntur corporis humiditates. Dicitur autem tenuis, ad differentiam vrinæ, & craſſarũ humiditatũ. Vtique ſudor magis eſt elaboratus, quàm vrina, & perinde craſſarum humiditatum. Dicitur corporis, & humorum, vt complectamur ſanorum, & languentium ſudores, qui à ſeroſo humore, ab humoribus ipſis, ab humiditatibus vtilibus, & inutilibus corporis oriri poſſunt. Dicitur à calore ſolutæ, ad denotandũ, quòd in ſanis, & in ægris corporibus neceſſarius eſt calor, qui extenuet ſudorũ materias, vt actu, vel vapore ad cutim aſcendant. Hic autem duplex eſt. In ſanis, humidus, & benignus; in languentibus verò ſiccus, acer, & mordax. Dicitur per cutis poroſitates, ad differentiam aliarum humiditatum, quæ per alias vias corporis, quàm à poris excernuntur. Dicitur medijs facultatibus, ex eo, quod in hac euacuatione duæ poſſunt concurrere facultates. Expulctrix, quę has materias ſudorificas expellat, & Contentiua, quæ ex languore, & debilitate eas relaxet, vt in hecticis, & ſyncopticis, & morientibus obſeruamus. Hæc eſt, ſtudioſe Lector, quàm in tui gratiam officioſè exarauimus diffinitio, eam autem, ſi à te fuiſſe acceptam intelligemus, nihil optabilius nobis accidere poſſe credas, quàm tibi, & poſteritati nos aliquandò profuiſſe ſcire. Veniamus ad reliquas.

Sudor in ſanis ſenſibilis eſt euacuatio portionis ſeroſi excrementi

expo-

expoculentis, & exculentis producti, & per venas cum ſanguine à natura diſtributi, è quibus à calore ſolutum per cutis meatus excernitur. Dicitur ſenſibilis euacuatio duplici cauſa, vel ad differentiam illius ſeri portionis, quæ inſenſibiliter difflatur, vt Galen. I. de ſanit. tuen. 12. vel ad differentiam earum euacuationum, quæ inſenſibiliter fiunt. Dicitur portio ſeri, eo quod aquoſi humoris maior pars in vrinam vertitur, reliqua autem quæ ſanguinis eſt vehiculum ad venas, ſudore expellitur. Dicitur ſeroſi excrementi, ad differentiã illius ſeri portionis, quæ non excrementum, ſed alimentum eſſe poteſt, vt inferius dicemus. Expoculentis, & exculentis producti, ad denotandũ, quod huiuſmodi ſerum, & à potu, ciboq; adnaſcitur, ex quibus ſuperfluit, quia non potuit in alimentum cõuerti. Per venas cum ſanguine à natura diſtributi, vt per hoc ſciamus, ſeroſum humorem immitti à natura, tanquam vehiculum ſanguinis per venas, & arterias, ad hoc vt ſanguis commodius pertranſeat anguſtiſſima loca pro nutriendo animali. Dicitur, è quibus à calore ſolutum, ad denotandum ſudores immitti, & expelli ab omnibus venis, & arterijs, & à muſculis ipſis, vt in lib. de vtil. reſpir. adnotatur. Primo autem à calore ſoluitur, propterea dicitur ſudor magis elaboratus, quàm ipſa vrina, & in eo magna eſt naturæ prouidentia; vt expeditus enim corporis habitũ pertranſeat, ſolet id perfundere aliqua bilis portione, non ſecus atq; vrinam. Pro vario tamen temperamẽto ſexu, & genere victus, alij plus, alij minus, bilis perfuſam retinent. Vltimò dicitur, per cutis meatus excernitur, ad differentiam aliorum excrementorum, quæ per alias vias excernuntur; vel ad denotandum euacuationem hanc fieri ordine naturæ ad exonerandũ corporis habitũ à tali excremento inutili, atque ad ſubleuanda nocumenta à venoſo, arterioſoq; genere, & à tertia ipſius corporis regione, quæ ex talis ſeri redundantia facillimè naſcerentur. Quippè natura ſolertiſſima ad animalis conſeruationẽ, quammaximè ſollicita eſt, circa corporis excrementorum expulſionem; illa enim dum in alimentum verti nequeunt, facillimè (ſi diù cũ ſuccis vtilibus retinentur) corpus inficiunt. Propterea vnicuique aſſignauit receptaculum, & viam, per quam illa euacuat in corpore. Nimirum bili, Veſſicam fellis. Muccis à capite ſtillantibus, Palatum, & Nares. Fœcibus inteſtina. Melancholico humori, Lienem. Excremento ſeroſo priorum coctionum, Veſſicam. Tertiæ verò coctioni poros, & meatus cutaneos. Quæ viæ licèt principaliter fuerint deſtinatæ ad huiuſmodi excrementorum expulſionem, nihilominus

natura vnam, vel alteram, loco alterius eligit, quando excrementorũ copia aggrauatur, vel illorum acrimonia, ad expulſionem irritatur, quo fit vt per cutis foramina non ſolum ſeroſa excrementa excernã-tur, ſed etiam aliquando alios humores, & per vrinas ſimiliter, vt apud languentes quotidiè in praxi obſeruamus.

Vnum autem video poſſe lectorem ſollicitare in excogitando ſeroſo hoc excremento; quem, ſudorem, & euacuationem naturalem eſſe dicimus. Cur quotidiè non excernatur, quemadmodum in ſanis corporibus cætera excrementa quotidie excerni conſpiciuntur? Profectò quotidie bibimus, & comedimus, vnde fit neceſſariò tale generari in nobis excremẽtum. Reſpondet ad hoc Gal. 1. de potent. natur. cap. vlt. per hęc. At quod totum id, quod bibimus, vrina fit, niſi quid cum aluo exit, aut in ſudorem, aut per occultam expirationem abijt, oſtendit planè eius, quod quotidie meimus copia. Cuius equidẽ ſolutio potius dubium conualidat, quàm noſtrum æquat intellectũ. Ratio eſt, nam ſi totum id, quod bibimus, vrina fit, niſi aliquid per ſudorem abijt, facili negotio ſudoris euacuationem nõ ordine naturæ, ſed ex accidenti fieri demonſtrabimus, ex quo in varios labyrinthos vehemur. Vt autem Gal. verba, & vnà ſimul noſtræ concluſionis medullam intelligamus, ſeroſi excrementi ediſcere oportet, maximam per vrinas euacuari portionem; minimam verò per venas diſtribui, vt perfecti ſanguinis exiſtat vehiculum. Hæc autem cum à calore extenuatur, dum in halitum excuti poteſt, inſenſibiliter euocatur, ſin minus per ſudorem eijcitur. Quod ſi fortè aliqua de cauſa euenerit, quo minus inſenſibiliter difflari, aut per ſudorem emanari poſſit, per eaſdem, natura prudentiſſima, per quas cum ſanguine venas permeauit, retrocedere docuit, vt tam oneroſum, inutileq; excrementum è corpore expelleretur. Hinc per vrinę canales emittitur, vel per aliũ, vt ipſi commodiùs apparuerit. Hæc potiſſima huius rei eſt occaſio, vt rariùs, quàm excrementi requirit conditio, ſudores videantur. Hoc autem difficilè cõpertu minimè eſt, quando ex Gal. teſtimonio 3. de facult. nat. 13. tractum, & expulſionem diuerſis temporibus per eundem meatum fieri nobis innoteſcit, vbi à ſumma cutis ſuperficie ad inteſtina, & ventriculum vſque, quippiam diſtributum, & attractum peruenire poſſe adnotauit.

Qua de re mirum non eſt, dum aliqua occaſione meatus cutanei obſtructi fiunt, ſeroſum retrocedere excremẽtum, & aliundè excerni. Profecto cutis ipſa, vel à craſſorum humorũ, & ſordium infarctu

in poris ipſis, vel aeris frigiditate, aut naturali conſtitutione ſæpenumero adeò denſatur, vt inſenſibilem difflatum, & ſudores impediat, quo fit, vt, nequeuntes illius reſiſtentia, anguſtiſſimas pororum vias pertrãſire aliò auertantur natura duce, & miniſtro. Quod ſi cutis relaxatur, facilè eſt, vt ſudores erumpant. Inter aliàs enim conditiones ad ſudoris generationem, cutis connumeratur laxitas, & pororum aditus, vt diffuſiùs inferius diſputabimus. Pro illatis tamẽ videre cõſulo Lectorem, Rodericum à Fonſeca 3. Aphor. comm. 6. qui multa in propoſito noſtro adduxit.

Sudor in ægris vitioſorum humorum, vel vtilium humiditatum per corporis cutaneos poros erupta ſenſibilis eſt excretio. Dicitur ſenſibilis excretio, ad differentiam multarum excretionum, quæ in ægris inſenſibiliter fiunt, in colliquatiuis febribus præſertim, in quibus aliquando effluxus ſubſtantiæ per inſenſibilem tranſpirationem cauſatur, vt 1. Progn. Hipp. Harum ſigna ſunt, nares acutæ, oculi cõcaui, collapſa tempora, & cętera in Prognoſt. enumerata. Dicitur vitioſorum humorum, ad denotandum in febribus ſæpenumero ſudores fieri ſecũdum naturam, tunc maximè cum in iudicatorijs diebus morbo concocto ſuccedunt. Dicitur vtilium humiditatum, ad inferendos ſudores præter naturam, qui ab vtilibus humoribus, & ſubſtantificis humiditatibus ſuſcitantur, qui quidem in malignis affectibus, in prauiſq; febribus conſpiciuntur. Dicitur per poros erupta, ad differentiam aliarum euacuationum, quæ in ægris per aluum, vrinas, vomitum, aut abſceſſus procurantur. Ex quibus tria ſudorum genera in languentibus agnoſcere contingit. Vtar verbis Lelij à Fonte conſult. 22. Vnũ à vitioſis humoribus in venis, aut viſceribus, aut habitu corporis collectis prodiens. Alterum ex colliquatione proprij alimẽti partium. Tertium ab expreſſione humidi natiui facta à dolore, aut agitatione ſpirituum. Hac diffinitione, ſtudioſe Lector, bonarũ, & malarum criſium ſudores admodum inter ſe differentes depictos habes. Bonarum enim criſium à natiuo calore morbo debellato, cõcoctis humoribus ſecundum naturam proueniunt. Malarum verò à febrili, & vſtiuo calore, natura languente, cum morbo valido, & cum ſignis cruditatis excitantur, quo tempore licèt exudent infirmi, quia intus remanet materia putris, & vtiles humiditates ad ipſorum perniciem euacuantur, tantum abeſt vt recreentur, vt potius deperdantur.

De ſudoris ortu, & eius materia. Cap. II.

VEniamus modò ad ſudoris generationem, atque in producenda materia, vt expulſioni diſponatur, recipiatq; ſudoris formam, qua vtitur natura, viam percurramus. Indigebat opus talium diſcuſſione, vt ea clariora fierent, quæ tantis controuerſijs in ſudoris diffinitione adnotauimus. Indagamus exordium à corporis coctionibus, vt humorum, & excrementorum illius ſeriem contemplantes, quæ huic maximam argumento præſtant notitiam, huius negotij ſcopum attingere valeamus. Hæ autem, communi Medicorum conſenſu, vno excepto Auerroe, 4. collig. 24. tres in animantium corpore numero reperiuntur.

Prima perficitur in ventriculo, in quo cibus potu ſimul cõmixtus, in candidam materiam ad inſtar liquoris tipſanæ commutatur. Vocatur hæc coctio à ſapientibus, chylus, ad differentiam chymi, quæ maſſa ſanguinis eſt, quã omnis Medicorum ſchola in hepate ex chylo, è ventriculo per meſenterium attracto fieri iudicauit. Eius autem excrementa, tum pituitoſum illud, quod nõ ſolum in ventriculo, ſed in inteſtinis etiam reperitur, tum fœces ipſæ, quæ quotidie per aluũ deijciuntur, connumerantur. Profectò huiuſmodi pituitoſum excrementum à ventriculi temperie, ciborũq; ſubſtantia multam, vel paucam adipiſcitur molem. Si enim ventriculus robuſtus fuerit calore, cibiq; commãſi non duræ, nec frigidioris fuerint ſubſtantiæ, talis excrementi paucitas orietur. Secus in frigido, debiliq; ſtomacho, & eo maximè tempore, cum cibi craſſi, duræq; ſubſtantiæ manduntur. Inde fit, vt in fęcibus cum tale excrementum commixtũ ſuperfluerit, frigiditatem ventriculi, eiuſq; caloris debilitatem Medici pronuncient. Hoc autem natura non ſolum cum alui fęcibus excrementum, ſed etiam vomitu aliquãdo excernit, atque tenuiores eius partes per ſputamina educit. Præter hæc, alia fumida, & vaporoſa excrementa, quemadmodum in cunctis reliquis coctionibus ſuperfluunt, in chyli generatione quotidiana teſtatur ſupereſſe experientia.

Sed curioſa eſt illa inueſtigatio, in qua ventriculi parte prima hæc fiat coctio? Duæ enim ventriculo partes, os ſcilicet, & fundum, attributæ naturæ opificio videntur. Capimus quæſitum hoc a Gal. 5. de loc. aff. cap. 6. Vbi naturam, os ventriculi ſenſile admodum, vt puta

quamplurimos neruos indutum, pro appetentia conſtituiſſe ſcripſit. Pro concoctione autem perficienda vētriculi fundum fuiſſe deſtinatum, qui exculenta, & poculenta medijs qualitatibus, caliditate nimirum, & humiditate, quibns præditus eſt, conqueret, & præpararet. Hac via nobis innoteſcunt cruditatum generationes; fundus enim cum malè fuerit diſpoſitus, illas parat, & craſſos ſuccos, & fęculētos perficit, omnemq; chylificationē inquinat.. Secus agit, qui robuſtus, benè q; diſpoſitus reperitur. Coctionis huius gradus volens Gal. recēſere, 3. de facult. nat. 7. dicebat, coctionem ventriculi maiorem eſſe, quam quæ in ore perficitur; minorem autem ea, quæ in iocinore, & venis conficitur. Ex ventriculi autem temperamento aliæ inſurgunt coctionis differentiæ, videmus enim ventriculum, qui natura eſt calidior; potiſſimum quæ dura ſunt, nec facilè ſuſcipiunt alterationem, melius concoquere, quàm appetere. Quæ tamen facilè alterantur in calidioribus ſtomacis, ob caloris ijs improportionatam potentiam citiſſimè corrumpi quotidiana teſtatur experientia. Ventriculus autem, qui natura eſt frigidior, magis appetit, quàm concoquit; at eos præſertim cibos, qui natura frigidi iudicātur, qui quidem ex eo quod facilè nequeunt alterari, in frigidam mutantur chylificationem ob loci ſimboleitatem: ſæpiſſimè etiam aceſcunt, quo factum eſt, vt vomentes acorem ſæpenumero ſentiamus.

Secunda coctio in iecore fit, cū chyloſa illa ſubſtantia ad illius portas à medio inteſtino, conſtituto itinere, ad ipſum peruenerit. Oportebat autem, vt Gal. 4. de vſu part. 3. adnotatum reliquit, antequā ad hepar chylus deueniret, rudem quādam delineationem, obſcuramq; ſanguinis ſpeciem, venularum reſpectu, per quas tranſmittitur accipere. Quippè ad hoc, ille ducitur officium cum rebus inutilibus, excrementiſq; fęculentis fuerit expurgatus. Iecur autem poſtquā præparatum accepit alimētum, poſtremum ornatum ad exacti ſanguinis generationem ei inducit. Indigebat corpus puriori nutriri ſanguine, ideo in ſecunda hac coctione antequam chymus, ad cauam transfunditur venam, ab excrementis ſuperfluis, tum tenuibus, tum craſſis expurgari conſueuit. Bilis etenim flaua, quæ veluti ſpuma in ſanguine ſupererat ad fellis ciſtulam, & duodenum demittitur inteſtinum; ſuccus melancholicus, quæ chymi eſt fęculentia, ad ſienem, & inteſtina. Humor verò aquoſus à renibus allicitur, in quibus cū è ſanguine fuerit expurgatus, in veſſicam per vreteras expellitur, & fit vrina. Hæc ſecundum naturam, dum ferè ruffa, mediaq; inter tenuem, & craſſam

eſt,

eſt,atque in ea contentum album leue, & æquale ſubſidet, eſſe iudicatur. Hic eſt humor ille ſeroſus,qui ab exculentis,& poculentis adnaſcitur, quorum pars illa,quæ aquoſa eſt, & quæ nec concoqui,nec in alimentum verti poteſt, ad iecur per venas attrahitur, & tandem ad renes, & veſſicam delabitur.

Sanguinem autem,qui pro corporis alimẽto ad venas immittitur, non ſincerum,non penitus humoribus purgatum, ſed aliqua illorum portione commixtum introduci, Gal.teſtimonio 4.de vſu part.6.cõſentaneum eſt. Vtriuſque enim bilis,ſeroſæq; materiæ tantum ſecernitur,quantũ ad ſubleuanda aliqua de ſanguine nocumenta à natura fuerit iudicatum.Quæ verò prius ſecreta à ſanguinaria maſſa eſſe diximus,vtique humorum excrementa reputantur,proinde eorũ opus erat expurgatio. Humores autem ipſi tanquam à lue defęcati cum ſanguine aſcendunt.Portio enim flauæ bilis, quæ cũ ſanguine reſtat, pro nutritionis membrorum conſimilis tẽperaturæ neceſſitate pertranſit.Pro eodem etiam miniſterio humorem duci melancholicum, faſſus eſt Gal.5.de vſu part.7. Inſuper bilis adiuuat,vt cõmodiùs ſanguinis maſſa per anguſtos venarum, & arteriarum meatus pertrãſire poſſit,quippe quammaximè hoc auxilio ſubtiliatur.Succus verò melancholicos craſſitiem,roburq; ſanguini præſtat, vt ille tanquam firmior factus,partes animantium ſolidas valeat confirmare.Seroſus humor non ſine neceſſitate,vtilitateq; ſanguini miſcetur;contemperat enim illum à feruore,lenitq; venarum, & arteriarum, quæ forſitan aliqua humorum acredine partes, ſine illo,corrodi poſſent, atque vltimò, vt maſſa hæc anguſtas vias ad nutritionem animalis poſſit permeare, pro vehiculo deſeruit.

Sed pulchra ſe offert diſcuſſio. An idem ſit ſeroſum, & ichoroſum excrementum? Quæſitum hoc maximi eſt momenti, cùm apud Auctores ſæpiſſimè nomina hæc confuſa reperiamus; Hipp. enim 4.de ration.vic.in acut.cap.1. & Gal. 3.de facult.nat.13. ichorem ipſum, ſerum appellarunt,è quibus fortaſſe locis nonnulli confiſi,vnum pro altero capere voluerunt, vt Altimarus videtur in cap. de ſedimento in vrinis,accepiſſe.Sed pace iſtorum hominum,ſeroſum excrementũ ab ichore longiſſimè abeſſe iudicamus.Serum enim humorum ab exculentis, & poculentis fieri ſecundum naturam, probare minimè arduum eſt. Ichor autem nõ ſecundum naturam eſt excrementum,ſed præter illius ordinem prodiens, è tenui cuiuslibet humoris portione connaſcitur.Omitto Homerum 5.Iliados,qui ichorem Deorum,eſſe

ſan-

ſanguinem intellexit,& Fauorinum,qui ſanguinem coagulatum eſſe credidit. Laudo Platonem, qui forſitan æmulatus Hippocratis ſententiam, in Timæo, ichorem ſanguinis eſſe blandum ſerum, atque acidæ melancholiæ ferum eſſe ſerum adnotauit.

Quod autem differat ichor, à ſeroſo, & aquoſo excremento,facilè eſt monſtrare.Gal. 1.Prorrhet.4.ſerum bilis atræ miſceri cum excremento ſeroſo voluit,vbi ſerum bilis atræ, ideſt,ichorē ab excrementis ſeroſis,ab vrina ſcilicet,& ſudore diſtinguit. Et 1.de ſanit.tuenda, cap.9. ſanguinem optimum nec ſeroſo, nec aquoſo liquore eſſe permixtum voluit, quo loco abſque dubio ſerum diſtinguitur ab ichore, & tamen verſa vice 6.comm.2.com.38. Epidem.legimus,à Gal.ſanguinem proponi ichoroſum,ex quo præter naturam illum eſſe conieĉturamus. Ibi enim Gal.ex eo quod omnis ſanguis ichoroſus fit malus, ab Hipp. quandoq; bonum, ideſt, minus malum vocari aſſeruit. Hinc 1.de nat. hum.4. ichorē in morbis grauibus generari habemus. At præter hæc,manifeſtum habemus locū Gal.in lib.de tumor.prꝫt. nat.cap.2.ichorem eſſe tenuiorem ſanguine,& generari à ſanguine à calore inflammatorio. E quibus præter naturam fieri,atque perinde à ſero humorum differre clariſſimè manifeſtatur.

Sed videamus quid de ichore dicat Ariſt. Hic 3.de hiſt.anim. 19. & 2.de part.anim.4. ichorem, ſanguinem imperfectum vel in ſerum eſſe conuerſum diſputauit, dum illum partem aqueam ſanguinis, vel nondum coctam,vel corruptam eſſe,ſcriptum reliquit. Credidit hic magnus Philoſophus duplex ſolummodo dari ichoris genus, vel per cruditatem, vel per corruptionem factum,atque in ſerum mutatum, ex quo videtur omnia ichoris genera non agnouiſſe.Gal.verò prꝫter citata loca in 6.de ſanit.tuen.ſequutus Hipp.ſentent.8.de placit.c.5. ichoris genera omnia explicauit, dum ichoris nil aliud eſſe,quàm tenuiorem, atque aquoſiorem partem vniuſcuiuſque humoris aſſeruit. Qua quidem ſententia facilè cognoſcimus, tot eſſe ichores, quot in corporis officio humorum ſpecies reperiuntur.Hac de re apud Plat. in Timæo legitur, ichorem ſanguinis eſſe blandum ſerum, ſerū verò melancholiæ, quia cum ichores ipſi ab humorum numero procedāt, ęorumq; qualitate,conſentaneum eſt ex illis, quandam etiam naturā retinere conſimilem. Hinc atræ bilis ichorem infeſtiſſimum, minus infeſtum flauæ, minus pituitæ,mitiſſimum verò ſanguinis appellare poterimus. Hæc Gal. 6. Epidem. comm.2. comm.38. hiſce verbis expreſſit. Ichoroides itaque ſanguis vocatur in ſe prauam, ac tenuē

humi-

humiditatem continens, non aqueam, & morſu carentem, ſed mordacem,& erodentem. Dicente autem Platone. Ichor verò ſanguinis quidem ſerum,mitis: nigræ verò bilis, ſed acidæ ferus. Nobis declaratum eſt,quemadmodum in lacte ſeroſa quædã humiditas eſt,veluti colamentum,& circumfluitans craſſiorem eius partem, eodem ſanè modo in omnibus ſuccis,& humoribus ſeroſum quẽdam, ac tenuem liquorem reperiri. Different autem inter ſe, ſecundum eorũ ſcilicet naturas humorum, quorum ſerum eſſe dicetur , & erit infeſtiſſimum atræ bilis ſerum,minus infeſtum flauę:minus item,quam hoc pituitę: ſed omnium mitiſſimum eſt ſanguinis ſerum,& ichor,nihil enim in præſentia referet,hoc aut illo modo dicere.Ex quibus ichores,partẽ tenuiorem eſſe,quæ in ſubſtãtiam humoris verti nequiuit, haurimus, atque eiuſdem eſſe qualitatis, cuius proprius eſt humor intelligimus. Quia tamen ſeroſo excremento proportione reſpondet, mirum non eſt multoties vnum pro altero vſurpari, vt Galen.3.de nat.facult.13. feciſſe videtur,quando dixit,ventriculum in inedia excrementis impleri,quæ ſint ſanies bilioſa,pituitoſa,& ſeroſa,ideſt,ichor bilis pituitæ,& ſerum. Hæc enim impropriè accepit,quia vẽtriculus tempore famis ſemper excrementa hæc attrahit, quapropter illa ſecũdum naturam eſſe,conſentaneum eſt. Ichor autem contra naturam eſt,quare de veris ichoribus Gal.fuiſſe loquutum, nulla ratio demonſtrat.

Ex Arnaldo Villan.in lib.de regim.ſanit.cap.38.circa ichorum in ſanguine cognitionem ſigna capiuntur,necnon à doctiſſimo Mercuriali in lib.4.var.lect.cap.12.qui hæc attulit.Ideo ſanguinem ex venis extractum cõtemplari oportet; qui poſtea quam coagulatus eſt,duas ſubſtantias tenues monſtrat.Vnam,quę magis eſt in ſumma, quàmue materiam potulentam, & vrinam profitemur; quoniam ſi ſeponatur in vaſe , & vrinæ comparatur, eſt eiuſdem coloris, atque ſubſtantiæ. Alteram,quæ eſt vicinior ſanguinis ſubſtãtiæ coagulatæ,quæue medij quodammodo coloris eſt inter vrinam,& ſanguinem.Hæc igitur ſecũda eſt ichor totius illius maſſę ſanguinis coagulatæ,in qua prout hic,vel ille humor abundat magis,ſic huiuſcemodi ichor huius,vel illius humoris naturam,atque facultatem refert.

Sed curioſus quidam à me poſtulat. An ex qualibet pituita ichor generari poſsit? Credit forſitan fieri à pituita illa,quã primæ coctionis excrementum eſſe aſſeruimus. Cui dicimus,pituitam dupliciter conſiderari,vel humoralem,vel excrementalem. Ichor ab humorali fieri poteſt,non autem excrementitia,quemadmodum illa eſt,quę in

prima

prima coctione generatur; ratio eſt, quia ichores, vt ab humoribus fiant, neceſſe eſt in ijs corruptionem aliquam, vel cruditatem ſuccedere, quod in excrementis hoc fieri incompetit ex eo, quod prius, (caſu ſuccedente) non fuerint, animalis diſpoſita nutritioni, ſicuti cęteri humores naturales exiſtunt. Inſuper ichores, quamuis à Medicis in ſanguinem conuerti poſſe denegetur, ex eo forſitan, quod per eorum fiant corruptionem, nihilominus cum à ſanguine nõ cocto, nec à natura euicto procedant, nulla obſtat ratio eos, in ſanguinẽ per vlteriorem concoctionem mutari non poſſe. Hoc autem in excrementis exitioſum eſt credere, cum in alimentitiam ſubſtantiam nulla coctione, nulloq; naturæ conatu commutari queant. Ichor ergo à pituita illa fit, quæ in ſecunda oritur coctione, quia humoralis eſt, & animal poteſt nutrire; licèt enim diſſimilis videatur à cęteris humoribus, ipſa tamen tam in ſecunda, quàm in tertia coctione ſemper ſuccus iudicatur, nunquam autem excrementum, quemadmodum ipſa natura demonſtrat. Nullum enim fabricauit inſtrumentũ, nullumq; particulare receptaculum ad illam ſuſcipiendam, nam cũ frigida, humidaq; ſit, ac alimentum ex dimidio coctum, voluit illam non vacuari, vt ad perfectiorem ſubſtantiam commutaret. Idcirco in venis ſuũ poteſt, ſicuti reliqui ſucci, habere ichorem. Ex ventilato quæſito, hoc de ichore, & ſeroſo excremento ſtudioſi Lectores vnũ cupio vt habeãt corollarium. Ex ſeroſo excremento, quod eſt ſecundum naturã, fieri ſudorem naturalem; ex ichore autem, quia hic vitioſus eſt, naturalem etiam eſſe. An verò ichor ſanguinis naturaliter excernatur, alibi diſputabimus.

Vltima concoctio, quam partes ſolidæ efficiunt, in ſingulis corporis partibus, pro earum conficiendo alimento exercetur. Huius excrementa tum ea, quæ inſenſibiliter vaporis ſpecie, difflantur, tum quæ paulò craſſiora ſordium inſtar extrinſecus cuti adhærent, connumerantur. Ad hæc ſudores, qui ſecundum naturam, & qui præter naturam exiſtunt. Profectò naturæ ordine excernitur humiditas illa aquea, quam in ſecunda coctione ſuperfuiſſe oſtendimus. Hæc autẽ per vrinas, per ſudores, & inſenſibili difflatu, tanquam oneroſum excrementum expellitur. Perficiuntur tamen ante ſui excretionẽ nonnulla munera, ad quorum officium ipſa potiſſimum videtur inſtituta. Inter alia, vt tum chyli ad epar, tum chymi ad venas vehiculũ eſſet, cognoſcitur deſtinata. In ſecunda enim coctione, quia vena, quæ inter ventriculum, & epar, quæ ad portã terminantur, atq; aliç iecoris,

quæ ad cauam, adeò erant anguſtæ, vt chylus permeare ſine tenuis, liquidæq; alicuius ſubſtantiæ auxilio minimè poſſet, aqueam humiditatem cum chylo permiſcere natura prudentiſſima voluit, vt per vias illas facilior datus eſſet tranſitus. Quo munere peracto, maiorẽ huius humiditatis portionem, tanquam inutilem, & excrementitiam ad renes, & veſſicam demittit; reliquam verò cum ſanguine permixtã ad venas aſcendere conſtituit. Indigebat chymi maſſa ad tranſitum venarum, & ſolidarum partium viarum pro animali nutriendo cõſimili auxilio, quapropter diſtributo, animantis partibus alimento, illius reliquias tanquam ad vlteriora inutiles, oportebat expurgari. Hinc prouida natura aqueum iſtum humorem, ſuccorumq; ſeroſitatem, partim in ſpeciem halitus ab inſito calore ſolutam, partim verò per cutis foramina vehementiori motu non difflatam emittit.

Ex vſu quem præſtat ſeroſus humor in corpore, in eam Medici venere ſententiam, vrinæ, ſudoris, & lachrymarum vnam eſſe materiã. Muniuntur loco Gal. 10. ſimpl. med. facul. vbi hæc affert. Sudor vnus hic etiam eſt humorum in animantis corpore prouenientium, eãdem habens materiam, & eundem generationis modũ, quem vrinæ, ſiquidem vtrunque ex potu conſtat, eo in corpore excalefacto, & biliosæ nonnihil ſubſtantiæ adepto. Muniuntur etiam loco in lib. de hiſt. philoſoph. vbi lachrymas eandem habere materiam, quam ſudores, & vrinæ comprobatur. Theophraſtus etiam in lib. de ſudor. lachrymas, ſudores, & vrinas eiuſdẽ eſſe naturæ, & materiæ, memoriæ prodidit. Quare cõcludunt, ſudorem, vrinam, & lachrymas, quia ex vna eſculentorum, & poculentorum generatur ſubſtantia (quam ſub nomine potus tum 2. de atra bile 2. tum 1. de facult. nat. vlt. & alijs locis Gal. intellexit) idem ferè eſſe, ac vna prorſus ſortiri materiam. Appellant hanc ſerum, potulentam materiam, aut aqueam humiditatem. Nos autem longè hæc inter ſe differre, ac diuerſum naturæ præſtare miniſterium, multis monſtrare nitemur argumentis. Quamuis enim ab vna materia fieri videantur, eiuſdem tamen ſudoris ſerum, & vrinam eſſe naturæ minime confitemur. Sit exordium ab vrina. Hęc merum cognoſcitur eſſe excrementum, quando ſimul cum humoribus in iecore ſeparatur; ratio eſt, quia ad vlteriorem corporis vſum minimè ſeruatur: ſeruatur autem altera pars humoris aquei, quę quia corpori vſum erat præſtatura, vnà cum ſanguine ad venas aſcendere determinatur. Propterea iure optimo ſerum humorum appellari meretur: non enim trahitur à renibus, nec cum reliquis excrementis in epate

expellitur,ſed ob maximam talis ſucci nauræ indigentiam,eiuſq; vtilitatem,nam plurimum diſtat ab vrinæ natura,cum ſanguine ad alendas ſolidas partes concomitatur. Hoc autem à ratione minimè diſſidet,quia nitroſæ, fuliginoſæq; naturæ, & purum excrementum ipſa eſt vrina,ſeroſa verò ſubſtantia nobilioris conditionis,& maiori cum natura familiaritate coniuncta,ex quo ſanguinis delationi per corporis anfractus proficua,& neceſſaria videbatur. Vt enim ſuperius tetigimus,ipſa ſuà humectatione corporis partes attemperat,& humores refrigerat, ne feruore, æſtuq; ebulliant, ſiue ſiccitate dureſcant. Vltimum eius munus,quod nobilius exiſtimatur, dum ad carneas,& reliquas corporis partes peruenit, eſt, humidum rorem reficere: duplici enim indigent membra humido ſubſtantifico, quorum alterum ab humoribus,alterum verò à ſeroſa ſubſtãtia generatur. Craſſum eſt vnum, alterũ verò tenue, eo quia neceſſe erat in corpore & craſſas, & tenues partes deperditas reſtaurari,ad quem finem naturalis appetitus dirigitur. Profectò appetitus,qui ad reſtaurandam partem craſſam humidi deperditi efficitur,fames appellatur;qui verò partem tenuem,& roridam,ſitis vocatur. Hinc ex defectu humidæ ſubſtantiæ humorum fames connaſcitur, ex diſſipatione autem huius tenuis,ſeroſiq; humidi ſitis incompeſcibilis concitatur. Ecce modò,quã grandis eſt differentia inter ſerum humorum,& vrinam, quãdo hanc,merum cognoſcitur eſſe excrementum; illam verò inter alios vſus alimenti vicem poſſidere reperiatur. Sudor autem recrementum eſt huius ſeroſæ ſubſtantiæ, quæ dum ad partes carneas vnà cum ſanguine peruenit,tandiu ibi præeſt,quouſque vltima coctio,& conuerſio ſanguinis in carnem, & aliam ſubſtantiam, roſidiq; humidi refectio perficiatur. Hæc eſt illud,quod bile perfuſum,& à calore maximè extenuatum vel in vapores diſſoluitur,vel in formã ſudoris eijcitur:quod non ſiluit Gal. 1.Aphor. comm.15. vbi, ſudorem magis eſſe à calore elaboratum,quàm vrinã,ſcriptum reliquit. Nec locus Gal.2.de facul. nat.vlt.vbi,ſerum omnino eſſe excrementũ aſſeruit,opinioni noſtræ contradicit,tale enim ſi eſſet,roridam humiditatem vtique non præſtaret. Atque in Gal.fauorem adducere poſſumus,vel principiũ ſeri, vel finem in medium afferre voluiſſe, quo pacto humidam ſeroſitatẽ quodammodo purum excrementum eſſe coniecturabimus. Quo ad lachrymas, id eſſe aſſerendũ,quod de ſudoris materia,& origine narrauimus,puto,quando illæ à ſeri recremẽto fiunt,& per compreſſionem, aut dilatationem venarum, quæ ad caruncular in angulis ocu-

lorum

lorum terminantur, foras educuntur. Sed diuerſo modo in morboſis corporibus ſerum examinatur, quando illud à ſeroſa humiditate diſſimilem nactus naturam, tum in vrina, tum in ſudore differentem qualitatem obtinuit. Sit pro hypotheſi humori cuilibet ſuum ineſſe ſerũ de ipſius humoris ſubſtantia, diuerſum tamen pro humoris diuerſitate, ſiquidem humores omnes ſeroſam habent humiditatem, de qua parumper diſſeruimus.

In morboſis verò corporibus, præter hoc, nouum inſurgit ſerum ex abundãtia, corruptione, vel putredine humorum. Hi ſunt ichores illi, quos ſuperius meminimus, quorum exemplum clarum eſt in languentium vrina. Creſcente enim, vel putreſcente ſanguine, rubram obſeruamus, igneam, bile vitiata, albam, pituita putreſcente, fuſcam, in uitioſa melancholia; nam craſſis partibus coactis, quod in humoribus ſeroſum eſt, ſeparatur, & abundat. Quapropter duplex ſerum in corpore generatur; naturale vnum, quod de neceſſitate in epate generatur, vt cum humorum maſſa ad venas permeat: præter naturam alterum, quod ex abundantia, putredine, vel humoris corruptione efficitur. His præmiſſis, triplicem materiam ſudoribus præſtabimus, prima erit ſeroſa humiditas, quæ ab exculentis, & poculentis fit, hæc enim ſi caloris æſtu ad extrema trahitur, partibus ipſius attenuatis, & excalefactis, in ſudores verti poterit. Secunda erit, recrementum iſtius ſeroſę materiæ; quod reſarcito humido rorido, per cutim erumpit. Tertia materia humorũ ichoroſa erit, quæ à conuerſione humoris alicuius in morboſum ſerum generatur, & in ſudoribus, ſæpenumero criticè, vel ſymptomaticè excernitur. Galenus quando ſuperius 10. ſimpl. medic. facult. materiam ſudoris, & vrinæ eandem, eundemq; generationis modum eſſe profitebatur, de ſanis corporibus loquutus fuiſſe videtur, vt ex antedictis oculatiſſimus Lector percipere poterit.

Sed videtur ſibimetipſi contradicere Gal. nam 1. de ſanit. tuen. 12. ſudoris materiam eſſe quaſdã reliquias cibi ſemicocti, quæ nequeunt aſſimilari parti nutriendæ determinauit; materiam verò vrinæ potũ eſſe, qui pro tranſmittendo alimento vehiculum fuit. Mercatus doctiſſimus, qui vidit hunc locũ tom. 1. part. 3. de humoribus, dixit, Gal. per humorem non coctum, ex parte intelligere potulentam ſubſtantiam; melius tamen dixiſſet, ſudores à ſemicoctis partibus alimenti etiam fieri poſſe; in illis enim reſidet humidum illud, quod potu, ciboq; aſſumitur. Hoc profectò dũ excernitur, facilè eſt, vt tales incocti

cibi reliquias, quæ nutrire nequiuerunt ſecum conducat. Quomodo autem vrinæ ſit materia potus ille, qui pro tranſmittendo alimento, vehiculum fuit, credo me ſuperius ad ſummum determinaſſe.

Sed nouum inſurgit quæſitũ. Vnde ſit, quod in Diaria febre oriantur ſudores, cum hæc nullam habeat materiam præter ſpiritus, qui in rem ſenſibus apertam diſſolui nequeunt? Nonnulli Diariam diuidũt in peſtilentem, & benignam. In peſtilenti, quam dari afferunt Franciſcus Alphanaes in lib. de peſte, cap. 22. Ingraſſia lib. 1. de peſte, cap. 16. Hercules Saxonia lib. 2. de Phenigmis, cap. 3. ſudorem eſſe humidũ alimentale ex venenoſo calore extenuatum conclamant. At Diariã hanc peſtilentẽ, alij verſatiſſimi viri, inter quos Cõciliator eſt diff. 94. negare conantur, ſed perperam namque in Anglia comprobatum inuenio Diariam fuiſſe peſtilentem, quæ ſudoribus tot millia hominũ interfecit. Sed omittamus hanc, & loquamur de benigna. Multi, qui ſpiritus abire iuxta cutim, & in aquam cõuerti cenſent, facilè dirimerent litem. At difficilè creditu eſt, peruſtos ſpiritus in aquam ſic poſſe commutari, quemadmodũ iſti aſſerunt. Stephanus Athenienſis lib. 1. ad Glauconem, dixit, declinante Diaria, ſudores fieri, nam dum ſpiritus iam calefactus excernendus eſt per extimam corporis partem, reperiens in eius meatibus humorem aliquem naturalem, & bonum, illum proprio impetu ſecum ducit, & ſudores mouet. Hac concluſione Stephanus, dum admittit excerni humorem naturalem, & bonum in Diariæ declinatione, idem videtur cenſuiſſe, ac ſi dixiſſet, humidũ nutrimentale excerni, quod falſum eſt, namq; omnes in Diaria benigna, qui ſudarent in virium maximam debilitatem inciderent. Quod ab experientia diuerſum eſt. Itaq; melius dixiſſet, excernere ſpiritus ſuo impetu materiam potulentam, & ſeroſam in venis extenuatam, hoc etenim modo indubitatam concluſionẽ feciſſet. Mercatus tom. 2. in cur. feb. Ephemer. voluit à ſpiritibus calefactis in venoſo, & arterioſo genere, corpus etiam & humores incaleſcere, & conſimili ratione ſudorẽ erumpere ab incremento vſque ad febris declinationẽ.

Sed percurramus cauſam è qua ſudorum materia ad exitum diſponatur. Equidẽ in ſanis præuio calore ſudores ſuſcitari declarauimus, in ęgris verò ex eadem cauſa moueri non eſt dubium, multi autem ſecus ſuccedunt, ex reſoluto nimirum natiuo calore, & virtute emortua, vt in ſyncope, & in ſudoribus à dolore, & anguſtia eruptis experimur. Reſtabat igitur declarari à quo ſudor prorumpatur, & iure meritò, namque poſita ipſius materia, efficiens cauſa inquirenda ſupererat.

pererat. Hic calor eſt, qui humorem attenuat, & ad exitum diſponit. In ſanis ſolum natiuus calor eſt, qui ad cutem tenuiorem partem alimenti, vel in corpore ſuperfluentes humores ducit. Hoc in exercitationibus, & in ſudoribus nocturnis ex ciborum, vel humorum repletione clariſſimè manifeſtatur. In ægris verò præcipuè febrientibus, vel calor natiuus mutatus ad naturam igneam, vel præter naturam tantummodo operatur. A quo elici poſſe cõſentaneum eſt tum ſerum extenuatum, tum alios humores, bilem vtramque, ſcilicet, & pituitam eliquatos, ſeroſa, ſiue ichoroſa excrementa, ſæpè etiam nutrimentale humidum, & carnium humiditates, vt in colliquatiuis febribus ſuccedit, quando natiuum humidum, in quo natiuus calor cõſeruatur, deficit, & diſſipatur. Profectò in talibus pernicioſis affectibus ob corporum exolutionem, & ardoris vehementiam madores, & deſudationes fiunt; reſoluitur enim, & imbecillitatur contentiua facultas. Inde natura ex vi morbi oppreſſa, humidum alimentale, cum retinere nequeat, ad cutim ſinit, humidiorem eius partem ex incendio extenuatam euocari.

Sed ingenioſus quæreret. An calor, qui ſudores mouere habeat, humida, vel ſicca qualitate potiatur? Cui dicimus, in ſanorum corporum ſudoribus, calorem humidum ineſſe, cum quo etiam plurimi ſpiritus commiſcentur, qui venas ingredientes, ſerum agitant, & à calore extenuatum, ad cutim reijciunt. In ſudoribus verò morborum, & febrium, ſiccum eſſe calorem veriſimile eſt, natiuus enim ad ſicciorẽ in ijs commutatur naturam, & hic eſt, qui humores extenuat, & ſudores parit. Intimius autem ſi perſcrutamur negotium, ſudores omnes à natiuo calore habere originem enucleabimus. In ſanis enim, & ſudoribus naturalibus illum eſſe, nulla ratio obſtat, in febribus verò idẽ eſt, ſed mutatus in maiorem calorem. In reliquis affectibus conſimiliter ille eſt, vel debilis factus, vel quaſi emortuus, ex quo aqueæ ſeroſitates, vel vtiles humores, cùm retineri nequeant, in ſudores mutantur. Hac via facilè coniecturamus nonnullos, abſque ope vtriuſque caloris, poſſe ſuſcitari ſudores. Ratio eſt, quia in anguſtijs animi, & perturbationibus, in doloribus, in conuulſionibus, atque timore maximo, quamplurimos non caloris potentia, ſed debilitate retentricis, & caloris ſtupore, & reſolutione exudare aſpicimus. De retentricis infirmitate in Marcello Donato 1. de hiſt. mirab cap. 2. magnũ extat exemplum. Nobili, & Reuerendo viro vrbis noſtræ, quoties comedit, quouis anni tempore, ſiniſtra capitis pars ſemper ſudore copioſo madet,

madet, ſiue frigida, ſiue calida ingurgitet, quod illius partis naturalem debilitatem, ac laxitatem indicat, aſſumpto verò cibo, & potu, corpus totum refocillari, caloremq; foueri per partem, poſt partem non eſt ambigendum.

Conſimiles ſunt ſudores ijs, qui à contentiua debilitata virtute, vel quaſi extincta ſuccedunt. Hi in hecticis, ſyncopticis, cardiacis, ſiue ſtomatichis apparẽt, vt Gal.3.de ſympt.cau.2.loquebatur. Apertiùs tamen in morientibus ex aſſumpto veneno, ex morſu venenoſorum animalium, vel rabie canina obſeruamus. Profectò in his affectibus virtus naturalis citiſſimè moritur, quo fit, vt naturales corporis humiditates cum retineri nequeant, foras exeant, & in ſudores vertantur. In lethiferis febribus, iuxta mortis acceſſum, raró euenit lãguentes abſque tali ſudore emori, quemadmodum Gal.6.Epidem.cõm.4. comm.30.ſcriptum reliquit. Qualis ergo ſudorum materialis ſit cauſa, & qualis ſit efficiẽs, credo me Lectoribus ad ſummum ſatisfaciſſe. An autem calor ſpirituum operatales efficiat, an verò ex ſeipſo excutiat, nondum eſt diſcuſſum, quapropter, vt huiuſmodi quęſitum diſſoluamus, iam ſe offert occaſio. Ariſt.2.probl.1. talem facit quæſtionem. Cur neque intento, neque contento ſpiritu, ſed potius relaxato ſudor proueniat? Equidem in loco hoc Philoſophus de reſpiratione principaliter loquitur, vt Mercurialis in lib. de arte Gymnaſtica 3. cap.6.adnotauit, deſeruit tamen exemplũ in negotio tentato. Soluit Ariſt.quod retentus ſpiritus venas implet, & humorem exire non patitur: ſed vbi per ſpiritus libertatem, ſudorem promouere licuit, multus certè erumpit, quoniam eoipſo retento, copia humoris paulatim collecta eſt. Exemplũ affert in Clepſydra è qua nequit effluere aqua, cùm quis pleno iam vaſe, partem alteram obturauit. Hoc Ariſt.fundamento, credere opoteret cohiberi potius ſudores, quàm moueri à ſpiritibus; ratio eſt, ſecundum illum, quia venas implent, & humores exire non patiuntur. Hoc autem à Gal.admodũ diſtat opinione, qui 1.de tuen.valet. ſudores potiſſimum euocari à ſpirituũ impetu dixit. Equidem cum calore, præſertim naturali, plurimi commiſcentur ſpiritus, qui venas ingredientes ſerum agitant, locumq; in illis occupantes, ſeroſam humiditatẽ expellunt; ipſa enim materia cùm tenuis exiſtat, facillimè eorum impetu excernitur, hi autem cùm mobiles, & velociſſimæ naturæ exiſtant, ad complendum officium hoc minus patiuntur difficultatis. Patet hoc & in naturalibus, & pręter naturam nonnullis ſudoribus, in quibus ſpirituum impetu in uenis, neceſſe eſt

vt materiæ ſeroſæ excernantur, quia eorum locus occupatur. Sed quid ad Ariſt. dicimus, qui oppoſitum aſſerit. Profectò ſi vtriuſq; mentem penetramus, nulli dubium eſt, ambos à veritate nullatenus deflectere, eo quia, ſecundum Gal. ſudores excitantur impetu ſpirituum; ſecundum verò Ariſt. cohibentur, quia occupatis locis humorum à ſpiritibus, facillimè hi venarum foramina diſtenſione obturãt, è quibus ſudores amplius exire nõ patiuntur. Ecce modo, quomodo vtrũque fundamentum validum eſſe poteſt. Veniamus autem ad ſolutionem quęſiti, quod erat, An calor opera ſpirituum, an à ſeipſo ſudores excutiat? In hac re, quia diuerſæ ſunt caloris operationes, à ſpirituũ efficacia, aſſerẽdum puto diuerſimodè ab eis ſuſcitari ſudores. Calor enim attenuat, eliquat, & dilatat humores, qua cauſa ad exitũ diſponit, aperit foramina naturali actiuitate, hinc facillimè excernuntur, & ſudores mouentur; ſpiritus nõ hæc facit, ſed impetu reſudare à venis cogit humiditates, è quibus deinde ſudores fiunt. Ecce modo, quod principaliter à calore naſcuntur ſudores, ſecundariò à ſpiritu. Propterea triplicem ſudandi licet afferre differentiam; cum calore, & impetu ſpirituum; cum calore abſque illorum impetu; ſine calore, & ſine ſpirituum impetu. Prima, & ſecũda differentia tum ſanis, tum ægris poteſt accidere corporibus, vltima ſolum ijs languentibus, qui ſyncope, & à doloribus vexantur, competit, quando ſudores à debilitate contentiuæ virtutis eueniunt, ex humoribus, qui ideo excernuntur, nam nequeunt debitè intra venas contineri.

Explanauimus ergo generationem, & ſudoris materiam, tum in ſanis, tum in ægris corporibus, vt omnia ea, quæ in diffinitionibus allatis videbantur obſcura, hac via, & methodo aperta, claraq; fierent: in præſentiarum verò, vt capiti huic finem imponamus, ad efficaciorem doctrinam, nonnulla dubia ſoluenda ſunt.

Primò. Si ſudor eſt materia ſeroſa, & potulẽta, cur Gal. 1. de ſanit. tuen. dixit, ſudorem eſſe excrementum tertiæ coctionis? Reſpondet Gordonius in ſua practica. Sudorem ſecundum materiam in ſecunda fieri digeſtione, qua cauſa dicitur materia ſeroſa, ſeu potulenta; ſecundum verò formam in tertia digeſtione fieri, ex qua re dicitur illius excrementum, vt tenuit Galenus.

Secundò. Si ſeroſæ materiæ, maior pars tendit ad veſſicam, minor verò ad cutim, cur ergo, qui multũ mingunt, multum interdum etiã ſudent? Reſpondetur, quòd ſecundum naturam ſemper vrina debet eſſe maior ſudore; ſi tamen ſecus accidit, fieri poteſt ex colliquationi-

bus

bus humorum præter naturam, qui per vrinam, & ſudores immodicè excernuntur; hinc fit, vt ſæpè, qui multum mingunt, multum etiam ſudent.

Tertiò. Si ſeroſæ materiæ maior pars tendit ad vrinam, cur volucres bibentes non mingant? Reſp. volucres volatu conterere vniuerſam potus humiditatem, & ob id non reddere vrinam, ex Mercatu in tom. 1.

Quartò. Si ſeroſa materia eſt illa, quæ vrinas facit, & ſudores, cur animalia in latebris degentia mingant, & non bibant? Reſp. animalia in latibulis degentia, vrinam reddere, quia craſſis abundant ſuccis, qui calore attenuati, in aquam vertuntur, & per vrinam ducuntur. Ex eodem.

Quintò. Si quotidiè vrinam reddimus ex proportione potus, cur non ſudemus etiam proportione ſeri immiſſi ad venas? Reſp. quia maior pars ſeroſæ humiditatis ad renes tendit, reliqua quæ exigua eſt, ſæpè inſenſibiliter excernitur, aliquãdo etiam ad renes remigrat, & ſic ſudor non videtur proportionatus materię immiſſæ ad venas.

Sextò. Si eandem dicitur materia ſudoris, & vrinæ, cur vrina retineat aliquas qualitates materiæ potulentæ, vel cibalis; ſudor verò nequaquam? Reſp. vrinam retinere aliquas exculentorum, & poculentorũ qualitates ratione maioris vicinitatis, & minoris ſelectionis; ſudorẽ verò nequaquam, quia eſt magis elaboratus, & mundificatus.

Septimò. Si ſudor excretio eſt naturalis, excrementi ſeroſi, cur pueri, qui maiorem huius excrementi ex ingluuie portionem, quam in aliis ętatibus generant, parum, aut nihil exudent? Reſp. quòd pueri per vrinam, & per aluum ſeroſa hæc excrementa deponunt, quia cutis foramina adhuc patentiora non ſunt. Hoc autem volebat inferre Gal. 2. de temper. cap. 5. quando dicebat, paruos pueros nudos eſſe pilis, quia meatus cutis adhuc nullus erat. Propterea quia in talibus natura loca congrua, vt per cutim ſerum humorum deponat, minimè habet, idcirco per aluum, & veſſicam illud excernit.

De ſudorum cauſis vniuerſalibus. Cap. III.

OPportuna occaſio inſurgit, quæ ad cauſarum ſudorum vniuerſalium diſputationem nos impellit. Eam enim ſcribendi rationem profectò ſemper æquam exiſtimaui, quę in inſtituti conſecutione, & in eius materijs digerendis

perfe-

perfectam methodum retineat. Requirebat compoſitionis noſtræ ordo,vt poſt ſudoris deſignatam originem,de eius vniuerſalibus cauſis loqueremur. Nos autem vt ad eas perſcrutandas accingamur, ab earũ recta diuiſione principium capiemus. Illæ equidem,vt ex Scriptoribus noſtris, vel philoſophico fundamento mouemur, vel eſſentiales, vel accidentales, ſiue intrinſecæ,& extrinſecæ exiſtunt. Hac diſtinctione Gal. 1.de differ. feb.1. vſus eſt, cum febrium ideas indagare voluit. De vtriſque igitur cauſis in inſtituto ſudorifico percurramus.

Gordonius in cap.de ſudore,volens eorum cauſas deſignare, ſcriptum reliquit, ſudorem,qui venit à cauſis intrinſecis communiter,& vt plurimum magis venire de nocte,quàm de die,magis hieme,quàm æſtate,magis in ſomno,quàm in vigilia. Sudorem verò qui ab extrinſecis cauſis procedit, magis de die, magis æſtate, & in vigilijs, quàm ex oppoſitis cauſis contingere.

Cauſæ eſſentiales ſudorum,quia digniores ſunt, & magis accidentalibus certæ,requirunt,vt de eis primum fiat inueſtigatio. Hæ autẽ numero quatuor ſunt. Materialis, formalis, efficiens,& finalis, quia tamen eas intendimus ſudoribus naturalibus, criticis, & ſymptomaticis applicare,idcirco ab iſtorum diuerſitate, diuerſas illarum naturas declarabimus. Sit exordium à naturalibus ſudoribus.

Profectò validiſſimis rationibus à nobis probatum eſt, materiam in ſudoribus naturalibus ſanorum eſſe ſeroſam illam humiditatem, quæ à cibis,potuq; oriens,tum chyli ad epar,tum ſanguinis ad venas fuerat vehiculũ, aliter ad membra nutrienda tranſire ſanguis nequiret,vt 4.de vſu par.cap.5.Galenus dicebat. Hęc materia ab aliquibus materia potulẽta,vel ſeroſa,ſerum humorum, & ſeroſum excrementum fuit vocatum,de quibus in præſentiarum non eſt diſcutiendum, ſatius enim eſt rerũ eſſentiam ſcire,quàm de nominibus diſceptare. Hæc igitur cauſa materialis,naturalis ſudoris eſt,quia autem ab exculentis, & poculentis procedit, iure merito à nonnullis pars tenuior humidi alimenti fuit vocata. Non ſic rudis, & informis materia hæc ſudoris formam recipit, ſed primo adeò extenuatur, & elaboratur à natiuo calore, vt ad illius formam conſequendam idonea reperitur. Quò fit vt non ſolum ipſa à cute excutiatur,ſed ſæpè etiã craſſæ materiæ,reliquiæq; incocti alimenti,& ſuperfluentes humores cũ ipſa. Quemadmodum enim & chyli,& ſanguinis fuerat, ita huiuſmodi excrementorum ad exitum eſt conductrix, & vehiculum. Hinc excre-

menta hæc omnia, quia per poros cutaneos per modum ſudoris excernuntur, cauſæ etiam iſtius materiales vocari conſueuere. In alijs verò corporibus, quæ nõ integra ſanitate fruuntur, ſeu à morbis corripiuntur, materiales cauſæ ſudorum eſſe ſolent, quædam aqueæ humiditates, & materiæ, vi caloris ex venis extractæ, quæ modò ſolæ, modò cum ſeroſa materia foras educuntur. Inſuper humores ipſi, & eorum ichores, & in aliquibus vtiles corporis humiditates, & alimentitiæ, carnium colliquationes ex mordaci, adurenti, & venenato calore miniſtratæ. Hæ ſunt in vitiatis corporibus, & malè affectis, materiales ſudorum cauſæ. Rariſſimè autem per cutis foramina excernuntur ſine materiæ ſeroſæ admixtione, eo quia vel iſtarum vehiculum eſt, vel quia cum illis commixta hæc ſeroſa materia, non eſt à propoſito alienum, vt foras etiam cum illis educatur.

Medici nonnulli cauſam ſudorum materiam explanare cupientes, illam eſſe repletionem humiditatis cibalis, vel humoralis in corpore genitam cõtendunt, qua ſententia in ſanis arguunt eſſe membrorum excrementũ, in ægris verò humores extenuatos, bilem ſcilicet vtrãq; pituitam, ſanguinem, & alias humorũ, & corporis humiditates, adeo quod triplex, ſecundum iſtorum materialis cauſa colligatur: vna à vitioſis humoribus in venis, aut viſceribus, aut habitu corporis collectis prodiens: altera ex colliquatione proprij alimẽti partium: tertia ab expreſſione humidi natiui facta à dolore, vel agitatione ſpirituũ. In ſanis verò, aut alimenti eſſe ſobolem, aut potus largioris, aut à copioſo ſero alimenti vehiculo materiam hanc emanare tanquam à triplici cauſa aſſeruerunt, ita videbantur quoad cauſarum numerum aliquid oſtendere commercij inter ſana, & languentia ſubeſſe corpora. In qua autem corporis parte materialis cauſa ſudorum principaliter reſideat, curioſum eſt inueſtigare, quando non in vno loco illa recollecta foras excernitur: ſed per multas diſſeminata particulas vehementiori motu ad cutaneos meatus ducatur. Equidem ſudor primò à corporis habitu erumpit, ſecundò à venis, atque maioribus arterijs, poſtremò per ſucceſſionem ab omnibus corporis particulis, nonnullis exceptis, euacuatur; propterea materiales has ſudorum cauſas in hiſce reſidere locis credere oportet. Iſtæ enim primò tertiam corporis regionem euacuant, deinde ex continuatione profundiores corporis partes, & per conſequens vniuerſum corpus expurgant. Hoc volebat Gal. inferre, quando 4. de ſanit. tuen. 4. ſudorem notam eſſe ſuccorum, qui in vniuerſo abũdant corpore, vrinam verò eorum, qui

in venis decretauit. Hoc etiam 1. de ſanit tuen. cũ dicebat. Venarum autem, & arteriarum excrementum tale eſt, quale in lacte concreto ſerum, hoc renes à ſanguine ſecernentes, ad veſſicam tranſmittunt, & inferius Reliquum excrementorum genus in ſingulis animalis naſcitur particulis, ex ipſo, vnde aluntur ſucco, aliud quidem ceu ſe nicoctæ quæpiam reliquiæ, quæ aſſimilari nutriendæ parti nequiuerunt, aliud quod prius tranſmittendi alimenti fuit vehiculum, nunc functum officio humidum, tenueq; ſupereſt. Hæc itaque ſunt loca, in quibus omnes ſudorum materiæ conſiſtunt, & è quibus tum in ſanis, tum in ægris ſudores eliciuntur.

Cauſa efficiens in ſudoribus, principalis, calor eſt, in naturalibus, & ſanis corporibus equidẽ humidus eſt, & innatus; in morboſis ſiccus, & ſqualidus: de vtroque diſſeramus, primò autem de innato. Hic calor profectò, qui naturalis, & innatus dicitur, omnium noſtri corporis operationũ opifex, & miniſter iudicatur, ab eo enim quatuor virtutes miniſtrantes prodeunt, attractrix nimirum, retentrix, concoctrix, & expulctrix; quibus bonum à malo, & vtile ab inutili ſecernitur, quo ordine excrementorum ſegregatio à corporis alimentis reſultare videtur. Equidem ab expulctrix malum expellitur, à retentrice verò bonum retinetur, vocatur actio hęc ſegregatio, quam cęteris facultatibus Auerroes adiunxit 3. colleg. & Galenum reprehendit, quod illam ignorarit. Sed indebitè Gal. incuſatur, namque in lib. de diff. ſympt. cap. vlt. eiuſdem tacitè, & ſub nube meminerit. Non enim Gal. ſecretionem diſtinctam à cæteris facultatem eſſe voluit: ſed eſſe effectum retentricis, & expulctricis virtutum, quando illæ rectè operantur. Hic calor, ſeu natura ipſa, hiſce facultatibus miniſtrantibus ſeroſa excrementa, & humidas materias, quæ ſudoris materiæ ſunt, ab vtili corporis nutrimento ſeiungit, & per poros expellit. Duplici autem ordine ad earum excretionẽ vtitur: eas enim vel per poros cutaneos elaboratas, & extenuatas (facta prius ab vtili nutrimento ſeparatione) miniſtra expulctrice excernit, vel in vapores reſoluta, inſenſibiliter euacuat. Illæ autem ſi cutis reſiſtentia, vel aeris algore denſantur in aqueum humorem rurſus cõuertuntur, & per cutis meatus emittuntur: vel ad venas regurgitantes ad renes, & veſſicam continuatim trãſmittuntur, & per vrinam exeunt. Capitur hoc à Gal. 1. de potent. nat. vlt. Id quod potatur nutritioni ineptum, per vrinę excernitur, præter exiguum quodam, quod per ſudorem, & inſenſibilem transpirationem emittitur. Quomodo autem intelligatur inſenſibilis

diffatio; atque quomodo cutis,vapores reſolutos condenſare poſſit à nobis ſuperius diffuſiſſimè dictum eſt. Calor ergo efficiens cauſa ſudorum principalis eſt; cùm enim robuſtus,& validus fuerit, corporis excrementa ſeroſa per vrinas, ſudores,& per inſenſibilem tranſpirationem expurgat, & hic ſudor verè naturalis eſt.

Cauſa efficiens minus principalis,ſpiritus illi eſſe poſſunt, qui cum calore commiſcentur. Hi dum venas ingrediuntur,motu vehementi ſeroſum expellunt excrementũ,& per cutim tranſcolari permittunt, ſunt ſpiritus, vt voluit Gal.3.de facult.nat.14. pars omnium, quæ in corpore reperiuntur tenuiſſima,& ferè imperceptibilis ſenſibus: oculis tamen ſe oſtẽdunt,cũ è venis ſanguis mittitur: exhalationes enim, & vapores vnà cum illo exeunt, & multo plures in arteriarum apertione, atque iſti ſpiritus ſunt,teſtimonio Gal.6.de vſu par.17. Hi celerrimè mouentur,atq; huc,& illuc per corpus ab anima impelli poſſunt,quapropter facultatum animæ miniſtri eſſe dicũtur,vt 3.de loc. aff.7.Gal.dixit. Illæ enim,vt ſuis fungantur muneribus,ſpirituũ opera indigent,cuius rei maximum eſt experimentum, nam ijs extinctis, aut interclufis robore deſtituuntur,& à ſolitis officijs abſtinent. Propterea natura plures effinxit canales, vt Gal.11.Method.med.1. per quos ſpiritus pertranſirent, & facultatum munera exequi poſſent. Profectò cum naturali calore magnã ſpiritus conformitatem habent. Ille enim partim inſitus,partimq; influens eſt: à pari ſpiritus ipſi partim inſiti ſunt,partim influunt. Inſeruntur ſpiritus à principio,quãdo generantur corpora ex ſemine,& ſanguine,influũt verò à viſceribus, vt inſitus ſpiritus, qui in paruis meatibus omnium corporis partium reſidet animæ facultatibus eius adminiculo perfectiùs inſeruiat. In ſanguine, & ſpiritu calidum innatum continetur, quo factum eſt, vt in ſudorum eruptione, ſpiritus cum calore commixtus tanquam vnà è cauſis efficientibus connumerari queat. Eius ſubſtantia maximè ab ignea,& aerea materia oritur, & nutritur, vt Gal.5.de placit.cap.3. idcirco tenuiſſima eſt,& facilè per ipſius partes penetrare ſolet.

Medici, vt genera quæ ſub ſpiritu comprehenduntur, inuenirent, facultatum, quibus inſeruiunt, numerum attulerunt; ſunt enim illæ tres, Animalis, Vitalis,& Naturalis,inde tria ſpirituum genera inſurgunt,Animale, Vitale, & Naturale. Primum generatur in cerebro, alterum in corde,tertium in iecore:iuxta quas partes ſolet eorũ ſubſtantia diuerſificari ſecundum loci qualitatem. Naturalis enim ſpiritus craſſior, & humidior eſt. Vitalis calidior, ſiccior, & tenuior.

Ani-

Animalis ſiccus,& tenuis;vitali verò minus calidus. Sunt omnes tantæ præſtantiæ in perficiendis naturæ muneribus, vt iure animæ inſtrumenta à Gal.7.de placit.3.fuerint vocata.

Sed alter in corpore noſtro generatur ſpiritus longè à naturali diuerſus,qui enim ſecundum naturam oritur, tenuis,& purus eſt, ac aerem ſerenum repręſentat.Hic cauſa ſalutis eſt,& animantium partes nec nimis implet,nec diſtendit. Succedit alter craſſus,& impurus ad inſtar caliginoſi, & nebuloſi aeris, qui non eſt cauſa ſalutis, cùm à natura admodum ſit alienus. Vocant hunc Medici ſpiritum flatuoſum, ſiue flatum,cuius agens,& materia diuerſam habent originem à ſpiritus naturalis generatione.Equidē ſicuti ſpiritus ipſi oppoſiti iudicantur,ita eorum generationis cauſas diuerſas habere debent. Calor innatus, cùm fortis,& robuſtus eſt, ſine dubio ſpiritus puros,ſynceros, & ſecundum naturam excitabit, è contra ſi erit infirmus, & debilis; namque eius facultas,cui erit miniſter,debilis etiam erit; ſpiritum generabit obſcurum,turbidum,& præter naturam.Materia ſpiritus ſecundum naturam, maximè aerea,& ignea erat; huius verò craſſa, & frigida eſt, fit enim à craſſis,& frigidis humoribus, cibis,potuq; naturæ ſimilis,& flatuoſis: idcirco naturæ inimicus maximoperè iudicatᷣ.

Sed quæſiti ratio poſtulat in præſentiarum,vt a quo potiſſimum ſpiritu ſuſcitentur ſudores inueſtigemus. Profectò Galen.1.de ſanit. tuen.12.ſeroſum excrementum à ſpiritu maiore impetu irruente ſudores ad exitum impelli probauit;quia autē ſudoris genus ſecundum naturam expreſſit, ab impetu naturalium ſpirituum ſudores ſuſcitari aſſerendum puto: ratio eſt hæc,quia naturali calori, & ſanguini temperato plurimi ſunt ſpiritus commixti, hinc facilè eſt,vt alij etiam influentes magno impetu venas ingredientes, ſerum humorum expellant,& ſudores moueant. Non enim à iudicio hominum eſt alienum, illorum ſubſtantiam per anguſtiſſima corporis foramina velociſſimè poſſe pertrāſire, cùm ea omnium noſtri corporis, pars ſit tenuiſſima, & facilis penetrationis perinde, quod non euenit materiæ terreſtri, & aquoſæ. Propterea cum calore ſpiritus commixtus in venis ſeroſum excrementum modò agitatione, modo verò ex loci occupatione extra venas impellit,& per habitum corporis ſinit euocari.

Cùm itaque naturalis hic ſudor à naturalium ſpirituū impetu oriatur,nulla ratio obſtat, criticos, & iudicatorios ſudores ab eorundem impetu, & cauſis moueri poſſe: ſi enim ſudores critici à natura mouentur, vt vitioſorum humorum fiet expurgatio, neceſſe eſt credere

hos

hos vtiles eſſe, & à calore naturali erumpi ad morbi profligationem, cumq; ſpiritus ſint animæ inſtrumenta, naturæq; fidi miniſtri, nemo erit ſic fatuus, vt dicere audeat, à naturalibus ſpiritibus ſudores elici non poſſe. Quanto enim quidpiam naturæ iudicatur moleſtius, tanto ad eius expulſionem calorem natiuum, ſeu naturam, ſpiritus, & facultates promptius moueri perſuadendum puto. Moueor magis ad hoc credendũ, quia in iudicatorijs ſudoribus de neceſſitate maior eſt impetus ſpirituũ propter natiui caloris feruorem: ipſi enim dum magis incaleſcunt, velocius percurrũt, & venas ingredientes, humores agitant, & vnà cum calore ad excretionẽ ſtimulant. Hac via nonnullos ſudores præter naturam etiam fieri poſſe credibile eſt, non autẽ omnes, cùm benè à nobis fuerit probatum, quamplurimos præter naturam ſudores nec à calore, nec ab impetu ſpiritus moueri: ſed ex viriũ imbecillitate, contentiuæq; facultatis languore, vt in hecticis, ſyncopticis, & ſimilibus ſuccedit. Sed an etiã ſudores à flatuoſo ſpiritu fieri poſſint, diſputabile eſt. Hic enim dum à frigidis humoribus flatuoſis, frigidiſq; edulijs oriatur, facilè eſt credere ob molis craſſitiẽ ad inſtar naturalis auguſtiſſimas vias difficulter pertranſire, & motu, ſeu veloci impetu ſudorificas materias impellere, experimento comprobatur; quia ſpiritus hic in cauis corporis locis, vacuiſq;, vt plurimum moratur capacioribus craſſo aere, vt ſtomacho, inteſtinis, vtero, vacuis circa pleuram, & abdomina, & conſimilibus, rarò in locis calidioribus, quia ab ijs diſſipatur, & diſſoluitur. Propterea ad ſudorum eruptionẽ non videtur poſſe admitti, niſi forſitan credere velimus, ſudores à venis exprimi poſſe propter aliquam diſtenſionem, aut compreſſionem à flatuoſo ſpiritu factam, qua ſudorifica materia ad exitum impellatur, vel quod ille in venis à debili calore adortus impleat venas, ſeroſaque excrementa excernat.

Tertia cauſa, quę inter efficientes connumeratur expulctrix facultas eſt; hæc enim facta ſeparatione boni à malo, & vtili ab inutili, nutrimento ſeroſum excrementum, vel in vapores diſſolutum expellit, vel ſub forma ſudoris euacuat. Eſt cauſa hęc inter minus principales, quæ ſudores efficiat, ſubijcitur enim tanquam ſerua calori innato, qui natura ipſa eſt; ſicuti cæteræ aliæ facultates, propterea licèt videatur tanquam ſudorum proxima cauſa expulſionis a venis ad cutem, nihilominus à calore illo ſicuti à domino, vt tale opus perficiat, gubernatur. Hinc ſuccedit vt dum ipſa à calore naturali conſeruatur, rectas perficiat operationes corporis, & vitæ neceſſarias: malas verò,

quãdo innatus calor deprauatur, eo quia vel oppreſſa humoris vitioſi mole, vel prauæ eius qualitatis ſtimulo irritata, abſque naturæ ordine mouetur facultas hæc ad expulſionis officium. Sed non eſt cum ſilentio pertranſire duplicem in corpore conſtitutam eſſe expulſtricem, vnam quæ in vniuerſo viget venoſo genere; alteram, quæ cutis, & ſubiectæ carnis habeat mundandæ tutelam. Hoc non tacuit doctiſſimus Mercatus tom. 1. in cap. de ſign. criticæ euacuationis.

Hæc autem omnia perperam tẽtari exiſtimo, niſi cutis ipſa rarior, & laxior fuerit; ſi enim ſtricta, ſi denſa, vel eius foramina connixerint, aut obſtructa fuerint, è quibus excrementa excerni ſolent, nullũ præuideo euacuationi ſudorum aditum ſubeſſe. Propterea pororum cutis apertio, meatuumq; dilatatio requiritur, vt cauſa efficiens ſudorũ ſcopum adipiſcatur; ſiquidem dato, & conceſſo, quod ſeroſum excrementum, aqueæ humiditates, vel humores ipſi extenuati, & à calore elaborati reperiantur, dum cutis adſtricta fuerit, non video vnquam ſudores excitari poſſe; illis enim exitus non patet. Quà re cutis apertio cauſa eſt, vt commodè ſudores erumpant, ex quo cauſa coniunctiua vocari meretur; ſine hac enim ſudores non fiunt. Sed videamus vnde cutis raritas, pororumque apertio ſuccedat.

Pori aperiuntur, & cutis laxior redditur à caloris potentia inter alias cauſas. Eſt ſiquidem hoc ſanis, & ægris corporibus commune, in vtriſque enim ab interioribus corporis partibus ad ſuperficiẽ vis caloris transfunditur, quo fit, vt cutis ipſa dilatetur, & eius foramina calidum illius ſufflitum ſentientia aperiri cogantur. Porrò caloris eſt dilatare, aperire, extenuare, & relaxare; proinde ſi eius operationes circa cutim verſantur, nullum relinquitur ſudoribus impedimentum. Hic autẽ ſi naturalis fuerit, placidè, benignèq, operatur, relaxat enim cum moderantia, & cum amicitia, & tutela ipſius corporis aperit. Sin igneus fuerit impetu, violentiaq; vim ſuam exercet, propterea inter illum, & naturam nulla reperitur conformitas, nullus amor, ſed diſſonantia, & odium. Hoc profectò in ſudoribus ipſis experimento comprobamus, dum enim à calore naturali mouentur, omnes prodeſſe cognoſcimus; ſecus à præter naturam calore: ſiquidem omnes praui, & infideles ab eo ſuccedunt.

De cauſa efficiente in morbis ſic ſtatuendum eſt. Morbi vel ſunt ſalubres, vel lethales. Si ſunt ſalubres, à virtute natiui caloris ſuſcitari non eſt dubitandum, quando natura ſuperfluos, & vitioſos humores per cutis foramina excernit. Habemus hoc à Gal. 3. Epidem. com. 3.

comm. 4.

comm.4.cùm dicebat. Sed quemadmodum didiciſti,interdum vt ſuperfluitatis humorum in corpore malorum ſymptomata excerni,interdum expurgante natura. Cùm enim in morbis,& febribus humorum peccantium fit concoctio,ratio perſuadet ab innato calore,non autẽ ab illo,qui contra naturam eſt fieri, ideo ſi morbo concocto ſuccedunt ſudores ab innati opera excretos eſſe credẽdum puto, ex eo, quod non ad tantam ſiccitatem deuenerit, vt prorſus vires ſuas amiſerit,quia,vt dicemus,calor præter naturam ramificatur à calore naturali,vt benè Auerr. 3.collig.4. Non enim datur febris,niſi calor hic magis ſui natura accendatur, ob id ſapienter doctiſſimus Augenius lib.5.tom.1.epiſt.2. diſputauit,magnitudinem febris inſequi multitudinẽ calidi innati. Nam quæ eſt ratio,quod in iuuenibus fiant febres acutæ,minimè verò in ſenibus,in quibus ſepultę ſunt,vt 1.Aphor.15. non ob aliud, quia in iuuenibus magnus eſt natiuus calor, ex quo poteſt eius accenſio magis ſentiri; debilis in ſenibus,& perinde ſepultus eſt ſenſus caloris. Gal.in hoc propoſito 3.Epid.ſect.1.comm.8.apertè ſcribit,cùm natura enecatur, & extinguitur inſitus calor, tales ſolere affectiones incidere,non ſecus ac partes,quæ defluxione mala in tumorem aſſurgunt; vbi natura præ imbecillitate, ſeu infirmitate haud quamquam attingit concoctionem humoris,qui excitauit tumorem, nam cùm generatur (inquit) pus,dolores,ac febres fiũt,quod natiuus calor humores tumoris auctores tranſmutat,cùm autem hic à concoquendo omnino abſtinet ex imbecillitate,magna febris nec vnquam, ſed parua ſolum ſentitur. Calor ergo natiuus eſt ſudorum cauſa efficiens in ſalubri morbo, adiuuatur etiam à ſpiritu, facultate, & cutis apertione, vt in ſudoribus in ſanis corporibus fieri aſſeruimus.

Cauſa efficiens in morbis lethalibus,calor pręter naturam eſt.Hic de natura ignis circumſcribitur, & principalis cauſa iudicatur,ſecundaria verò impetus ſpiritus,facultas,& cutis ipſa. Calor innatus cum à calore præter naturam conuincitur,vel augetur ad exuberantis incendij qualitatem,vt contingit in magnis febribus vtique placidã naturam amittit, proinde excrementa modò indigeſta, modò violẽter, & indiſcretè euacuat; ſæpè etiam tantæ feritatis, & potentiæ hic calor reperitur,vt adipes,& pinguedines corporis in oleoſitatem reducat,& carnes colliquet,ſudoreſq; colliquatiuos,& mortiferos exuſcitet: ratio eſt hæc,nam ſicuti præuio naturali calore,tum in ſanis,tum in ægris ſegregationes fiunt boni a malo, & vtilis alimenti ab inutili excremento,& conuenientes excretiones parantur, à pari ex pręter natu-

naturam calore innatum ſuppeditante, tantum abeſt, vt bonæ perficiantur operationes, vt potius tyrannica fiant opera, tanta eſt huius caloris prauitas, & malitia. Differamus de vtroque. Duplex in nobis calor reperitur, innatus nimirum, & aduentitius. Innatus conſeruandi, aduentitius verò corrumpendi facultatem habet. Patet hoc tum apud Hipp. 1. Aphor. 14. tum apud Ariſt. 4. meteor. cap. 1. quando aſſerebat naturalem calorẽ corrumpi ab alieno. Hinc fit, quod in rebus, in quibus calidum verſatur, poſſit & ſecundum naturam, & præter naturam eſſe; innatum enim, & congenitum, ſeu inſitum ſecundũ naturam vocatur, alterum verò, quod eſt aduentitium, præter naturã; quemadmodum 4. 6. Epidem. 25. Hipp. vocauit. At Galenus aduerſus Lycum, appellauit ſpurium, & Ariſt. alienum calidum aduentitium, vt demonſtrauimus.

Materia caloris vtriuſque in triplici verſatur ſubſtantia, ſolida ſcilicet, humorali, & ſpirituoſa; differunt autem hæc inter ſe plurimum, origine, qualitate, & actione; ſiquidem innatum calidum in vitæ primordio ex ſemine, ſanguine, & ſpiritu nobiſcum oritur, atque duplex eſt, inſitum vnum, alterum influens. Dicitur inſitum, quia à partibus ſolidis noſtri corporis productum eſt; influens verò id vocatur, quod in corporis partes à corde, iecore per venas, & arterias transfertur, vt quæ in potentia erant partes, ad actum peruenirent: ſiquidem influens veluti inſiti calidi, quod potentia eſt, iudicatur forma. Propterea inſitum, quod vim materiæ retinet, ſeu in potentia tale eſt, ad actum per influens calidum reducitur. Hinc ex vtroque vnum componitur, quod naturale vocamus, nam naturales corporis operationes agit, ad quarum opus tum inſitum, tum influens concurrit.

Calidum aduentitium non à vitæ principio nobiſcum oritur, ſed ætatis mutatione victus ratione, & à circumfuſo aeris calore potiſſimum naſcitur, proinde in naturalis confinio ſæpenumero conſiſtere iudicatur, eo quia dum moderatum eſt, innatum calidum fouet, & coadiuuat: dum autem moderantiæ terminos excedit, innatum non fouet, non adiuuat, ſed potius extinguit. Profectò ſi vtriuſque qualitatẽ caloris perpendimus, vnum ab altero longè differre examinabimus: innatum enim calidum humidum eſt, atque lenes vapores edit; aduentitium verò ſqualidum, atq; acres expirat exhalationes: proinde moderatum iudicatur eſſe innatum, aduentitium verò magna ex parte immoderatum, & igneum. Ex bonitate itaque innati calidi dicimus vitam noſtram ſuſtentari, & corporis partes conſeruari, ab aduẽtitio

G autem

autem conſumi, & putrefieri; quod eleganter demonſtraſſe videtur Ariſt. 4. Meteor. 1. in putredinis diffinitione, quando interni caloris interitum ab externo illam eſſe dicebat. Fuit equidem tanto Philoſopho ſententia digna; nam calor externus putredinem parit, quam internus prohibet. At calidum innatum, quia nō idem numero ſemper permanet, temporis ſpatio ad ſicciorem naturā commutatur, hinc ſępè accenditur; eius autem ſiccitas partim per ſe, partim verò per cauſas externas, quales ſunt illæ, quæ febrem accendūt, procreatur; propterea tanto minus ſuaue eſt, quanto ſiccius redditur; quod ſi ad tantam deuenerit ſiccitatem, vt igneum factum vitæ muneribus officiat, proculdubio calidum præter naturam, & exitioſum appellatur. Hac via efficientem cauſam ſudorum in malignis affectibus facilè eſt conіecturare.

At negotium hoc, ſicco agitari ſilentio nequaquā exiſtimo, eo quia in magnis morbis, atque malignis febribus, optimas criſes, optimos ſudores, & optimas excrementorum excretiones ſæpiſſimè fieri videmus, nec ab alia cauſa efficienti, quàm à calore præter naturam id perfici poſſe coniecturandum eſt, cùm illud in valde morboſo corpore vires ſuas potiſſimum exerceat. Dicant hoc conuulſi, qui neruorum diſtinctionē patiuntur, num in febris acceſſu liberentur? Dicant ſani, qui repente dolore capitis capiuntur, & ſtatim muti fiunt, an pereant, niſi febris apprehenderit? Habemus de his exemplum in 4. Aphor. 58. & 6. Aphor. 51. ex Hipp. & Gal. Quare aduentitium calidum, & præter naturam commodi, & vtilitatis potius, quàm detrimenti in morboſis corporibus ineſſe videtur. At res aliter ſe habet, cùm ab illo, vtiles operationes difficile eſt vt contingant, ideo videamus, amabò, an illud ita ſemper obeſſe poſſit, vt nunquam conferat. Vtamur in hac re duplici poſitione. Prima, calorem præter naturam directè, & ex ſui natura ſemper ad nocendum inclinari, tunc autem præcipuè, cum talem corporis inuenerit diſpoſitionem, vt nocumenta ſua recipiat. Secunda, indirectè, & per accidens calorem ipſum talia corporibus iuuamina afferre poſſe, vt à morbis releuentur, & in priſtinam ſalutem conuertantur. Declaremus ambas poſitiones.

Calor præter naturam tunc directè ſuas poteſt exercere operationes, cùm corpus diſpoſitum ad ſuam prauam qualitatem recipiēdam habuerit; quale verò ſit illud, Lector abeat Gal. in lib. de differ. morb. per totū. Quod ſi corpus, eius qualitatem non modò ſuſcipit, ſed ſuas virtutes tabeſcētes habuerit, proculdubio natiuus calor deperditur,

& emo-

& emoritur, quia aduentitius calor ipſo potentior eſt: quo tempore ſi ſudores, vel iudicia contingunt, lethalem fieri criſim nemo dubitauit. Oppoſitum arguimus cùm in morbis innatum calidum eſſe robuſtum aſpicimus, eiuſq; virtutes validas perſiſtere, quippè tẽporis progreſſu emoritur aduentitius, & innati calidi bonitate ſudores optimi, fideleſq; criſes ſuſcitantur. Itaque innatus ſemper ad ſalutem, aduentitius verò ſemper ad corruptionem corporis inclinatur. Quod ſi in pugna, & iudicijs morborum caloris pręter naturam ope per ſudores, vitioſi humores, & maligni educuntur irritata virtute expulſtrice à copia, vel acri illorum qualitate, è quorum eductione ſalus animantis perueniat vtiq; à calore illo accidentaliter contingiſſe cõfitebimur. Innati enim caloris ſolum eſt ſanitatem adducere. Illius autem officiũ nocere tantum eſt, & non conferre, quod ſi iuuare ſuccedit, adeo, quod languentes in melius commutari videantur, non ei ſalus attribuenda venit, ſed quia vitioſa materia, & nociua fuit educta; qua deficiente, aduentitij vires, quæ in illa fundabantur, deficiunt, & innati caloris virtus, cuius proprium eſt, aduentitium exterminare, & putredines inhibere conſurgit. Sed nec propterea aſſerere oportet, duos in febricitante adeſſe calores, vnum innatum, alterum aduentitium: ſiquidem calor cum ſub vna reſtringatur ſpecie, & ſub vna materia, non video quomodo ad maiorem poſse reduci numerum; nam licèt quoquo pacto aliquibus duplex videatur, ex eo ſuccedit, quia eius materia plures caloris poteſt accipere formas, illæ autem ſub vna ſpecie ſemper copulantur.

Quoad ſecundam attinet poſitionem. Aduentitium calorem multoties corporibus proficua auxilia ſuppeditare non eſt ambigendum; ſanat enim neruos reſolutos, & diſtentos ſanat, & torpentes, & nonnullis, Hipp. teſtimonio 7. Aphor. 52. ſuccurrit doloribus. Quare non videtur tantæ eſſe malitiæ, vt præter naturam vocari debeat, ſed potius naturale opus, eo quod munera naturæ exequitur, & perficit. Profectò calor hic ſub ratione ſpurij, & externi, ſemper lædit, & conſumit, præcipuè partes ſibi qualitate conſimiles: cum autem agit in partes diuerſas ſuarum operationum exercitio poteſt quandoque adiuuare. Hinc fit, vt affectus, qui ab immoderato frigore, à crudis, & congelatis ſuccis, vel à flatu proficiſcuntur, à tali adiuuentur calore, ex eo quod hic tanquam oppoſitus concoquit, & diſſipat. Non enim verum eſt, ſpurium calorem ideo hos ſanare affectus, quia aduẽtitius eſt, ſed potius quia crudis ſuccis, & flatibus oppoſitas habeat vires.

Propterea quando eius calor excellens eſt,ſanat quidem frigidũ affe-ctum,ſed occidit animal; nam ardore immoderato corporis actiones labefactat, & vires deſtruit. Idcirco Medici in huiuſmodi caſibus febres laudant Diarias ex ſpirituum accenſione,quæ calore quodãmodo moderato crudos ſuccos concoquant, & flatus diſſipent; timent verò putridas, eo quod calore magis valido corpora torquent, & diu perſeuerare ſolent,de qua re vide Gal.6.Aphor.51. Hæ autẽ quando ſalutares ſunt,poſſunt nonnullis frigidis morbis prodeſſe,vt in epilepticis euenire Hipp.demõſtrauit, quos ſi à quartanis febribus capiuntur,ſanari voluit. Ego quidem epilepticum obſeruaui à quartana,quã per menſes aliquot paſſus eſt,minimè fuiſſe ſanatũ; ex quo Hippocratis nonnulla oracula ſempiternæ eſſe veritatis haud eſſe ſolido confirmaui iudicio. Aduentitium ergo calorem,& præter naturam directè, & per ſe ſemper obeſſe: per accidens verò conferre, atque ſalutem aliquando inducere, credo me apertiſſimè demonſtraſſe.

Sed redeamus ad inſtitutum. Calor præter naturã quando in morbis eſt cauſa efficiens ſudorum, quanto maior fuerit, tanto tenuiores, liquando,& diſſoluẽdo ſolet reddere humores,hinc facilè per omnes etiam anguſtiſſimas vias tranſire poſſunt. Si autem in eo caliditas augetur, acredo,vel mordacitas non ſolum extenuat, ſed colliquat corporis partes. Hic calor triplex ſtatuitur à doctiſſimo Horatio Augenio lib.6.tom.1.epiſt.1. Elementalis,Putridus,& Peſtilens. Elementalis, qui ſimplex calor dicitur, calefacit,& deſiccat per ſe, quemadmodum & reliqui:at hic vltra hoc nihil efficit. Putridus materiam ad corruptionem præparat,quod eſt putrefacere.Peſtilens autem pręparatam materiam corrumpit prorſus: hoc enim proprium eſt munus ſeptici caloris,ad eum ſcilicet ſtatum deducere materiam,vt omnino ſit illi impoſſibilis regreſſus ad priſtinũ ſtatum, aut certè maximè difficilis.Sed videamus modò,cũ calor hic vires ſuas auget,& fit intenſior adeo, vt non ſolum humores extenuat, ſed colliquet carnes, ex quo ſudores facit colliquatiuos, quæ principaliter ſint partes illæ, quæ colliquationem patiuntur, ita profectò acceſſus dabitur ad eorum morborum declarationem, in quibus colliquatio talis ſuccedit,vt ſudores illos pariat,quos colliquatiuos appellamus.

Pinguedinem habent ſanguis venarum,renes,& totum corpus, cũ ergo colliquatiuos ſudores aſpicimus,adipem, pinguedinẽq; abſumi, aut ſanguinis,aut renum,aut totius corporis ſupponere oportet.Hoc in colliquatiuis vrinis,per quas colliquatæ materiæ fluere ſolent,etiã

ſuppo-

ſupponitur;hæc enim colliquatio modò per aluum,modò per vrinas, modò per ſudores elici conſueuit. Quando autem ſanguinis venarum adeps,renum,vel totius colliquatur,doctiſſimus Augenius disertè diſputat lib.7. tom.2. in cap.de vrinis colliquatiuis, ad reliquum verò, quod hæ partes pinguedinem habeant, adeo manifeſtum eſt, vt demonſtratione caſus non indigeat.

Veniamus modò ad eas colliquatiuas febres,ex quibus ſudores colliquatiui, à nonnullis Diaphoretici appellati,originem ducere cõſueuere. Hæ in triplici mentiuntur,vt bene eodem loco Augenius diſſerit differentia. Quædam ſunt colliquatiuæ ardentes, non peſtiferæ, quædam colliquatiuæ peſtilentes, & quædam colliquatiuæ hecticæ. Voco ardentes colliquatiuas, nam in eis ſumma caloris præter naturam vis permanet,adeo quod licèt ſolidas cordis partes inuadat, maiore inferunt nocumenta ex ardore,quàm putredine; eius enim calor ignis naturam ferè acquirit, ob id in gracili corporis habitu, vbi humores tenues, & facilè diſſolubiles exiſtunt, genus hoc febrium ſuccedere comperimus.

At febres hę in duplici verſantur genere,nonnullis enim ſenſibiles conſpiciuntur colliquationes,quibuſdã verò inſenſibiles. Tunc porrò fiunt inſenſibiles colliquationes, cùm maximè tenues fuerint, tum primarij,tum ſecundarij humores, corpuſq; admodum rarum, & diſſolubile,ac caliditas ignea ſummum caloris attingerit gradum.De his loquutus eſt Hipp. 1.Progn.quando aiebat. Naſus acutus, oculi concaui collapſa tempora,frigidæ,contractæq; aures,& imis partibus leniter verſę,cutis circa frontem dura,intenta,& arida,totius faciei color,aut niger,aut pallidus,aut liuens,aut plumbeus. In hoc autem loco Hipp. Medicos quammaximè admonet,num talis facies à vigilijs, inedia, vel alui profluuio ſucceſſerit aſpiciant; occaſio enim hæc minus conſueuit afferre periculi,quod ſi ab ij ortum non habuerit,ægrũ in mortis periculo verſari prędſagit.

Aliud talium genus eſt, in quibus ſenſibiles colliquationes conſpiciuntur, vel per inferiorem ventrem, vel per vrinas, vel per ſudores excretæ: de his Galen. 10.method.med. cap.vlt. 1.de differ.feb.8.& 3.Epidem.3.comm.34.& in alijs multis locis loquutus eſt. Sed curioſum eſt ſcire differentiam inter ardentes febres, & ardentes colliquatiuas. Ardentes enim febres duobus patognonomicis ſignis cõſtituuntur, ardore nimirum maximè vrenti, ſitiq; incompeſcibili, nec in ijs colliquationes per aluum, vrinas, aut ſudores exeunt, nam hoc colliqua-

quatiuarum ardentium proprium eſt,de quibus Gal.3.de cauſ.ſympt. cap.2.ſic dicebat.Si autem,quod liquatũ eſt,craſſum ſit,qualeq; renes trahere non poſſunt, totum in ventrem neceſſariò confluit. Carnoſo verò generi ità colliquato,tum venter fluxionem eius recipit, vbi ſcilicet ea eſt craſſior,tum ſudores multi ſuperueniunt, vbi in halitus eſt reſoluta.Et parum ſupra dixerat. Quod autẽ ex ea colliquatione prouenit,alias ad ventrem confluit,alias ad vrinas, alias ad ſudores pellitur.Hoc inter ardentem febrem,& ardentem colliquatiuã intereſt.

Secundum genus colliquatiuarum febrium illud eſt,quod colliquationem ſibi annexam, tanquam proprium, & inſeparabile ſymptoma habet,eamq; Gal.peſtilentem appellat,vt planè conſtat ex 3.Epidem. ſect.3.comm.57. Et peſtis quoque illa longiſſima, quæ noſtra ætate vulgata eſt, ex ijs, quæ per aluum vacuantur, omnes propè peremit, quæ vacuabantur erat colliquatio,quod quidem eſſe ſymptoma videtur in perpetuum febris,quam peſtilentem priuatim vocitant,cũ mortales, vel citra peſtem corripiat. Vt autẽ ex Gal.capitur 3.de pręſag. expulſ.4. duo peſtilentium febrium genera reperiuntur; quædã enim abſoluto vocabulo vocantur peſtilentes; quædã verò peſtilentes hecticæ. Primæ,vt ibi diſtinguit Gal.à corruptiua humorũ proueniunt putredine,qui in finibus cordis continentur.Secundæ verò ex putredine è qua cordis corpus inficitur,proinde peſtilentes,& hecticæ vnà ſunt; Peſtilentes ex eo,quod habent putredinem; Hecticæ verò,nam ſolidę quoque detinentur partes. Ex his elicimus,non in omnibus peſtilentibus colliquationem reperiri, ſed in ijs duntaxat, quæ hecticæ ſunt,eo quia colliquatio ſolidarum partium potiſſimum carnis,& adipis calorem igneum eſſe in ſolidis partibus firmatum ſupponit.

Tertia ſpecies colliquatiuarum febrium, in ijs colliquatiuis fundatur, quæ Hecticæ dicuntur, in quibus modò ſenſibiliter,modò inſenſibiliter talis adeſt colliquatio. In primo enim, & tertio gradu huiuſmodi febrium inſenſibiliter colliquata materia diſcutitur: ſenſibiliter verò in ſecundo; ratio eſt,quia humiditates illæ corporis tenues,quæ in primo gradu liquari ſolent,efferueſcentes,vaporis ſpecie diſſoluũtur, atque inſenſibiliter euaneſcunt. Conſimiliter fit in tertio gradu; ob magnam enim partium ſolidarũ ſiccitatem, ſenſibus noſtris, quod colliquatur occultari conſueuit. At in ſecũdo gradu, quia adipes,pinguedines, & caro ipſa colliquari ſolẽt, ſenſibiles colliquationes ſępiſſimè demonſtrantur, quæ vel per aluum, vel per vrinas,vel per ſudores excernuntur,potiſſimum autem cum adeps,quæ inflammabilior,

& diſ-

& diſſolubilior eſt colliquatur; nam carnis colliquatio, vt plurimum ſenſum latet. Proderit in propoſito quæſito differentiam illam examinare, quæ inter ardentem colliquatiuam, & Maraſmodem incidit: capitur hæc ex Gal.2.method.med. Ardens enim colliquatiua ſenſibiliter carnem in ventrem liquat, Maraſmus verò inſenſibiliter; ratio deſumitur tum ex caloris qualitate, tum ex carnis conditione; nam ſi calor eſt valde adurens, & ſubito, & violenter ſolidas inuadit partes; profectò ſenſibilem ex illis liquationem facit: ſi verò temperatior eſt, paulatim agit, proinde in ſpeciem vaporis colliquatum diſſoluit. Caro autem vbi pinguior, tenerior, & humidior fuerit ſenſibiliter; ſicca verò dura, & arida inſenſibiliter liquatur.

Sed percurramus materias, quæ in hiſce febribus colliquantur, atq; roboremus ea, quæ ſuperius in hoc negotio à nobis adducta ſunt. Equidem, quod colliquatur aut eſt ſanguis in parte potiſſimũ pinguedinoſa, vel adeps, vel caro, vel ſecundæ humiditates. De colliquata ſanguinis pinguedine loquutus eſt Gal.3.de cau.ſympt.2. Carnis colliquatio aliquando ſenſibilis eſt in ardẽtibus; inſenſibilis verò aliquando in hecticis. Adeps autem ſemper ſenſibiliter colliqueſcit. At calor, qui carnem colliquat, feruentiſſimus eſſe ſolet; moderatior verò, qui adipes, & pinguedines, feruentiſſimus autem, dum ſolidas inuadit partes, ſi carnem liquare poterit, tanto facilius pinguedinem, & adipes diſſoluere; & colliquare præſtabit, quia humidiores, & tenuiores carne ipſa reperiũtur, & proinde magis inflammabiles, vt 1.de differ.feb. Gal. aſſerere videtur, dum probat adipem, & pinguedinem corporis noſtri ſolidas partes exiſtere. Si ſecundæ humiditates colliqueſcunt, quia illæ tenues ſunt, in vaporis ſpeciem diſſoluuntur. At, quales appareant iſtæ materiæ colliquatæ, & cur modò bilioſæ, modò albæ virides, ſubcroceę, vel alterius coloris, in cap. de ſudoribus guſtabilibus, in lib.2. huius operis diffuſiſſimè diſputabimus. Noſtrum enim in hoc cap. fuit inſtitutum, colliquatiuas febres tangere ſolummodo, vt in ijs efficientes ſudorum, & materiales cauſas indagaremus.

Cauſæ efficientes minus principales in morbis, atq; in febribus potiſſimum ſpiritus virtus, & cutis eſſe ſolent. Impetus enim ſpirituum in aliquibus præter naturam ſudoribus illorum cauſa iudicatur, quia materiam ſeroſam excrementitiam, humores extenuatos, vel alias humiditates propellit. Equidem in venis ſpiritus locum quęrentes, caloreq; commixti materias in venis agitant, & è venis exire cogũt. Hoc autem non eſt perpetuæ veritatis, in multis enim corporibus ſine ſpi-

rituum

rituum impetu,ſineq; calore ſudores exudare conſueuere,ex imbecillitate nimirum virium,vt iam inferius dicemus.

Si erit virtus, vel expulſtrix, vel retentrix erit facultas. Si expulſtrix,ſudores cauſabit cum immoderatè mouebitur. Motus autem occaſio, Gal.teſtimonio 3.de cau.ſympt.9. ſuccedit,quoties illa vel à nimia humorum copia aggrauatur, vel à mala excrementorum qualitate acri,mordaci, & infeſta proritatur. Ipſa enim dum irritatur percupiens exonerari,nec potens ſarcinam illam ſuſtinere, ſiue eius acrimoniam breuiſſimo quidem perferre tempore, cōfeſtim eijcit, & per ſudores expellit.

Si erit facultas retentrix,ex ipſius defectu profectò ſuccedēt ſudores. Ipſa ſiquidem imbecillis reddita propter frigidam intemperiem, vt voluit Gal. 1.de præſag.expulſ. cap.4. humiditates noſtri corporis excrementitias,vel alimentales regulare,& retinere nequit. Diſſipato enim,ac ferè extincto naturali calore, vt in ſudoribus hecticorum, & in ſyncopticis,& in morituris ſuccedit: facultas hæc adeo debilitatur,& emoritur,vt quicquã amplius retinere nolit. Inde ſudores ſuccedunt tum ex vtili,tum atque inutili materia,eo quia à virtutis defectu intra venas retineri non potuerunt. Hoc propoſito loquebatur Hipp.4.Aphor.52. de lachrymis inuoluntarijs, quando à debilitate, & contentiuæ defectu ſuccedunt, indicans malum hoc prauum eſſe, & abſurdum.

Si cutis erit cauſa ſudorum, ex laxitate, & pororum apertione hoc exequi poterit: quomodo autem ipſa laxior fiat,atque quomodo pori aperiantur, tum ex dictis, tum etiam ex dicendis credo me Lectoribus adamuſſim ſatisfacturum.

Formalis cauſa ea à Philoſophis eſſe dicitur, quæ actio eſt agentis, & quod exiſtit in patiente, quapropter pauca dicenda occurrerent, cum de cauſis agentibus tum in ſanis,tum in ęgris corporibus diffusè tractauerimus: qui enim caloris natiui,& aduentitij actiones penſitabit,vtique ſudorum formalem cauſam inueniet. At ſi non formã hanc, ſed forſitan linearem affectum, & figuram ſudorum extrinſecã inueſtigare cupiet (ſolent enim ſudores vel ad inſtar guttæ,vel ad formã milij,vel ad figuram vndæ, ſeu pluuiæ, vel alterius figuræ prorumpere) in lib.3.in cap.de ſudoribus criticis, & in 2.in cap.de ſudor. à qualitate ſumptis rationem inueniet. Finalis cauſa ſudorum, ſicut in naturalibus animalis conſeruatio eſt: ſic præter naturalium illius internecio eſt; quemadmodum enim calor natiuus à præter naturali, & ſudor

natu-

naturalis, ab illo, qui eſt præter naturam, differunt, ita finis naturalis operationis, à fine, quæ eſt præter naturam, longiſſimè diſtant.

Cauſæ efficientes ſudorum, quę accidentales, & externę eſſe dicuntur, variæ exiſtunt, omnes tamen, vt plurimum, præuio calore operātur; qui cum poſſit vel digerere, vel extenuare, & ſubtiliare humores, & excrementa, & ad cutē ducere, erit in cauſa, vt ſudores excitentur. Hæ autem quia in duas differentias metiuntur, eo quia illarum aliquę internè, aliquæ verò externè exercentur, ideo duplicem de ijs digreſſionē habebimus. Accidentales cauſæ, quę internè dicuntur operari, ab ijs originē habent, quæ per os ſumuntur, hæc vel alimenta, vel medicamenta, vel venena ſunt. Si ſunt alimenta, neceſſe eſt, vt virtutem calidam obtineant, vt penetrare, atque calefacere poſſint, hac via ſudores elicient. Huiuſmodi generis erunt vinum potens, ius cicerum, iura piperata, carnes animalium potentia calidæ, plurimus potus, & comeſtio, ex qua repletio cibalis fiat, & augeatur ſeroſa humiditas, embammata ex aromatibus confecta, abſonia, & fercula commixta varijs pulueribus calidis, pipere ſcilicet, cinnamomo, gariofilis, & ſimilibus. His, ſudores excitantur, quia corpus calefit, humores, excremēta, & aqueæ humiditates attenuantur, & ad euacuationem per cutim diſponuntur. Si ſunt medicamenta, ea opus eſt, vt exiſtāt, quæ ſint tenuium partium, & poteſtate calida, & aperientia. Talis generis habentur, Syrupi de radic. de Bizantijs, de ſalſa parilla, de China, ligno ſancto, ſaſſafras. Vinum roris marini capparorum, cardui benedicti calaminthæ. Decoctio rad. capparorum aſſari, hyſſopi, thymi, pulegij, & aliorum ſimplicium huiuſmodi ordinis. Inſuper infinita alia medicamenta parantur ad ciendos ſudores; de quibus in cap. de ſudorum apparatu diſſeruimus. Venena, quæ ſudores parturiunt, vel calida, vel frigida eſſe ſolent. Omnia per os exhibita, calorem natiuum mortificant, & diſſoluunt, & conſequenter virtutes corporis eneruāt, quo fit, vt contentiua facultas langueſcens, humores vtiles, & inutiles, & alias humiditates non potens retinere, per cutis foramina relaxet. De his vide Iacobum Pudericum de corpore venenato.

Cauſæ accidentales externæ innumeræ eſſe poſſunt, vt aeris caliditas, Sol, ignis, ſtuphæ calorificæ, balnea tum naturalia, tum arte parata, motus, coitus nimius, venti meridionales, nimia corporum operimenta, arenę calidæ, vinacea calida, vnctiones ex oleo de aſſaro, vel ſemine ferulæ. Vnctiones ex hydrargiro cum pinguedinibus paratæ, & infinita alia remedia, quæ ad hoc parantur, vt in cap. de apparatu

ſudorum diximus. Omnes tamen iſtæ cauſæ penetrãdi vim habent ad internum corporis,atque extenuandi ſeroſum excrementum, humores,& aqueas humiditates,& ad cutẽ ducendi, vt Gal.3.Aphor.com. 6. & 10.method.med.cap.10. Cauſæ accidentales extrinſecùs aduenientes, ſunt etiam morſus venenoſorum animalium, aſpidis ſcilicet, viperæ,ſcorpionis,& canis rabidi,& aliorum animalium talis naturę. Hæc corpora percutiendo radios veneni per venas, & arterias ad cordis oſtia tranſmittunt, & veluti venena per os aſſumpta mortificant,& diſſoluunt natiuum calorem,& facultates corporis occidunt, è quibus languentibus facilè eſt,vt ſudores erumpant.

De ſudorum diuiſione. Cap. IV.

ADeò progreſſi ſumus per facultatis ſudorificæ campum ſpatiantes,vt ad ſudorum diuiſionem deuenimus, caput equidem admodum neceſſarium,& vtile;ex illorum enim diuiſione eorum differentias,& conditiones aſſequimur. Antequam autem ad negotij ſummam veniamus, ex induſtria illam non vulgarem diſputationem ventilare conabimur, An ſudor naturalis ſit euacuatio? Quod quæſitum cùm à multorum caligine vindicauerimus, anſam præbebit, vt commodiùs inſtitutum proſequamur.

An ſudor ſit euacuatio naturalis?

TOta quæſtio hæc ex Dioclis Medici clariſſimi opinione originẽ habuit,qui (teſtimonio Gal.1.Aphor.comm.15.) tenuit,ſudores omnes eſſe præter naturam; quam, vt perſuaderet intentionem, hoc medio vtebatur. Excrementa,quæ purgantur à tertia noſtri corporis regione,vel per inſenſibilem tranſpirationem,vel per ſudores excerni ſolent,quando inſenſibiliter excernuntur, neceſſe eſt vt à validiori agente fiant,ad hoc vt poſſint adeò extenuari,& ſubtiliori,vt vaporis formam recipiant,ſed hoc agens aliud nõ eſt,quàm calor natiuus,igitur ad cauſandum inſenſibilem difflatũ opus eſt, vt validus, robuſtus, & optimè ſit conſtitutus:ſi enim debilis eſt,cum non poſſit excrementa inſenſibiliter diſcutere,per ſudores excernit.Hoc medium Dioclis videtur, ſudores omnes præter naturã eſſe,validiſſimè probare; ratio eſt,quia ex impotentia natiui caloris nequeuntis excremẽta diſſolue-

re in halitum fiunt ſudores;ex illius robore,& fortitudine autē inſenſibilis euacuatio illorum, ergo ſudores non ſunt naturales. In huius gratiam nos alias adducemus rationes, quibus eius intentionem confirmabimus. Primò.Cùm calor natiuus robuſtus eſt,ſudores fieri non debent,ſed ſic eſt,quod in hyeme eſt validus,& robuſtus,vt Hippocr. 1.Aphor.15. ergo tunc fieri non debent; ſed non fiunt; igitur verum eſt à valido calore nō ſuſcitari excrementa in ſudores,ſed in vapores. Secundò. Cùm calor debilis eſt, non poteſt excrementa diſſoluere in vaporē,ſed in ſudores; ſed in æſtate eſt debilis, vt Gal. 1. Aphor.com. 18.ergo tunc ſudores maximè mouet;quia autem tempore hoc,ſudores magis erumpunt, ergo verum eſt ſudores fieri à debili calore, & proinde illos eſſe præter naturam. Tertiò. Sudores ſunt præter naturam, quia violento motu erumpunt; probatur clauſula teſtimonio Gal. 1.de ſanit. tuen. cap.12. qui, ſudorem erumpere violento motu ſolutum à calore decretauit; ſi ergo violenter, neceſſe eſt vt præter naturam fiat.

Hinc Medici modò adhærentes Galeno, modò pauidi ex ſolida Dioclis ratione, obſcurè quæſitum hoc,& ſicco pede pertranſiuerūt, eo magis,quia ipſe Gal.3.de differ.ſympt.vlt.valde probabilē Dioclis opinionem eſſe fatetur;nihilominus eſſe duram,& contra rerum euidentiam, quare pro dirimendo illius medio, pollicitus eſt ſe aliquādo ſcripturum,non fecit tamen,ex quo maiorem attulit ſuſpitionē,quod illius opinio eſſet vera,cum ibi confutare noluiſſet. Poſſumus tamen credere,ex ipſius Gal.verbis in ea ſentētia fuiſſe,quod Dioclis opinio falſa eſſet. Viderūt hanc difficultatem Valleſius lib.5.controu.cap.2. Valleriola in com.lib.de diff.ſympt. Manardus lib.15.epiſt.1.Mercurialis in lib.de ſudore,& alij. Qui omnes(pace tantorum virorum)minus apertè,quàm par erat,negotium hoc exagitarunt.Sed tempus eſt vt ea afferamus,quæ in tanta difficultate explicanda vtilia fore coniecturamus.

Profectò inter alios,qui nodum hunc in medicina diſſoluere conati ſunt, Marcellus Donatus fuit,vir equidem magnæ prudentiæ, & obſeruationis. Hic 1.de hiſt.mirab.cap.2.tam doctè,& apertè difficultatem hanc explicauit, vt iure cōfiteor cunctis in hoc negotio eſſe præferendum. Ita ſummam quæſiti ruminauit. Medicam artem in tres veluti ordines eſſe digeſtam,in rerum naturalium,non naturalium,& præter naturā tractationem,omittit quartum à Fernelio excogitatū, qui eſt cōtra naturam,tanquam perperam adiunctum,vt Argenterius

in com.artis med.redarguit. Res naturales diuiduntur in Elementa, Temperamēta, Humores, Membra, Facultates, Actiones, & Spiritus. Præter naturales ſunt Morbus, Cauſa, & Symptoma. Non naturales verò Aer, Cibus, & Potus, Somnus, & Vigilia, Excreta, & Retenta, Motus, & Quies, & Animi accidentia. Has Galenus vocat cauſas ſalubres, nam ſi in corpore rectè adminiſtrantur, ſanitatē conſeruant; ſin minus opportunè, peruertunt. Cùm itaque Gal. inter res non naturales, excreta, & retenta reponat, de iis excrementis, quæ in nobis gignuntur intelligere veriſimile eſt; ſiquidem ea cùm retinentur, aut excernuntur, mutationes in nobis efficiunt. Si enim rectè, & ſecūdùm ordinem naturæ è corpore excernuntur, corpus in ſanitate conſeruant: ſin contra, morboſum reddunt. His ſuppoſitis (ait Marcellus) cùm ſudor inter noſtri corporis excrementa reponatur, verèq; excrementum ſit: vtique ſi ſecūdum naturam è corpore trudetur, naturalis dicetur, & erit, & corpus iuuabit; ſin verò alio modo præter naturam erit, & corpori officiet, ita quod ſudor quilibet, vel naturalis, vel præter naturam erit. Hæc Marcellus, cuius ſententiam, qui benè recolit, abſque dubio veriſſimam, & in Galenica diſciplina admodum verſatā reperiet. Ille enim in lib. de diff. ſympt. cap. vlt. ſudorem criticum, eſſe naturalem, & ſymptomaticum, eſſe prçter naturam, bene demonſtrauit. Hoc etiam aſſeruit 3. Epidem. comm. 3. com. 41. quando dicebat. Sed quemadmodum didiciſti, ſudores, & deiectiones interdum, vt ſuperfluitatis humorum in corpore malorum ſymptomata excerni, interdum expurgante natura. Poſſumus etiam dicere, ſudorem dupliciter poſſe conſiderari, vel reſpectu cauſæ euacuatæ; vel modi euacuandi. Primo modo euacuatio ſecundum naturam eſt, vt Gal. in lib. de ſectis, cap. 9. aſſerens, ſudorem, & vrinam, naturales eſſe euacuationes, nam quod à natura fit, naturale eſt, ſed ſudoris hæc excretio naturæ eſt actio, ergo ſudor hoc modo cōſideratus, naturalis eſt euacuatio. Secundo modo præter naturam eſſe poteſt, nam reſpectu modi euacuandi, ſudor poteſt eſſe præter naturam, cùm à virtute debili, & à nimio calore prçter naturam fieri poſſit.

Veniamus modò ad Dioclem, qui ſudores quoslibet præter naturā fieri aſſerebat, vtiq; eius opinio falſa ex narratis manifeſtatur, eo quia calor natiuus, vtcunque validus, & robuſtus fuerit, excrementū ſeroſum nūquam adeò attenuare poterit, vt totum in vapores abeat; ratio eſt, quia in omni excremento datur tenue, & datur craſſum; tenue poteſt difflari, ſed nō craſſum, nam eſt craſſioris molis. Inſuper per Dioclem

clem veniret neganda vrinæ excretio in hominibus probè ſanis, fundamentum eſt hoc, quia ſudoris, & vrinæ eadem eſt materia, quod ſi homines bene conſtituti, ex calore innato per inſenſibilem tranſpirationem excrementa reddere debent, ergo & vrinam etiam, quod eſt ridiculum, nam animus vtcunque ſanum fuerit, & calorem natiuum quantumuis robuſtum habuerit, vrinam ſanè reddere viſum eſt, & etiã ſudare. Inſuper, quod eſt fortius contra Dioclem, calor innatus quanto eſt robuſtior, tãto plures facit ſudores, & minores tranſpirationes inſenſibiles, eo quia ad faciendam ſudorificam excretionẽ requiritur motus quodammodo violentus, vt Gal. 1. de ſanit. tuen. cap. 12. Hic violẽtior eſt, cùm calor eſt magnus, & fortis; debilis, cùm calor eſt debilis; propterea cùm calor eſt magnus, ſecundũ naturam ſudores facit, cùm autem eſt debilis, vel nullos cauſat, defectu vigoris nequeũtis expellere ſerum, vel pauciores, & ſæpiſſimè præter naturam; nam ex eius debilitate facultatibus naturalibus ſuccedit langueſcẽtia, ex qua relaxantur humiditates corporis, & in ſudores erũpunt. Concluditur ergo falſam eſſe Dioclis ſententiam, ſudores omnes fieri præter naturam, cùm apertiſſimè cognoſcamus illum ſecundum naturam, & præter naturam ſuſcitari. Sed ſoluamus obiecta noſtra, quæ in gratiam Dioclis adducta ſunt. Ad primum dicitur, quòd ſi hyeme minus ſudamus, non id fieri ex caloris copia, ſed ex ambientis frigore, quod efflu xus, qui per cutim fiunt, cohibet; propterea augetur per hyemẽ vrinę copia, ceſſante altera euacuatione. Ad ſecundũ dicitur, in æſtate plures fieri ſudores, non ex caloris debilitate, ſed quia pori cutanei admo dum aperti fiunt ab ambientis caliditate, à qua etiam ſudorificæ materiæ foras trahuntur; hinc ex duplici concurſu plurimi ſudores excitantur. Ad tertium dicitur, quod ibi Gal. non intelligit motu violento, hoc eſt præter naturam; ſed quod ſudor excitetur motu vehementiori, & naturaliter.

Sed altera ſe offert dubitatio, noua, & à nemine hucuſque tacta, in tractatu ſudorifico, quę eſt. An ſudor ſit actio animalis, & voluntaria? Profectò ſi animalis eſſet, noſtram, & aliorum euerteret ſententiam; ideo videamus quid ex quæſito reſultet. Primò videtur, quod ſit actio animalis, teſtimonio Cardani lib. 8. de variet. rer. cap. 40. referẽtis Beatum Auguſtinum, quendam cognouiſſe, qui ſudabat, quando volebat, quod eſt maius, ac rarius, quàm lacrymari, tuſſire, ſternutare, & crepitum ventris mittere pro arbitrio. Vt autem cauſam huius prodigij afferret, intulit laxam habere cutim, prætenues humores, & animę validiores

diores affectus, quibus diu exercendis, aliquis aſſueuerit, poſſe hāc nouam cauſam, & ſudandi originem generare. Ego quidem caſum hunc, imaginationis opus fuiſſe crederem; nam multos ridere, etiã nolentes aſpicimus, eo quod riſu digna imaginantur; alios flere ex triſti imaginatione; multos verò in nauſeam, & vomitus deuenire, cũ fœda quaſi ſub oculis proponuntur. Hac ratione aliquem potuiſſe ſudare æſtum imaginantem, ſiue triſtia, & timore plena, eo præcipuè ſi habuiſſet cõditiones à Cardano allatas, non eſt ambigendum. Sudor ergo actio animalis non eſt, namque non omnes, cùm volumus ſudamus, quòd autem ab imaginationis potentia ſuccedere poſſit, hoc rarum, & prodigioſum exiſtimatur.

Sed curioſum eſt inueſtigare an detur ſudor animæ? Referam quid ſcripſerint Sancti Scriptores. Lachrymę, inquit D. Baſilius, ſunt viſcerum exhalationes, quas ad cerebrum emittunt, quando dolore, & anguſtia premuntur, quæ in cerebro, quaſi in alembicco diſtillantur, & per oculorum exitus mittuntur. D. Gregorins Nyſſenus, inquit, quòd ſunt guttę ſanguinis de corde exeuntes. Nam ſicut corpus vulneratũ, per vulnus ſanguinem mittit, ſic cor vulneratum contritione, per oculos emittit lachrymas. D. Hilarius appellat eas, ſudorem animæ, quia ſicut corpus fatigatum, & labore concuſſum, emittit ſudorem, ſic anima dolore peccatorum afflicta, ſudore lachrymarum perfunditur. Hęc ex Didago de la Vega in Conc. quadrag. veſper. conc. 4. legũtur.

At curioſius eſt quæſitum illud. Cui proprius ſudor ſit? Videmus enim non ſolum homines ſudare, ſed animalia, plantas, lapides, ex quo apud Hiſtoricos ſimulacra Deorum Gentilium, & ſtatuas, columnas, ſcuta, & militum lanceas ſudaſſe legitur. Profectò ſi naturalis ſudoris materiam penſitamns, ſudorem ijs eſſe proprium cernimus, qui edũt, bibunt, & ſeroſum generant excrementum, pro cuius excretione natura veſſicam, aluum, & cutis foramina fabricauit, vt à tali excremēto corpora liberentur. Inter alia ad ſalutem conſeruandã munera retributa ſudoribus natura parauit exitum, ne animantis valetudini eſſent impedimento. Proinde hominibus, & animalibus, quibus ex poculentis, & exculentis humidæ ſeroſitates exuberant; communem eſſe proprietatem ſudandi conijcere oportet. Homines ſudare adeò clariſſimum eſt, vt demonſtratione non egeamus. Animalia aliquot non ſolum ſudare, vt Equi, Muli, Aſelli, Canes, Porci, &c. videntur; verùm atque lacrymare, vt de Ceruis, Apris, & Cocodrillis legitur, in cuius rei teſtimonio Bartholomæus Anglicus in lib. de rer. propriet. Equos lacry-

lacrymari ait,quemadmodũ de Bucefalo Alexandri,& Equo Cæſaris Dictatoris nonnulli autumant. At videtur in animalibus ambiguum negotium, non enim omnia ſudare cernuntur. Volucres porrò non ſudant,ſerpentes,vt Plinius lib.10.ſudoris vim nõ habent;inſecta,ſiue anulata,vt vtar Magni Alberti ſententia, piſces, & nonnullarum ſpecierũ animalia ſudorem emittere non videntur. Sed ceſſat admiratio, ſi naturam animalium examinamus. Hoc enim tertiæ regionis excrementum in pennas, plumas,pilos,ſquammas, & in cutis duritiẽ ſæpenumero demittitur,ex quo facilè eſt,vt foramina conniueãt,& aliqua illius portio in veſſicam transfundatur. Hinc mirum nõ eſt,perpetuò animalia omnia haud exudare, cùm excremẽtum tale ad diuerſa corporis officia extrudatur. Homo autẽ naturæ miraculum,in cuius gratiam cætera animalia creata ſunt, cùm nobilioris exiſtat naturæ, atq; ad contemplationem genitus,cutim habuit laxiorem, atque plurimis conditam foraminibus, ob id maximè tertiæ regionis excremẽta per poros excernit, atque à multis nocumentis valetudinem præſeruare cognouit. Elicitur ergo ex prænarratis, ſudorem hominis potius eſſe proprietatem, quàm cunctis animalibus auxilium, eo quia licèt communis videatur huiuſmodi ſpeciebus,homo tamen vel naturaliter,vel ex induſtria ſudores peculiariùs habere conſueſcit.

Quoad plantas Pythagorici, & Plato ipſe quædam eſſe animalia exiſtimarũt,& exinde ſudare,flere, & lacrymari: ſed quemadmodum iſtorum fundamentum falſum, inualidumq; exiſtimatur, ita ab Ariſt. lib.1.de plantis, tanquam inſipidum confutatur. Redargutio autem forſitan ſuſcitari poſſit ex Dioſcoridis ſentẽtia lib.1.de hiſt.plant.c.3. qui plantas ait habere neruos, venas, carnem, matrices, & humores; ex quo quis plantas verè animalia eſſe comprobaret: ſed ſapientibus eſt ridiculum;nam auctor hic ſimilitudinariè ad animaliũ partes,plantarum corpora aſſimilari loquitur. Ex hoc proinde arguendũ non eſt, animalia eſſe,& peculiariter exudare,ſed metaphoricè,& per ſimilitudinem humiditates emittere. Exudant plantæ multa liquorum genera,gummi nimirum, reſinas,& lacrymas. Gummi,vt Opoponacum, Ammoniacum,Sagapenum,Euforbium,Galbanum,&c. Reſinas,qualis eſt Laricina,Terebinthina,Abietina,Picea,Strobolina,Pinea,&c. Lacrymas,quale eſt lac,quod è papauerum capitibus colligitur,Opiũ appellatum, Scammonium, lac Tithymali, liquor Draganthi, ſudor, ſiue lacryma Vitum, Iuniperi, Ceraſorum,&c. de quibus Matthiolus in procemio Dioſcoridis de re medica diffusè diſputauit. Hæc autem

omnia vi caloris exprimuntur ambientis: ob id æſtiuis temporibus plantæ exudare tantummodo videntur.

Veniamus modò ad lapides, & ad Deorum Gentilium, ſtatuas, & ſimulacra, ad columnas, lanceas, & militum ſcuta, quæ ſudores antiquitùs emiſiſſe propoſuimus. Quoad lapides, ſi Teophraſti Paracelſi incuriam exagitare volumus, vtique lapides realitér exudare cōfiteri oportebit. Hic tom.5. Paradox. in 1. de modo pharmacandi, lapides vitam, & nutritionem habere docet hiſce verbis. Sunt iſtiuſmodi lapides comparati ad alios, tanquam Mumia ad hominem. Vnde aqua cibus eſt eorum omnium, quæ iacent in aquis; terra eorum, quæ ſunt in terra, aer eorum, quæ in aere, & firmamentum eorum, quæ in ipſo conſiſtunt. Et in 2. de modo pharmac. cap. 1. Tamen vos interim omnes valdè miramini in hoc, quod lapides edant, ac bibant; cùm tamen hi, non minus homo, atque pecora, & gramina ſine cibo ſuſtentari nequeant. Cùm enim omnia viuant, omnia etiā cibo, potuq; indigebunt. Sed magna eſt huius hominis veſania: quando etiam in philoſophicis minimè eruditi, lapides viuere non conſentiūt. Hinc Themiſtius 2. de anima, com. 5. Lapides, ait, quāuis grandeſcere videantur, non tamen viuere; quia crementum illud non ex alimento intus molito, diſpenſatoq; in penitas partes attollitur, ſed ex appoſitione materię, aut ſi per omnes partes attollitur, erit in his vtique aliqua ratio vitalis, ſcilicet obſcura, & admodum tenuis: neque mirum eſt lapides adoleſcere, quando & parere quidam putant, vt Clearchus eſt auctor.

Sed conceſſo, quod non viuant, nec vera recipiant alimenta, videamus an ſudandi vim habeant? Cardinalis Baronius lib. 3. ſuor. Ann. auctoritate Euſebij, dum loquitur de perſecutione contra Maximinū, videtur aſſerere, lapides, & columnas ſudare, dum hæc ait. Cùm clara eſſet ſerenitas, & aer pulchrè ſplendeſceret, totiuſq; cœli omnia ſuo complexu ambientis ſumma extaret tranquillitas, de repentè columnæ ciuitatis, quæ publicas, & communes porticus ſuſtentabāt, multas veluti lacrymarum guttas quodammodo ex ſe profuderunt: forum item, & plateæ nulla pluuiæ gutta accidente, neſcio vnde, quoue modo aqua aſperſæ maduerunt, ſic vt illico rumor per omniū ora volitaret terram, vtpote rerum id temporis geſtarum ſcelus, & impietatem non ferentem, inexplicabile quādam lacrymarum vim ex ſe fundere, & lapides, naturamq; inanimem nefaria ea facinora delere, quo hominum naturam tam ferream, immitem, tamq; omni affectione vacuam, iuſta reprehenſione coargueret. Sed caſus hic miraculoſus eſt, vt de

quatuor

quatuor illis marmoreis columnis aſſeritur, quæ in Chriſti Saluatoris noſtri ſepulchro ſunt poſitæ, atque miraculosè ſudant, & lacrymant perpetuò æſtiuis, & brumalibus temporibus. Veniamus ad viam naturalem. Profectò lapides, & marmoreæ columnæ humidis temporibus iuxta earum ſuperficiem quandam recipiunt humiditatem, vt videantur non ſecus, atque ſudarent, humeſcere; hæc autem humiditas verus ſudor non eſt, ſed vaporis humidi, ambientis congelatio, quæ per metaphoram vocatur ſudatio.

Sed quid dicendum de Statuis, & Simulacris Gentilium Deorum, quæ ſudaſſe, & lacrymaſſe, apud auctores inuenimus. Siquidem Cicero 1. de Diuin. ſic ait. Nuntiatum eſt alicubi, Deorum ſudaſſe ſimulacra. Titus Liuius, Plutarchus, & alij digniſſimi auctores multas Deorum Statuas referunt ſudaſſe, ex quo Lucanus ſic dixit.

Indigetes fleuiſſe Deos, Vrbiſq; laborem
Teſtatos, ſudore Lares.

Diuus Auguſtinus 3. de ciuit. Dei, cap. 11. Apollinis ſtatuam ſudoris lacrymas quatriduò emiſiſſe ſcriptum reliquit. Liuius lib. 45. eandem triduò lacrymaſſe refert, Cumæ. Idem legitur de Iunonis ſtatua, de quibus vide Iulium obſequēte in Fragm. lib. de Prodig. Hieronymus Cardanus lib. 8. de rer. ſubtil. qui hæc ruminauit, ad cauſas naturales ſudantes ſtatuas reduxit, dum ait. Minore admiratione dignum eſt, quod ſtatuæ ſudent; nam ratio in promptu eſt, cùm humidum pingue vi caloris expreſſum, ſudoris imaginem prę̄ſtet, ob id maximè ſudant, quæ ligno conſtant cedri, oliuæ, vitis, ac cupreſſi, contingit hoc magis auſtris flantibus, quod humor ſit copioſior, ac tenuior. Quoad ſtatuas verò marmoreas clarum eſt naturaliter poſſe humidis temporibus humeſcere, & humiditatem ad inſtar ſudoris emittere, vt nos de lapidibus diximus.

Sed quod magis torquet, eſt, quia has ſtatuas, & ſimulacra ſanguinē etiam ſudaſſe, apud auctores reperitur. Xefilinus etenim ſtatuam Antonini ſanguinē in Alba ſudaſſe, in eius vita adnotauit. Albertus lib. 2. mineral. ſæpè commemorat, & admonet, noſtris temporibus hæc aliquando contigiſſe; qua via itaque hæc euenerint, ſcire curioſum eſt. Pomponatius, vt illarum rerum rationem redderet, hæc dixit. Multotiens ſunt hominum deceptiones. deinde ſubiungit. Fidem etiam pręſtantes grauiſſimis auctoribus, ſecundùm Ariſt. puto eſſe dicendū, hæc fieri ab ipſis Intelligentijs, mediantibus corporibus cœleſtibus. At ratio hæc cōfutatur à Ludouico Buccafer. in lib. de Diuin. lect. 39.

necnon ab Antonio Bernardo Mirandulano in ſuo de ſingulari certamine. Addit tandem Pomponatius. Secundum Theologos autem patet quid ſit dicendum; facta enim hęc omnia ſunt procuratione ſpirituum. Equidem ratio hæc, & ſolutio veriſſima iudicari debet; hac enim fraude, hiſq; præſtigijs Dæmones Gentiles illudebant, & vanis ſuperſtitionibus ſubijciebant, ob id maximè, vt eorũ cultui perpetuò vacarent. Nam vnde oritur, quod huiuſmodi ſimulacra, Chriſto Saluatore nato, non amplius ſudauerint, niſi quod diabolica fraus ceſſauerit, & illius malitia ſuper homines diſrupta ſit? Ita dicendum puto de lanceis ſudantibus, & de ſcutis, de quibus Liuius refert emiſiſſe ſudores, niſi ea naturaliter euenire potuiſſe coniecturamus; quemadmodum Cardanus de ſtatuis ligneis loquutus eſt. Thomas Garzonius vir profectò acutiſſimi ingenij, in eam iuit opinionẽ in ſuo Appar. mirab. ſimulacra, & Deorum Gentilium ſtatuas, fraude Sacerdotum illorũ temporum ſudare potuiſſe. Illi enim callidiſſimi, & verſuti quodammodo artificioſè ſimulacris ſudores concitare valuiſſent, vt gentilitias plebes in admirationem duxiſſent. Sed de his hactenus.

Veniamus autem ad ſudorum diuiſionem, quam bimembrem eſſe decretamus. Sudor enim vel naturalis, vel præter naturã eſt, eo quod duplex eſt eorum genus, naturale vnum, alterum verò pręter naturã. In morbis ſolemus ſudorem diuidere in criticum, ſymptomaticum, & periodicum, ſed quilibet oculatus animaduertit periodicum ſudorem reduci ſub altero duorum generum. Periodicum ſiquidem eſſe dicimus, qui in febrium intermittentium periodis fit, quales ſunt tertianæ, & quartanæ intermittentes, quarum ſudores, dum ſunt ſalubres, ad naturale genus reducuntur. De vtriſque igitur diſſeramus.

De ſudoribus naturalibus.

SVdor naturalis ille dicitur, qui ex bonitate regitiuæ virtutis procedit, & ex calore naturali, qui cum fidus ſui, ſiue naturæ ſit miniſter, officia rectè exequitur, & miniſtrat. Hic duplex conſideratur, in ſanis nimirum corporibus, & in ægris. In ſanis ſudoris materia, vt aliàs narrauimus, ſeroſum eſt excrementũ, ſiue tenuioris pars alimenti, aut humor redundans in corpore. In ægris erunt vitioſi humores, & peccantes materiæ, quę prius à natiuo calore concoquuntur, deinde per ſudores, vel alias corporis partes excernuntur. Conſueuit natura cum ſuperfluis humoribus, illa etiam excernere excrementa, quę

ſeroſa

ſeroſa ſunt, vt ijs deſeruiant pro vehiculo, quando humores non adeò fuerint extenuati, vt per anguſta cutis receptacula tranſire queant: ſæpè autem adeò attenuat, vt minimè ad exitum indigeant illorũ adminiculo. De ſudore naturali in ſanis, non eſt quod plura dicamus, cũ de hoc diffuſiſſimè à nobis ſuperius tractatum ſit. Hic autem ſicut in conſeruanda valetudine mirificum iudicatur auxilium, ita naturalis, in morboſis corporibus, ad affectus profligandos potentiſſimum exiſtimatur inſtrumentum. Equidem in febribus potiſſimum talis ſuſcitatur: proinde iuxta diuerſa naturę officia conſueuit recipere nomenclaturam; ſunt verò illius opera vel bona, vel meliora, vel optima; idcirco naturales ſudores vel boni, vel meliores, vel optimi appelãtur. Cùm autem aliquo modo aberrauerit natura in ſuis exequendis muneribus, opera minus bona perficiet, è quibus proculdubio ſudores minus boni, vel qui nec boni, nec mali ſunt, contingunt. Accedamus ad omnium picturam.

Optimi nuncupantur ſudores, qui perfectè morbum ſoluunt, & in diebus decretorijs apparent; de quibus Hipp. 1. Progn. 26. hoc modo loquutus eſt. Sudores quidem optimi ſunt in omnibus acutis morbis, ſi per diem eueniunt decretorium, & integrè febrem ſedant. Galenus verò in comm. tertiam conditionẽ Hippocratem prætermiſiſſe optimorum ſudorum enunciat. Qui enim die eueniunt decretorio, & integrè febrem ſedant, ij quoque ex toto corpore erumpunt.

Boni vocantur ſudores illi, qui ex toto procedentes corpore, faciũt vt æger facilius morbum ferat, quòd fieri nõ poteſt niſi diebus decretorijs adueniãt. Hos volens explicare Hipp. 4. Aphor. 36. Sudores, ait, febricitanti ſi incœperint boni, & 3. die, 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 24. 27. hi enim ſudores iudicant morbos: qui verò non ita fiunt, laborẽ ſignificant, & morbi longitudinem, & recidiuam. Omittit hic Hippocrates diem quartum, nam morbi plurimi peracuti, qui cum ſudore terminãtur, tertio, & quinto die magis, quàm quarto iudicari ſolent; rariores enim ſunt, qui die quarto iudicantur. Hæ ſunt bonorum conditiones ſudorum; quibus ſi quoquo pacto altera additur, ij exurgunt ſudores, qui meliores appellari poſſunt. Profectò à conditionum numero, ſudorum naſcitur proprietas; optimi enim plures habere oportet, quàm meliores; meliores aut plures, quàm boni ipſi; hinc fit, vt ſudores ij, qui pauciſſimas habuerint conditiones, minus boni vocẽtur. Solet porrò natura aliquãdo plurimum aberrare, quo fit vt ſudores erupti vel minus boni, vel nec boni, nec mali iudicentur. De his dicebat Hippocr.

Si verò nihil horum effecerint, inutiles ſunt: quem locum Gal. ita interpretatur. Cæterum tertius ſudorum ordo eſt modicè malorum, de quibus dixit, ſi verò nihil tale efficiant, nequaquã vtiles ſunt, vt neque ex toto corpore eant, neque faciant, vt ęger ferat facilius morbum. Sed conſtat, vt ex his ipſis peiores ſint, qui neutrum horum efficiant; moderatiores verò, qui alterum; & rurſus ex his ipſis, qui efficiunt vt ęger facilius ferat morbum, moderatiores ſunt: quãquam non ex toto corpore eant: peiores, qui grauiores exhibent morbum, licèt in omne extẽdatur corpus. Hęc Galenus, è cuius verbis apertiſſimè haurimus, ſudorũ bonitatem ex allatis conditionibus deſumi, quas omnes, qui ponderare ſcit, vtique bonos, meliores, & optimos ſudores cognoſcet, & vtiles, & inutiles percipiet.

Si benè conditiones has perpendimus, vtique concedere oportet, & lege naturæ, & potentia eas ſuccedere. Cùm enim natura non adeò vt ſuccumbat, à morbo opprimitur, corporis excrementa, & materias morbificas tum concoquere, tum atque è corpore veluti noxia expellere. Sit nobis in huius rei argumento Dioclis fundamentum conſtitutum, naturam nimirum, cùm validum calorem natiuum, & robuſtũ habuerit, corporis excremẽta, humoreſq; noxios faciliter concoquere, euincere, & expellere, corpuſq; confirmare, vt ſalubriora vitæ munera efficere poſſit. Idcirco ſi non robuſta fuerit, nec validum habuerit calorem, adeò vt à vi morbi opprimi poſſit, conſentaneum eſt munera vitæ malè exequi, eo quia ſæpè ſuccumbit, vel non bene concoquit, male expellit, deprauatè ſegregat, nõ vincit, ſed euincitur à morbo. Hinc ſi tẽporis illic ſudores contingunt, ſolent ſudores modò eſſe inutiles, modò mali, modò peccantes materiæ cum vtilibus ſuccis cõfusè excernuntur, non ordine, ſed incongruè, & à morbi fallacia. E quibus conditionibus, è ſtatu naturali ad præter naturã tranſeunt, quo fit vt ſymptomatici à Medicis appellentur. Quemadmodũ enim primi, qui lege natura erumpunt, laudabiles exiſtunt, quia laudabilibus conditionibus muniuntur, ita ſymptomaci illaudabiles, & mali: aliæ enim naturæ, aliæ verò morbi conditiones eſſe videntur.

Iam ſe offerunt quædam particularia, quæ ſudoribus naturalibus intelligendis plurimum prodeſſe exiſtimamus. Sit primum quęſitum. An ſudor in acutis circa clauiculas, ceruicem, & thoracem calidus, & affatim profluens, pòterit dici bonus, necne? Reſpondemus obiectioni, quòd ſi ſudor hic faciliùs facit ab ægro ferri morbũ, bonus dici meretur. Secus autẽ ſi morbus faciliter ex hoc non fertur, quippe inutilis

eſſe

eſſe poteſt, & quandoque peſſimus, vbi virtus fuerit imbecilla. Quod poſſit etiam eſſe bonus, vtamur Hippoc. teſtimonio 4. Aphor. dicētis: Qua parte corporis ſudor eſt, ibi morbū adeſſe; accidere enim poteſt peccantem materiam in ſolo capite, clauiculis, & thorace contineri, proinde ab ijs partibus ſolummodo euacuata, rationabile eſt morbū vel demi prorſus, vel ſaltem multum diminui. Ecce modò, quod poteſt eſſe bonus.

Inſuper ſudores duplici via poſſunt boni appellari, vel quando ſunt perfecti, ſiue iuridicè erupti, aut inchoati. Hinc calidus ſudor in diebus iudicatorijs circa eas partes apparens, in morbo concocto bonus iudicari poteſt inchoatiuè, vt ſignum illius nimirum, qui in diebus ſequentibus futurus expectatur. Sudor etenim (exēpli gratia) qui ſeptima die apparet imperfectus, ac minimè vniuerſalis, quia in quibuſdā tātùm partibus ſuſcitatur, in vndecima, vel decima quarta poterit fieri perfectus, & vniuerſalis. Ecce modò quomodo in particularibus locis ſudores poſſint prodeſſe. Profectò haud eſt à ratione alienum in acutis morbis particularem ſudorem eſſe bonum, quando ſcilicet ex illo faciliùs ſuſtinetur morbus, vel ſit inchoatiuus aliorum ſudorum: in quibus caſibus æger ad peius non mutatur: ſecus dicimus ſi iſta requiſita non coincidunt, & eo præſertim ſi ſudor fuerit circa caput ſolum, & ceruicem, quia talis in acutis non modò inutilis eſt, ſed peſſimus, ſicuti in Progn. Hippocrates declarauit.

Sed percurramus aliud quęſitum. An ſudor particularis in febribus intermittentibus, bonus dici mereatur? Reſpondemus dubitationi, quod nec bonus, nec malus ſimpliciter eſt, ſed mediam habet naturā, nunc ſiquidem bonus affecta particula ſudante; nūc verò malus aliunde profluens. Gradus autem huius malitię, à prauitate ſudoris, qui circa caput, & clauiculas in acutis apparet, maximè diſtat, quia vtriuſque morbi Idææ inter ſe longiſſimè differunt.

De ſudoribus præter naturam.

SVdores præter naturam à contrarijs cauſis dependent, propterea naturalibus opponuntur; ſiquidem iſtorum agens, finis, & materia diuerſa à prioribus operantur. Naturales enim vel morbum ſoluunt, vel vt æger facilius morbum ſufferat efficiunt, ob id vtiles, & laudabiles iudicantur: præter naturales verò morbū non ſoluunt, nec faciunt vt æger faciliùs ſuſtineat morbum; nam cum infirmi anguſtia, & mala

tole-

tolerantia ſuccedunt,ob id illaudabiles,& inutiles à Medicis appellã-tur. Vt autem hi elucescant,ſpecies aliquot iſtorum clarioris doctrinę gratia in medium afferre præſtabit.

Sudores hecticorum,& illorum, qui ſyncope detinẽtur, propterea præternaturales ſunt, & nocui,quia illorum cauſa nõ fortitudo natiui caloris eſt,ſed eius imbecillitas,& exterminatio;quo fit vt contentiua facultas à ſolito munere aberret, & nequeat feroſa excrementa, vel alios humores retinere, ſed per cutis foramina expellit. Huiuſmodi generis ſunt ſudores in cardiacis, conuulſionibus, & qui à doloribus, animiq; anguſtia excitantur. In febribus ardentibus ſæpè craſſi ſudores contingunt,qui duplici via praui iudicantur,tum ratione excretæ materiæ,tũ verò cauſæ efficientis: nam efficiens calor eſt ille igneus, & adurens; materiæ autem carnium ſunt colliquationes, quæ vnà cũ ſero excernuntur. In peſtilentibus febribus, & internis inflãmationibus frigidi oriũtur ſudores à natiui caloris refrigeratione,vt 4. Aphor. comm.37.Gal.ob id praui,& pręter naturam. Præternaturales etiam fuere Epidemici ſudores illi, qui multa hominum milia in Anglia, & Germania elapſis annis necarunt. finis iſtorum animalis eſt internecio,& natiui caloris,vitæq; naturalis abolitio.

Sed ea vtamur in ijs explicandis diuiſione, quam in naturalibus ſudoribus accepimus: ſiquidem illi vel boni,vel meliores,vel optimi,vel minus boni,vel nec boni,nec mali vocabantur, propterea hos,malos aliquos,nonnullos peiores,& aliquot peſſimos appellabimus,cęteros minus malos,iuxta Hippocratis,& Galeni doctrinam.

Peſſimi ſunt Hipp.teſtimonio,ſudores illi, qui frigidi in acutis affectibus ſunt,at ij præcipuè,qui circa caput duntaxat,aut faciẽ,aut ceruicem appeterent,ita 1.Progn.29.adnotauit. De his etiam non ſiluit 4.Aphor.37.quãdo dicebat. Frigidi ſudores cum acuta quidem febre mortem,cum mitiori autem longitudinem morbi ſignificãt. Proinde peſſimi appellari poſſunt frigidi ſudores,ſiue ex toto corpore, ſiue ex capite,& ceruice ſolùm erumpant. Profluẽtes enim frigidi à toto,vel à valida, vel ab imbecilla virtute mouentur: ſi à valida longitudinem morbi,ab imbecilla verò mortem pronunciant. At qui frigidi ex capite, & ceruice in acutis mouentur perpetuò, interitum declarant.

Mali ſunt ſudores illi,qui febricitantibus ſuperuenientes,non efficiunt, vt febris deficiat, ita teſtatus eſt Hipp.4.Aphor.57. mali etiam ſunt,qui calidi apparentes circa ceruicem,& caput ſolũmodo ad alias partes non extenduntur in acutis. Sed veniamus ad præternaturaliũ

iſtorum

iſtorum conditiones, quemadmodum in naturalibus fecimus. Capiamus ordinem ab eodem 1. Progn. & à Galeno in commento. Hæc ſit ſumma. Sudorem omnem, qui facilem non facit tolerantiam, qui ex toto corpore calidus non profluit, qui nō concocto morbo, & in diebus haud iudicatorijs erumpit, inutilem eſſe, & ad prauitatē tendere: ſiquidem ex hiſce conditionibus ſudorum ſeriem in vtroque genere formare non eſt arduū. Proinde ſudores modò malos, modò peiores, modò peſſimos, vel minus malos fabricabimus: ſicuti enim in naturalibus, ex pluribus, vel paucioribus conditionibus ſudorum naturam nacti fuimus bonam, meliorem, & optimam: ita in præternaturalibus agemus, in his enim quanto plures malæ fuerint conditiones, tanto peiores eſſe ſudores iudicantur. Afferamus exempla.

Primum. Sudores ex toto corpore fluentes, à quibus æger non mutatur in melius, quamuis calidi non profluant, inutiles iudicari debēt. De his loquutus eſt Hipp. 4. Aphor. Secundum. Sudores, qui grauiorem faciunt morbum, non modò inutiles, ſed mali appellari queunt; ſudor enim inutilis poteſt referri quodammodo ad bonū, & ad malū. Tertium. Sudor ex aliqua determinata corporis particula profluens, qui efficit ęgrotum facilius ferre morbum minus malus eſt, & quoquo pacto bonus; eſt enim malus comparatus ad ſudores, qui boni, & meliores ſunt; bonus verò ad peſſimos, & ad eos, qui ſimpliciter mali ſūt. De ſudoribus, qui à toto fluunt, à quibus ægri non ad melius, ſed forſitan in peius mutantur, ita loquutus eſt Hipp. 3. Epidem. Decimo octauo ſudauit per totum corpus, in ſomnis deiectiones bilioſæ, ciborum inappetens, comatoſus. De altero dicebat. Sudauit Thaſo Larius vndecimo: ſed non toto corpore, circumfrixit, ſed mox recaluit, duodecimo febris acuta. Quartum. Sudores frigidi ſemper mali, at cum virium debilitate, & in acutis in capite, & ceruice, peſſimi exiſtimantur.

Sunt itaque præternaturales ſudores duplicis generis, vniuerſales ſcilicet, & in toto corpore; & particulares, ſiue in determinatis particulis effluentes, atque ij vel calidi, vel frigidi. Equidem frigidi ſemper conditionis peioris ſunt, quàm calidi; hi enim minus diſtant à vitæ tēperamento, quapropter ſudorem frigidum in capite, & ceruice Gal. ponderans 1. Progn. com. 26. atque in ijs partibus calido aſſimilans dicebat. Omnibus verò in hoc ſermone dictis ſudoribus opponit frigidos, dicens ita. Peſſimi verò, qui frigidi ſunt, & item cū eis malos eſſe dixit, qui circa caput, & ceruicem eueniant, licèt frigidi non ſint: hi enim minantur ſyncopim. Si verò & circa tales partes, & frigidi appareant

reant peſſimi omnium, quippè, qui non inſuper fore: ſed iam incipere ſyncopen indicent. In huius autem rei argumento animaduerſio maximè laudanda eſt doctiſſimi Augenij lib.6. prior.tom.epiſt.1. Quod dum incipiunt, ſudores calidi profluere ex capite, vel ceruice, vel ex alia determinata corporis parte, vbi certi non ſumus quem exitum ſit habiturus, deq; iudicio naturæ ambigimus (quia acutorum non ſunt certæ prænunciationes ſalutis, aut mortis) tunc quidem quoniam tolerantia facilis, vel difficilis aperiet nobis inchoati ſudoris naturam, debet Medicus anteaquam ferat iudicium ſudoris, finem obſeruare, nihil mouendo, aut irritando: quia ſi malus eſt & ſymptomatis ratione factus virtutem multò imbecilliorem reddens, mortis occaſionem accelerat: vbi verò bonus futurus eſt, nimis fortaſſe ſtimulans, haud parum obeſſe poterit: & hac de cauſa ſignum hoc, quod ponitur in omnibus ſudoribus bonis, vt facilius ferat morbum, attenditur ſolum in ijs ſudoribus, qui à natura fiunt, ac terminantur citra aliquam artis induſtriam. Hæc Augenius.

Ex narratis elicitur adnotādum, ſudores omnes, qui mali ſunt, cum acutis morbis ſuſcitari, atq; cum ijs plurimum ſociari, nec ſine cauſa, nam hi morbi à validioribus mouentur cauſis, quàm benigni, & à ſudoribus tentari, & iudicari perpetuò videntur, quia caloris efferueſcentia, quæ in hiſce morbis ſuppeditat, humores, & corporis humiditates quāmaximè extenuat, & per ſudores expellit. Medici ergo erit prudentia illorum noſcere naturas. Nam ſi exeunt ſine ægrorum cōmodo, ſi exigui, ſi effluunt inconcocta materia peccante, ſi diebus incongruis, ſi cum mala, & difficili tolerātia, ſi cum natura deiecta, vtiq; rationabile eſt præternaturales eſſe. At ſi cum languentium commodo fiūt, in diebus decretorijs concocto morbo calidi à toto corpore, cum virium robore, & ij per ſudores expurgentur, qui ſuperfluentes humores, quantitate, & qualitate in corpore peccabant, copioſi, & non exigui, proculdubio naturales erunt, & morbum vel perfectè exterminabunt, vel magnam illius partem eradicabunt, vt critici ſudores facere conſueuere.

Sed quidam inſurgit contra noſtra fundamenta dum huic capiti extremam manum imponere optamus; obijciens criticos ſudores non eſſe naturales. Primo, quod critici fieri videntur à calore præter naturam, eo quia in febribus calor natiuus mutatur in igneum, & igneus calor prẹter naturā eſt. Secūdo, quod ſudor naturalis, teſtimonio Gal. 1. de ſanit. tuen. cap. 12. eſt excretio ſeroſi excrementi; in criticis verò

excer-

excernũtur humores peccantes. Tertiò, ſudor naturalis fuit factus ad conſeruationem valetudinis, criticus verò ad morbi exterminationẽ, idcirco differunt. Nos oportet obiectiones ſoluere, ne quid ſcrupuli relinquatur, qui Lectores anſios reddat. Dicimus primò, ſudores criticos eſſe verè ſudores naturales, quia illud eſt naturale, quod à naturæ actione procedit, ſed iſti ab iſtius actione ſuſcitãtur, ergo ſunt verè naturales. Probatur, quod veniant à naturæ artificio, quia iuuant corpus, & minimè lædunt, euacuant peccantes humores ad animantis auxilium, & ſanitatem præſtant. Ad illud autem, quod critici videntur fieri à calore præter naturã ex hoc, quia in febribus calor natiuus mutatur ad igneum; dicimus, quando calor natiuus mutatur in febribus ad igneum, ſi amittit penitus naturam propriam, fieri pręter naturam, non autem cũ ſuam naturam conſeruat, & poteſt exequi naturæ munera, vt facit in criticis ſudoribus, in quibus quia eius robur nõ diſſoluitur, morbum, & oppoſitum calorem euincit, & ſudores naturales commouet. Ad ſecundum, quod ſudor naturalis eſt excretio ſeroſi excrementi, & non humorum. Reſpondemus hoc valere in ſanis, in quibus talis excrementi eſt euacuatio, in ægris verò humorum peccãtium eſt naturalis ſudor, differt enim materia in ſanis, & in ægris, ſed non agens: propterea hi ſudores ambo naturales ſunt, nã vna eſt cauſa efficiens, à qua ſuſcitantur. Immò in ſanis non ſolum ſeroſa educuntur excrementa per ſudores, ſed humores ipſi, vt in criticis; apparet hoc teſtimonio Hippoc. 4. Aphor. 41. vbi vtrunque humorem per ſudores educi manifeſtatur. Inſuper in criticis tum humores, tum ſeroſa excrementa excernuntur, quo fit, vt à prioribus, qui fiunt in ſanis minimè differant. Marcellus Donatus 1. de medica hiſt. cap. 2. ſudores criticos quatenus procedant ab humoribus, nomen ſudoris perdere docet; excretionem ſeroſi excrementi ſolum eſſe ſudorem contendit, & non peccantium humorum; rationem adducit, quia natura ſingulis excrementis noſtri corporis dediſſe receptaculum, & viam per quã euacuari poſſent, inter alia ſeroſo excremento dedit poros cutaneos, vt illis ad exitum eſſet aditus propter corporis conſeruationẽ. Hinc ait Marcellus, ſi natura aliquando humores, vel ſuccos alios à ſeroſo excremẽto tertiæ coctionis, vel ſaltem illi permixtos per cutis meatus extruſerit, non propriè ſudores eſſe appellandos: ſed huius, vel illius humoris, per poros cutaneos excretiones. Hæc opinio Marcelli licèt à criticis nomen ſudoris auferat, nõ per hoc negat naturales eſſe, & ipſius naturæ operationes criticas euacuationes, nec per hoc ſequitur, criti-

cos ſudores, non eſſe ſudores, quia eſt humorum excretio: namque, vt aliàs diximus, quæ à poris cutaneis excernuntur, ſudoris nomen acquirere, quia tale nomen datum eſt euacuationi per illa foramina: moueor Gal. teſtimonio 4. de ſanit. tuen. cap. 4. vbi, ſudores eſſe notas, ait, ſuccorum, qui in vniuerſo abundant corpore, & 3. de criſibus, ſudores proprios eſſe febribus. Et Hipp. 4. de rat. vict. in acutis, cap. 78. ſudores vocat communes euacuationes omnibus corporis particulis, idcirco criticæ euacuationes dici poſſunt ſudores, & naturales. Sed pro re minima longiſſimè ſpatiauimus; parum enim refert, quod tales euacuationes alij non vocent ſudores, ſed humorum excretiones, dum fundamenta noſtra in Galeni, Hippocratiſq; diſciplinis corroborata videntur, ex quo ſudor naturalis duplex innaſcitur, in ſanis nimirum vnus, alter verò in ægris, vt ſudor criticus eſt, de quo quæſitum habemus. Ad tertium, vbi dicebatur, quod ſudor naturalis erat factus ad conſeruationem valetudinis, criticus verò ad morbi exterminationem, idcirco differre. Dicimus differre penes modum, non penes agens, neque finem, eo quia natura ipſa, quæ ſanos dicitur conſeruare, & languentes curare dum opus eſt ſeroſa excrementa ad corporis tutelam euacuat, dum autem oportet peccantes humores excernit, nec alium habet finem niſi ſanitatem retinere, & vitam conſeruare; ideo maximè ſudores hi affines eſſe videntur, cum ab vno ſuſcitentur artifice, ab vna natura, cuius proprium eſt operationes naturales facere: opponuntur hi ſudoribus præter naturam, qui non ad vitæ conſeruationem excitantur, ſed ad corporis ruinam, & ad ipſius naturæ excidium. Quare optimum eſſe factum putamus, in indaganda ſudorum diuiſione, illos in naturales, & præter naturales tantum ſeiunxiſſe.

Finis Libri primi.

IVLII

IVLII CAESARIS BARICELLI A SANCTO MARCO

DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI,

De hydronoſa natura, ſiue de ſudore humani corporis.

LIBER SECVNDVS.

Proponuntur generales ſudorum differentiæ. Cap. I.

AGgrediamur vniuerſales ſudorum differentias, atque illarum ſignificata perſcrutemur. Hæ à generaliſſimis principijs deſumuntur, quo fit, vt veluti termini, & loca, à quibus ſudorum fiant conſiderationes, à Medicis conſtituantur. Equidem ſicuti genera generaliſſima, eam perpetuò Logicis vtilitatem præſtitere, vt per ea propoſitiones, & ſyllogiſmos fabricarent, atque Diuiſiones, Definitiones, & Demonſtrationes cognoſcerent: ita Medicis in materijs ſudorificis noſcendis, tale ex ijs auxilium ingeritur, vt iure fontes proprij, è quibus differentiæ, earum cauſæ, & ſignificata hauriantur, ſudorum intelligantur. Quæ autem ſint hæc, ab Ariſt. in Anteprædicamentis ita abſoluuntur. Eorum, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodque aut Subſtantiam ſignificat, aut Quantum, aut Quale, aut Ad aliquid, aut Vbi, aut Quando, aut Situm eſſe, aut Habere, aut Agere, aut Pati.

A Subſtantia conſiderantur ſudores ſi craſſi, viſcoſi, tenues, ſeu fluxiles fuerint.

A Quantitate, ſi multi copioſi vicibus, vel multitudine, vel pauci, deſinentes, ſiue interſecti fuerint.

A Qualitate plurimæ oriũtur differentiæ; dicuntur enim Viſibiles, Guſtabiles, Tactibiles, Audibiles, Odorabiles, proinde ſecundum varias qualitates, variæ dantur ſudorum conſiderationes. A Viſibili, ſumuntur ſudores Albi, Flaui, Subflaui, Rubei, Sanguinei, Nigri, Porracei, & alterius coloris. A Tactili ſudores Calidi, & Frigidi. Ab Audibili Sonori, & Silentes. Ab Odorabili Odorati, Fœtentes, Acuti, vel Acidi, ſecundum Auicen. A Guſtabili Dulces, Amari, Salſi, Inſipidi, Acetoſi, vel alterius ſaporis.

Per modum Relationis tot ſudorum fieri poſſunt conſiderationes, quot modis referri poſſunt.

A Loco, ſiue per modum Situs, & Vbi conſiderantur ſudores quomodo fluant, ſi à toto corpore, vel à determinatis partibus, à capite, ſcilicet, collo, dorſo, pectore, manibus, pedibus, & alijs partibus.

Ab Habitu veniunt ſudores, quatenus ab habitu pituitoſo, cholerico, ſanguineo, vel melancholico, aut mixto procedant.

A Tempore innumeræ veniunt conſiderandæ ſudorum differẽtiæ. Hæ autẽ ſunt magis proficuæ. Sudor poteſt eſſe Diurnus, Nocturnus, Matutinus, Meridialis, Veſpertinus. Vernalis, Æſtiualis, Autumnalis, Hyemalis. Ante, vel poſt cibum. In Principio, Incremento, Statu, & Declinatione morborum, & acceſſionum. Ante Motum, in Motu, & poſt Motũ. In Curſu, Deambulatione, Palæſtra, Exercitatione, Coitu, Sole, Balneis, Laconicis, & in Quiete. Diotimus Gymnaſtes, Theophraſti teſtimonio, addebat ſudores incipientes, perſeuerantes, & deſinentes. Alij conſiderant longitudinem, & breuitatem ſudoris. Alij ſudores, qui ſub Dio, & qui in Vmbra fiunt exagitant. Alij alias differentias.

Ab Actione, & Paſſione conſiderantur ſudores, num agant, vel patiantur in corpore.

Auicenna 4.2.tract.1.cap.70.ab effectu ſudoris alias adiungit differentias, dum ait. Et ſignificat per illud, quod ſuccedit ei, ſicut nocumentum, aut leuitas, aut rigor, aut horripilatio, aut aliud. Nos ſigillatim de his omnibus diſputabimus; quam autem methodum in iſtis diſſerendis complectamur, tui, Lectoris, iudicio proponimus, in cuius gratiam hæc cuncta exarauimus.

De

De ſudoribus à ſubſtantia deſumptis. *Cap. II.*

SVdores à ſubſtantia deſumpti, ſiue conſiderati, illi ſunt, in quibus craſſities, viſciditas, tenacitas, lenties, limoſitas, tenuitas, fluxibilitas, ſubtilitas copulãtur. Hę profectò qualitates in humoribus adaptari poſſunt, quo fit, vt ratione ſubſtantiæ ſudor dicatur vel craſſus, viſcidus, lentus, vel fluxilis, ſubtilis, & tenuis: proinde ſanguineus, pituitoſus, cholericus, melancholicus, oleaginoſus, colliquatiuus, pinguis, aquoſus, ſeroſus, vel alio nomine, in quo poſſit craſſities, vel tenuitas accommodari. Comprehenduntur qualitates hæ in ſudoribus tum tactu, tum atque viſu, eo quia ſudores tactu, & manibus contrectati modò craſſi, modò tenues cernuntur. Viſu, quia in copioſis ſudoribus portionem in vaſe colligere facilè eſt, inde eorũ ſubſtantiam contemplandi datur aditus. Cõtemplabatur equidem omni requiſito, vt credo Imperatoris illius Maximini ſudor, qui olim (teſtimonio Ludouici Cælij Rodig. lib. 6. antiq. lect. cap. 4.) quandoque vno ſudore lixas ſexdecim vicerat, item ex militibus ſeptem ſuperarat fortiſſimos, ſudores ſæpè ſuos excipiebat in calicem miſſos, vt ſextarios implerẽt duos, nonnunquã & tres. Nos autem vt ſudorum talium cognitio eluceſcat, duobus eorũ ſubſtantiam capitibus examinabimus, quorum alterum de craſſo, alterũ verò de tenui ſudore adnotatum conſcribemus. Relinquemus inter hos ſudores medios, qui enim ſciuerit extremos, vtiq; medios, & medias illorum differentias naturales, & meliores quamfacillimè percipiet.

De ſudore craſſo. *Cap. III.*

CRaſſum, quod ex oppoſito habet tenue, vt Galen. 11. method. med. cap. 13. aſſeruit, illud ab Ariſt. eſſe dicitur, quod ſui natura non frangitur exiſtẽs molle, & humidum. Hoc cũ lento, viſcoſo, & tenaci, ſecundum quod magis, vel minus eorum partes ad inuicẽ concatenantur, communicatur: in quo propoſito 4. Meteo. dicebat. Craſſum autem eſt, cum trahibile, aut humidum exiſtens, molle fuerit. Tale autem fit concatenatione, quæcunq; velut catenæ componũtur corporum: hæc enim ad multũ

poſſunt

poſſunt extendi,& cõuenire. At quomodo iſtarum fiat colligatio partium, volens explicare, à duplici qualitate poſſe innaſci ſuppoſuit, aut à calido mouente, quod fortiter vnit ſiccum cum humido terminato, ſicut in oleo, & pice, aut à frigido, quod fortiter, & inſeparabiliter cõprimit humidum cum ſicco. Quia autem craſſitiem, quatenus cõſiſtat in materia ſudorifica, conſiderare intendimus, idcirco opus eſt vt quę ex Ariſt. accepimus, ad Galenicam diſciplinam, & ad noſtrum inſtitutum reducatur. Duo in hoc conſideranda proponimus, quid ſit craſſities in ſudoribus, & quomodo illa generetur.

Craſſum licèt apud Galen. multis dicatur modis, nam 2. Aphor. 54. craſſum propriè nominatur corpus, quod ſecundum latitudinem, & profunditatem, vltra modum eſt auctum, & 1. de ſanit. tuen. Craſſum pro obeſo, & corpulento accipiat; tamen quia quod ſcire conamur, eſt requirere quomodo in humorum minera, & in corporis excremẽtis, quæ pro materia ſudoris poſſunt deſeruire cõcipiatur, placuit afferre Gal. 1. de ſanit. tuen. cap. 13. ex hoc enim textu facillimè elicitur, craſſitiem in humoribus quendam eſſe lentorem, è quo impediuntur, nec faciliter moueantur. Hæc opinio videtur conſona cum Ariſt. decreto in loco allegato. At volens Gal. docere quomodo cauſetur, ſuppoſuit in eis craſſitiem, & lentorem, vel ex cibi, potioniſq; natura, vel ex recenti quapiam alteratricis facultatis in ea parte, quæ nutritur infirmitate, vel ex imbecillitate caloris, qui excrementum id non reſoluat, ac tenuet, prouenire.

Sed procuremus, amabò, cum Gal. conciliare Ariſt. qui 4. Meteor. craſſum & à calido, & à frigido generari conſtituit, ex quo nobis opus eſt in medica facultate inuenire quomodo humores, & excrementa à calido, & à frigido craſſiora reddantur, quod ſi fecerimus, deſiderium noſtrum expleuiſſe videbimur. Sit primùm pro hypotheſi, humores duplici modo conſiderari, vel quatenus ſunt ſynceri, vt bilis tantum, pituita, atra, humor ſeroſus, &c. vel quatenus ſunt permixti, quando ſcilicet miſcetur bilis cum pituita, vel ſerum humorum cum atrabile, aut pituita, ſiue alij cũ alijs humoribus. Hinc videamus an duplici via etiam in eis poſſit euenire craſſities, quia nimirum humores ſui natura ſint craſsi, vt nonnulli ſynceri ſunt, vel ex permixtione, quãdo ſcilicet tenues, & craſsi commiſcentur? De his vnicũ Gal. affero tex. 2. Progn. com. 38. qui omnia aperit, dum ait. Quin etiam ſynceri humores craſſiores exiſtunt, pituitoſus quidem propter frigiditatem, quaſi concretus; bilioſus verò propter exuberãtiam caloris euaporatus, & tanquã

aſſatus. Hę enim duæ cauſæ contrariæ craſsitudinis ſunt, calidum admodum, ac frigidum; calidũ etenim ſubtile ab humoribus reſoluendo facit craſsitiem; frigidũ verò congelando, illos adſtringit. Ecce modò, quod humores vt ſynceri poſsũt craſſeſcere vel propter calidũ, quod euaporat, vel propter frigidũ, quod adſtringit. Notauerat enim prius Gal. intueri interdum bilem flauam, craſſam in vomitione reijci, hanc multi nominant Vitellinam, & tex. 39. affert bilem porraceam, liuidã, & nigram, quæ craſſæ ſunt. Si ergo in ſynceris humoribus tali pacto poteſt ſuccedere craſsities, iure credendum puto in eorum miſcela craſsitiem etiam adnotari, quo fit, vt humores ipſi vel vt ſynceri, vel vt permixti lentorem vel propter calidum, vel propter frigidum acquiſitum præmonſtrare aliquando valeant, & proinde ſudores ex ijs ſuſcitati, craſsitiem, & lentorem præferant.

His cognitis, facilè eſt credere, ſudores ab ijs poſſe ſuccedere humoribus, & excrementis, quæ vel à calido, vel à frigido craſsitiem acceperint, loquamur de vtriſque, primò autem de ijs, qui à calidis fiunt humoribus, & excremẽtis. Profectò hi à vitellina bile, porracea, atra, æruginoſa, & conſimilibus fieri par eſt, cum tales à caloris potentia humores craſsi fiant. Quia autẽ hæc excrementa non ſemper in locis, è quibus ſudores effundi poſſunt, generãtur, propterea ſciendum eſt, bilem pallidam, ſeu vitellinam, praxinam, ſiue porraceã in ventriculo generari poſſe. Hoc ſuccedit vel per cruditatem, & à frigido, vel per corruptionem, & à calido. Per cruditatem fit, quando propter quorundam exculentorum indigeſtionem ſibi commanſi, à debili, & refrigerato calore non bene concoquuntur, & crudi fiunt adeo, vt craſſæ pituitæ naturam imitentur. Per corruptionẽ, quando exculenta à calido corrumpuntur, quo tempore biles illæ, non pituitæ temperaturam, ſed bilis calidiſſimæ, & venenoſæ ſortiuntur. Iſtæ omnes vomitionibus, teſtimonio Gal. in Progn. & 6. Epidem. com. 5. com. 14. reijciuntur, nequaquam verò in ſudores abeunt. Aliqui dicũt bilem vitellinã, quaſi ſemper à corruptione innaſci, propter exculenta corrupta, rarò à cruditate, vt cæteræ fieri ſolent. Sed de his diſputare hic locus non eſt. In hepate, & venis per aduſtionem multæ bilis ſpecies oriuntur, quæ in ſudores excerni poſſunt. Hæ ſuſcipiunt ſubſtantiã craſſiorem, & minus fluidam, vbi ex flaua fit vitellina, ex vitellina porracea, ex porracea æruginoſa, & ex æruginoſa illa atra bilis omniũ pernicioſiſſima. De his lege Auic. 1. par. cantic. & Auerr. 3. collig. 3. namq; aliorum etiam humorum aduſtiones reperies. Generantur hæ omnes ex

feruido,

feruido,& igneo calore adurenti humores, ex qua aduſtione,& ſubtilium partium euaporatione,craſſiores euadunt,& ſi ſeroſo excremento commiſcentur, & per ſudores educuntur, minus fluidæ manibus contrectatæ cernuntur, ſed craſſiuſculæ colores referentes, vel oui vitelli, vel olerum, ſiue porri, aut æruginis, vel atri coloris, prout ab vna, vel alia bilis differentia magis procedunt.

Cæterum calor immodicus, & feruentiſſimus non ſolum humores adurere ſolet,ſed carnes etiam, & corporis adipem,& pinguedinē inuadere. Obſeruatur hoc in febribus ardentiſſimis,& colliquatiuis,vbi partes hę colliquatæ modò per aluum,modò per vrinas,modò autem per ſudores educuntur. Hinc proueniūt ſudores illi craſſi,oleaginoſi, pingues, adipoſi, & colliquatiui, vt in cap.de cauſis demonſtrauimus. Hi ſudores cùm ex feruidiſſimo calore fiant,quemadmodum illi ſunt, qui ex colliquata carne oriūtur; nam adeps ex moderatiori liqueſcit, propter aduſtionem,& incenſionē caloris ſolent colorari,adeo quod alij ſunt exactè fului,alij verò moderatè. Carnes tamē liquatę graueolentes faciunt ſudores; emoritur enim tunc calor natiuus ex igneę caliditatis ſuperabundantia, & corruptæ ſubſtantiæ referunt perinde fumoſitates. Tanta equidem caloris ignei potentia eſt,vt mortificando,ſiue diſſoluendo calorem natiuum, virtutes obruat, & diſſipet, in quo conflictu cum natura, & eius virtutes nequeuntes humiditates minus & ſubſtantificas humidi retinere alimēti exire permittunt per ſudores etiam,quaſi à ſalute protinus deſperatæ. Et iſti ſunt ſudores, qui craſſi ope caloris erumpunt.

Veniamus modò ad ſudores, qui à crudis humoribus innaſcuntur, quorum craſſities diuerſa concipitur lege,& methodo. Ex imperfecta enim coctione, & debilitate natiui caloris humores crudeſcunt, & craſsi fiunt. Equidem in febriū acceſsionibus,cum natura adhuc concoctionem ſuccorum non eſt aggreſſa, illorū oppreſſa onere ſi ſtimulatur ad excretionem ex copia frigidorum humorum, vtique craſſos educet ſudores. In hoc loco memoriæ proderit renouare,quæ ſuperius cum Gal.adduximus 1.de ſanit.tuen.cap.13. quando ex cibi, potuſq; natura, ex infirma alteratrice, ex calore imbecillo, & tranſitus anguſtia craſsitiem, quæ in crudis humoribus reſidet, cauſari dicebamus. Propterea ſudores iſti ex craſſa pituita,& ſimilibus crudis humoribus generantur. Hi ſero commixti, vt docet Actuarius 1.method. cap.13. exeunt craſsi,& in craſſos ſudores conuertūtur, quos Medici contemplantes craſsitiem,& lentorem humorum pręſagiunt, & conſequenter

ſequenter obſtructiones: minantur enim humores iſti non ſolum obſtructiones, verum atque alia incommoda, longitudinem nimirum morborum putredines,& alia pericula.

Hæ ſunt differentiæ,& cauſæ ſudorum craſſorum,quarum aliquas à ſuperfluo caloris incēdio, aliquas ex imbecillo fieri diximus; omnes tamen nouæ ſunt,& morboſæ. Quotieſcunque enim aliquod à natura non regulatur in corpore, & ad moderantiam non reducitur, vtique opus naturale haud vocari meretur, ſed præter naturam, vt de vtriſq; ſudoribus dicere poſſumus, ſi eorum originem cōtemplari volumus, eo quod vnum genus ex aduſtis humoribus, & ab extraneo calore craſſefactis, alterū ex improba natiui coctione adnaſcitur. Inter craſſos ſudores adnumerari exiſtimo ſudores Milijformes, quos ſcripſit Hipp. malos eſſe, ſi ſolum circa ceruicem eueniunt: Galenus verò ſuſpicatur opinionē hanc non eſſe Hippocratis, dum 1. Progn. com. 26. ait. Cæterum deinceps alia quædam de ſudoribus ſunt ſcripta, non in omnibus codicibus, quæ meritò alij quidam ſuſtulerunt, tanquam non ſint Hippocratis, atque etiam Artemidori, & Dioſcoridis ſectatores. Actuarius milij formes ſudores hos,& eorū craſſitiem forſitan perpendens, ob anguſtiam cutis meatuum tales effici declarauit, ſed qua lege, & ratione hoc dixerit neſcio, niſi ad Hidroa reducere maluiſſet, aliter eſſet fundamentum eius inualidum, vt planè conſtat ex Gal. 1. de ſanit. tuen. 13.

Galenus de ſudoribus tenacibus, & craſſis 3. de criſib. mentionem fecit. Auic. in 1. par. cantic. tract. 2. de ſudore groſſo:& 4.2. tract. 1. cap. 70. de ſudore viſcoſo. in cantic. de nigro ſudore, qui etiam craſſus eſt, verba fecit. Pro talibus noſcendis ſudoribus exercitatus requiritur Medicus, vt diſtinguere valeat, qui craſsi ab aduſtione, & qui ab humorum cruditate,& qui ex colliquatione partium oriantur. Vt autem hæc aſſequatur morbi naturam inter alia requiſita inueſtigare, & cognoſcere opus habet; ſi enim fuerit morbus calidiſsimus, quemadmodum febres ardentiſsimæ, ſynochæ, feruentes,& malignæ huius naturæ exiſtunt, quia in his aduſtio humorū fieri poteſt, ſtatim inſurgit ſpeculatio, ſudores fieri poſſe à craſſefactis ſuccis à valido, & potenti calore; quod ſi eueniunt, nulli dubium eſt ex colore repræſentare peccantis humoris naturam, atque tactu eorum acquiſitam craſsitiem. Si febris autem erit vel colliquatiua ardens, nō peſtifera, vel colliquatiua peſtilens, aut colliquatiua hectica, ſtatim ſudores pronunciare poterimus ex partiū colliquationibus deuenire. Hi erunt quoquo pacto

colorati, & odore graueolentes, præcipuè ſi carnium colliquationes fiũt. Si febris ex copia crudorum humorum excitabitur, ſudores in ea ſuſcitati haud erunt colorati, ſed albi, & turbidi, qualis eſt lenta pituita; colorati verò ſi ex melancholia mouebũtur, eo quod nigri, vel pallidi cernuntur ſi ex hoc humore ſynceri ſudores erumpunt, vel ex pituita cum ſucco huiuſmodi commixta. Si fuerint milij formes faciliimè cognoſcentur, quia ſudores illi ſunt quædam paruulæ, & aquoſæ puſtulæ in cute diſſeminatę, inſurgunt ſubitò in corpore vniuerſo, hic, illic diſperſi; frequentius autem in manibus, & pedibus, & ſunt puſtulę ruboris, dolori ſque expertes, & aqua plenæ.

Sed quæſitum oritur ex his, An ſudores craſſi verè dentur? Primo dicitur, quod non; nam ſi humores craſſi, & viſcoſi illi ſunt, qui obſtructiones tum minantur, tum atque pariunt, vt Gal. in multis locis confirmauit, de neceſſitate ſequitur per anguſtiſſima cutis foramina tranſire non poſſe. Illa enim loca à tali craſsiori materia oppleta exitum quippè ſudorum interdicunt, ad quorum euidẽtiam aureum Gal. tex. 3. de ſympt. cau. 2. adducimus, ſic dicentis. Detinetur ſudor, ſi paucũ, ſi viſcidum, ſi craſſum fuerit excrementum, aut ſi conſtipãtur meatus; id verò ipſis accidit, vel quia obturantur, vel quia clauduntur. Obturãtur à ſuccis tum craſsis, tum viſcoſis, clauduntur verò vel ob inediã, vel mollitiem. Hæc Galenus. Ex quibus in humanis corporibus ſudores craſſos fieri poſſe non conceditur. Oppoſitum tamen ſentiunt ea, quæ ſuperius attulimus. Vbi autem conſiſtat difficultas, ingenioſi Lectores aures arrigant. Materia, quæ per ſudores à corporibus ad excretionem mouetur, vel intus craſſa, viſcida, & lenta fuerit, cuius generis ſunt multæ ſpecies pituitæ, & atræ bilis, vel tenuis fluida, & ſubtilis. Si tenuis, cum facilitate ad expulſionem per poros cutaneos, & in ſudores diſponitur. Sin verò craſſa, & lenta, abſque dubio obſtructiones parere, & meatus claudere poteſt, & ex tali non eſt aſſerendũ ſudores euenire, cùm à cutis meatibus exitum non habeat; nam ſi ad illos fortè traheretur, vtique ſua viſcida, & lenta corpulentia clauderet, & ſudoribus aditũ impediret. Verùm à natura duplici medio rei huic prouiſum exiſtimo. Primò. Craſſi, & viſcoſi humores adeo extenuari ſolent, vt facilis ſit per cutis poroſitates exitus: hęc autem extenuatio à duplici poteſt oriri calido, à naturali ſcilicet, & præter naturam. Secundò. Humores huiuſmodi cum extenuari nequeunt, ſero humorum, & fluidis ſuccis, ichoribus, & aquoſitatibus miſceri ſolent, vt hæc pro vehiculo ad exitum deſeruiant. Sicut enim ſeroſa materia,

& po-

& potulenta, auctore Hipp.in fine lib.de alimen. idcirco animalibus neceſſaria iudicatur,quia ſolidioris cibi eſt vehiculum,alioquin anguſtiſſima vaſa permeare nequiret: ſic humoribus iſtis craſſis, & viſcoſis ſeroſitas hæc,vel alter ſuccus conſimilis vehiculum cõſtituitur, vt tales humores per meatus cutaneos exitum habeant, & in ſudores vertantur. Ecce modò,quod ſudores craſsi,viſcidi,& tenaces, de quibus diſputauimus,oriri poſſunt,ex quo ita exponi tex. Auic.in cant.debere iudicaui,dum ait.Nigrum ſudorem melancholiã ſignificare:humor enim atrabiliarius ſua craſsitie,& terreſtri ſiccitate haud vnquam attenuari adeò poſſet,vt per ſudoris vias excerni poſſet,niſi ſero commixtus ad exitum diſponeretur. Experimento hæc omnia in ſanguine ex venis phlobotomo extracto comprobantur,ſiquidem ille dum ex vena inciſa fluit,ſubtilis aſpicitur; poſt autem temporis interuallum, ſi à craſsis ſuccis ille originem habuerit,craſſeſcit,& congelatur. Non ſecus ſudores craſsi faciunt, cum enim exeũt tenues,& fluidi videntur, atque liberè excernũtur,& per cutim diſſeminati craſsi, & veluti congelati,ſi manibus contrectari accidunt,pernoſcuntur.In malignis etiã colliquatiuis febribus vbi carnes, adipes,& pinguedines colliquãtur, atque per poros excernuntur, vtique à calore ardenti admodum hæ partes extenuatæ per ſudores euacuantur,vel ſero commixtę,ad exitum parantur;cuius opinionis eſt Actuarius 1.Method.cap.23. Ita intelligendus eſt Theophraſtus, qui ſudores craſſos ſcripſit ab humiditate profunda in partibus corporis prouenire, vt Petrus Paulus Simoneta in ſuo Medicinæ compendio etiam aſſerere videtur,qui loquens de craſſis ſudoribus à crudis humoribus illos in profundiori parte corporis ſuſcitari conſtituit.

De ſudore tenui. Cap. IV.

SI tenue opponitur craſſo, vt Gal. 11.Method. c.13. aperuit, de neceſſitate oppoſitas habebit differentias;ita oppoſitorum regula requirit. Vnde craſſum ſi communicatur cũ lento, viſcoſo,& tenaci; tenue oppoſitis adaptabitur,fluxili ſcilicet,molli,& ſubtili; non enim aliud eſt tenue,niſi materia habens partes rariores,& leuiores,quàm craſſum; quemadmodum Gal.4.ſimpl.med.facul.cap.2.manifeſtauit.Idcirco cùm per corporis poroſitates tales excernuntur materiæ, eas, ſudores tenues ap-

pellare conſueuimus. A quibus autem huiuſmodi moueantur, aperire non recuſamus.

Porrò in corpore noſtro tenuia, quæ pro materia deſeruiunt ſudorifica, in duplici ſecantur differentia, aliqua enim per ſe ſunt tenuia, & naturaliter; aliqua verò per accidens, & mediante morbo. Secundùm naturam in maſſa ſanguinaria reperitur flaua bilis, quæ veluti ſpuma eſt in ſanguine, tenuis, & ſubtilis exiſtens. Secundò, ſerum ſanguinis, ſiue ſeroſum excrementum datur, quod dependet à cibo, & potu. Tertiò, quædam aqueæ dantur humiditates, quæ omnia ex ſui natura ſubtiles partes habent, & aptas, vt ex ijs tenues moueantur ſudores. Has, dicebat Auic. 1. par. cantic. tract. 2. propoſ. 339. humorũ puritatem, & ſubtilitatem ſignificare. Tenuia verò, quæ per accidens eueniunt, vel quia ſanguinis maſſa ichores generat, naſcuntur. Siquidem ichores partes ſanguinis aqueæ ſunt, vel nondũ coctæ, vel corruptæ, vt in 1. lib. cap. 2. diffusè percurrimus. Vel ſuccedunt, quia humores tenues fiunt, & extenuantur, aut magni caloris ratione, vel medicamẽtorum attenuantium, vel à motu valido, vel tandem à locorum anguſtia. Profectò ex his ſubtiliãtur humores, & in tenues ſudores excerni poſſunt. Quod ex ichoribus humorum ſudores tenues ſuſcitẽtur, nulli dubium eſt, ſunt enim hi partes ſubtiliſſimæ, & aqueæ, quæ magna facilitate à venis ad corporis poros cutaneos trahi poſſunt, & in ſudores conuerti. Iſti autem duplici via excernuntur, vel ſynceri, vel cum ſeroſo excremento commixti.

Vt autẽ lucidiùs hæc omnia percurramus, requirit caſus vt aliqua adnotemus. Ideo ſciendũ volumus, notitiam ichorum primò ex morborum Idæa, in quibus fiunt, nos poſſe venari. Hoc ſit exemplum. Caſus, ſeu ardens febris, quæ æſtiuo ſuſcitatur tempore, & per quam totus homo vri videtur, vt ex Hipp. habemus 4. de rat. vict. in acu. c. 1. Oritur hæc cum venæ æſtiuo tempore exiccatæ, acrem ad ſe trahũt, & ſaniem bilioſam: per venas Hypp. intelligit venulas capillares, venas, & arterias, quæ in carnibus, & toto corporis habitu exiſtunt. Hæ ante alias exhauriuntur, & ſiccantur, ſiccatæ verò, ſugunt ex alijs; ſugunt autem ante alia ichores, ſeu tenues, & acres ſuccorum partes, eo quia, vt tenuiores facilius extrahũtur, & quia ſunt acres, & mordaces, citius demittũtur; hinc fit, vt corpus deinde vri videatur, vt bene Valleſius 4. de rat. in acut. com. 1. In febre hac ſi ſudores ſuperueniunt, vt ſæpiſſimè fit, Hipp. teſtimonio 4. Aphor. 58. vtique tenues eſſe oportet, & ex ichoribus bilis, vel ſalſæ pituitæ magna ex parte procedere.

Equi-

Equidem ardens febris alia eſt exquiſita, quæ ex pura bile oritur in magnis vaſis putreſcente, alia eſt nota, quæ ex ſanguine, & pituita ſalſa ortum ducit, in vtraque ichores plurimi gignuntur, qui in ſudores excerni poſſunt. Experimento hæc comprobantur omnia, eo quia ſudores ex ichoribus ſuſcitati ſolēt alijs eſſe magis moleſti, præcipuè ſi fuerint bilioſi, aut ſalſi; blādiores enim ſunt ſanguinis, & pituitæ, vtriuſq; verò bilis mordaciores ſunt. Hac de cauſa ſentiunt ægri ardores, & puncturas per ambitum corporis, cùm per ſudores ichores euacuant; tunc autem potiſſimum cum ichores minimè à ſeroſo excremēto correpti educuntur. Vtique prouida natura in ſudorum eruptionibus ſeroſas humiditates, & aqueas ichoribus miſcere ſolet, vt minori ægrorum afflictione ſudores fiant; alioquin ſi ichores putridi, bilioſi, & ſalſi, (teſtibus Hipp. 3. Aphor. 21. & Gal. in comm.) ſynceri per ſudores excernerentur, nō ſolùm puncturas, & ardores inducerent: verum atq; exulcerationes, & moleſtias maximas inferrēt, minores verò ſi ij cum ſero miſcentur, quod cùm ſit aqueum, facile eſt vt eorum acutiem, & acredinem obtundat, ex quo mites infirmis moleſtiæ ſuccedant.

Tenues ſudores ex immodico fieri poſſunt calore, quando hic humores adeò extenuat, & eliquat, vt per cutim educi poſſint. Obſeruatur hoc in multis calidiſſimis febribus, in quibus cùm vigeat calor igneus, & potentiſſimus, ſolent per cutis foramina tenuiſsimè eliquati humores, & præter hos ſerum, & aqueæ aliæ humiditates extenuatæ: cùm autem calor hic non humores tantum, ſed ſolidas etiam inuadit partes, illas ſolet colliquare, & nouos ſudores generare, colliquatiuos appellatos, vt nos ſuperius diſputauimus. Cupiens verò Gal. humorū tenuitatis docere originē, præter alias cauſas à magnitudine caloris, 2. Progn. com. 50. prouenire dicebat, aſſerens, tunc fieri humorem tenuiorem, cùm ab inflammatione detinetur. Inde fit, ſi in meatibus narium, oculorum, vel oris inflammatio fuerit, vt ex ijs partibus tenues effluant humores, quod in Peripneumonicis etiam viſitur, dū propter inflammationem ſeroſi, & fluxiles humores generantur, & per tuſſes educuntur. Ratio omnium obſcura non eſt, nam magnus calor, & febrilis humores extenuandi, fluxileſq; reddendi magnam retinet facultatem; hinc in febribus tales per ſudores elici, rationabile eſt, quando hic feruentior factus, non ſolùm humores extenuare habet, ſed naturales humiditates carnes, adipes, & pinguedines, vt in malignis, & ardentibus febribus colliquare.

Tenues ſudores à refrigeratione naturalium facultatum quandoq; origi-

originem habuere, tunc autem potiſſimum, cùm cõmutatrix facultas à concoctionis ſcopo aberrat: imbecillitatur enim calor natiuus, atq; à frigida partium corporis intemperie mortificatur adeò, vt non coctiones, ſed crudos generet humores, & proinde tenues, & fluxiles. Verùm frigiditas huiuſmodi duplici ordine ſuccedere poteſt, vel internè, vel externè; contingit internè quoties internæ partes imbecillitantur, & reſoluuntur, vt principalibus viſceribus aliquando euenit hepati potiſſimum, cuius eſt officium ſanguinẽ, & humores generare. Si enim pars illa, vel longo morbo, vel continuis cruditatibus, magna febre, potu gelidiſſimæ aquæ, vel alterius frigidi medicamenti, aliaq; cauſa taliter imbecillitatur, vt frigidã acquirat intemperiem, tenues, & aquoſos generat humores; nam calor natiuus illius partis quaſi refrigeratus nequit craſſiores illos facere: proinde ſi in ſudores illi vertuntur tenues, & fluxiles cõtrectantur. Obſeruantur iſtius generis ſudores in hydropicis, in quibus à talibus aquoſis humoribus ſuccedũt. At ſi externa operatur frigiditas non ſolum coctricem facultatẽ refrigerare ſolet; ex quo tales etiam gignantur fluxiles ſucci, ſed quandoq; dũ validiſſima eſt corporis ferè cunctas facultates mortificare, in quo conflictu natura penè emortua animantis relinquit humiditates per ſudores, eas non valens retinere. Caſus hic in ijs obſeruari quandoque poterit, qui per gelu, & niues iter peragunt, & frigora incommoda patiuntur. Non ex meipſo loquor, ſed Gal. munitus fundamento, qui in lib. de cau. ſympt. & de loc. affec. dum loquitur de Bulimo huius caſus nobis reliquit intelligentiam. Siquidem ex hoc morbo afflicti, dũ peregrinationes multas, & longa itinera, maximè per niues facta, paſſi fuerint, repentè animo linquuntur, cum extremarum partium refrigeratione, & ſpiritu defectione, & exinde neceſſariò exudant.

Quia autem & à calore, & à frigore ſudores tenues generari faſſi ſumus, indiget inquiſitio, vt modum, quo vtrique noſcantur ſudores doceamus. In hac re parum immorabimur, nam à calore ſudores tenues facti, vt plurimum colorati ſunt; à frigore autem decolores, & aquei apparent. Sed locus Galeni inſurgit 4. ſimpl. med. facult. 2. qui mollia corpora à frigido adeò exprimi poſſe, vt tenues humiditates emittãt, indicauit. Idcirco videamus, An corpora noſtra tale genus ſudoris pati poſſint? Profectò à frigore humores cõdenſari, poros obſtrui, & ſudoribus exitum impediri vulgatiſſimum eſt, qua ratione tale genus ſudoris concedendum minimè eſt. Sed quid reſpondemus Galeno, qui huiuſmodi adnotauit? Equidem in naturalibus ſæpè vnũ euenit, quod

fieri

fieri poſſe difficillimum, ſiue impoſſibile iudicatur. Examinemus hoc in propoſito quæſito; aſſerere enim, ſudores excitari à frigido, mirabile, & præſtigioſum exiſtimatur; nullatenus à frigore duplici ratione ſudores poſſe moueri, non eſt à veritate alienũ, namque & per expreſſionem, vel vnionem caloris in corporibus à frigore ſuſcitantur. Per expreſſionem ita confirmauit Galenus. Nam dum mollia contrahuntur, comprimunturque, humidum exprimi contingit, ſimulq; partes diuelli: humidum quidem ſicut in ſpongia à manibus noſtris cõtracta, compreſſaque; diuelli autem, ſicut in ijs, quæ diſtrahũtur, diuellũturq; ſiue à noſtris manibus, ſiue aliunde. Corroborat hoc Gal. in lacrymis oculorum, & in muccis à naribus, quæ à frigoris expreſſione erũpunt; quare ſi hoc verum eſt in hiſce caſibus, veriſimile eſt in ſudoribus contingere poſſe in mollibus corporibus, atque humiditatibus repletis, licèt raro; in duris autem, & ſiccis haud in naturalibus poſſibile eſt per compreſſionem ſuſcitari ſudores. Per vnionem caloris à frigore etiã ſudores moueri conſentaneum eſt; dum enim calor magnus eſt, ſi à frigore reuerberatur, validior factus, humiditates vtique valet corporis extenuare, & per ſudores euocare vehementiori impetu; violenter enim poros aperit, & humiditates excernit.

Quoniam incidimus in tennes ſudores per viam cruditatis, & frigoris cauſatos, non video cum ſilentio Ariſtotelis adnotandum in 3. de part. animal. cap. 5. me poſſe relinquere. Scribit Philoſophus, ſudores ex tenuitate, & aquoſitate ſanguinis oriri poſſe. Hos vocat ſudores cruentos, quos à vitiato corporis habitu fieri manifeſtauit; in illo enim ſanguis immodicè humeſcit, & in ſpeciẽ ſaniei, & ſeroſitatis diluitur, inde per poros emiſſus, in ſudores tenues, & cruentos conuertitur. Quia autem inferius de ſudore hoc, caput proprium conſcribemus, ſatis hic ſit per tranſitum illum tetigiſſe.

A locorum, & meatuum anguſtia ſudores tenues etiam ſuccedunt, huius rei apertiſſimum eſt exemplum in aquis maritimis, & ſalſis, quæ ex eo quod per anguſtos terræ poroſitates tranſcolantur, dulces, ſubtiles, & tenues redduntur, hoc ordine dum ſeroſa excrementa, vel humores per venarum anguſtiam, ſiue per cutis ſtricta ſpiracula percolantur, tenuitatem acquirunt, & tenues ſudores efficiunt. Non ſecus in vrinis iudicamus; cùm enim tenues apparent vel à cruditate, vel à calore extenuante, vel ex aliqua partium obſtructione tenuitatẽ illã prouenire ſuſpicamur. Paulus Simoneta ſudores tenues fieri poſſe à meatuum cutis anguſtia in ſuo compendio non conſentit, ex eo, quia

lati-

latitudo craſsitiem nõ arguat; res autem clara eſt, ſi tenuitatem aquarum à mare transfuſarum ad terræ viſcera, vel vrinarum conſideramus, quæ ſi à vijs corporis anguſtis percolantur, vtique tenues, & ſubtiles efficiuntur. At Theophraſtus dum ſudorum indagaret tenuitatem, tenues, & aquoſos ſudores ex humiditate fieri ſuperficiali ſcriptum reliquit: Hic eſt proceſſus ſudorum tenuium.

Sed mouetur quęſtio, An ſudores tenues fiant à calido, an à frigido? Dicamus à neutroque fieri, ratio eſt, nam ſi loquimur de calido, ſudores incraſſat potius, quàm attenuet; probatur ex Ariſt. 4. Meteor. vbi calorem agere ingroſſando, & inſpiſſando, vt patet in ijs, quę digeruntur, diſputauit. Inſuper videmus carnes aſſatas ab igne, vel à calore conſtipari, & indurari, non autem attenuari; idcirco aſſerendũ tenues humores, & ſudores fluxiles non fieri à calido. Nec etiam à frigido, nã illius officium eſt condenſare, & non attenuare, vt clarum eſt exemplum in balneis, quorum vapores ſi ad tectum eleuantur, ab illius frigore condenſantur, & in aquam conuertũtur. Si ergo ita eſt tenuium ſudorum, originem aliam à ſuperioribus allatis inuenire nos conſtringeret.

In oppoſitum tamen eſt Gal. decretum 2. Progn. com. 50. vbi probat, humores attenuari ex inflãmatione, & à calore magno; cõmunis enim opinio eſt calidi eſſe rarefacere, & frigidi condenſare. At frigidũ licèt condenſet, Gal. teſtimonio 4. ſimpl. med. facult. cap. 2. per compreſsionem tamen poſſe facere, licèt rarò, ſudores non dubitauimus: propterea & à calido, & à frigido ſudores tenues fieri dicendũ venit.

Vt autem quæſitum ſoluamus, ad Theoremata Marci Zimaræ recurrendum putamus. Hic propoſ. 17. ex induſtria diſputat, calidi eſſe rarefacere, & frigidi condenſare. Vt ſummã autem diſputationis enodaret, calorem diuidit in Naturalem, & Elementalẽ. Calor naturalis, quia ab anima regulatur ad diuerſos fines, ſecundùm animæ exigentiã pro ſui actibus exercendis mouetur, & ſic condenſat, dum ex ſanguine menſtruo generat oſſa, & membra ſolida, digeſtionẽ agit ingroſſando, vt 4. Meteor. loquutus eſt Ariſt. extenuat tamẽ ea, quę pro actibus animæ in corpore opus habet: quare calor hic tum attenuat, tum incraſſat, prout ad corporis tutelam expediens videbitur. Calor autem elementalis per ſe extenuat, & rarefacit; per accidens verò quandoq; condenſat, vt in conſumptis humiditatibus in poris exiſtentibus ex calore videmus, & in carnibus, quæ aſſantur ab igne. Cũ ergo aſſerimus, humores à calido extenuari, ex quibus tenues ſuccedant ſudores, vel intel-

intelligendum à naturali calido fieri attenuationem, vel ab elemẽtali. Si à naturali, ſupponendum eſt id fieri ad exequenda ab anima ſibi attributa munera, & ſic attenuat ſerum humorum, vel humores ſuperfluentes in corpore, & per ſudores quandoque expellit, vt illud à nocumentis liberet. Si ab elementali, & extraneo, vtique huius propriũ eſt extenuare, rarefacere, diſſoluere partes ætherogeneas: quod ſi cõdenſat, per accidens id facere manifeſtauimus. Ex quibus humores tenues fieri à calido, & proinde ſudores ipſos tenues non eſt amplius dubitandum.

Quoad frigidũ, An ex ipſo fiant ſudores tenues? Profectò breuibus quæſitum diſſoluimus, ex frigido per ſe nullatenus ſudores oriri, per accidens verò ſic; nam vel per compreſſionem mollium partium, vel per vnionem caloris ex ipſo factam, vel per frigidam in corpore intẽperiem introductam, ex qua humores tenues, & ſeroſi gignantur, vt in Anaſarca, Aſcite, & Timpania videmus, ſudores fieri poſſe non dubitamus.

De ſudoribus à Quantitate deſumptis. Cap. V.

SVdores à Quãtitate deſumpti multi, plurimi, copioſi, abundantes, aſſidui, non deſinentes dicuntur. Item pauci, interſecti, deſinentes, intercepti appellantur. De his duo agemus capita, primum de multo, alterum verò de pauco ſudore ventilabitur.

De ſudore multo. Cap. VI.

MVltum ſudorem appellabimus, qui copioſus, ſiue abundans in corpore videbitur; hæc autẽ ſignificatio, vel temporis quantitatem, qua continui, vel aſſidui vocari conſueuere; vel excrementorũ copiam, qua copioſi, abundantes, & plurimi dicuntur, complecti poterit. Hinc ortum eſt, vt apud Medicos, ſudores aliqui multi, & copioſi, aliqui verò aſſidui, nonnulli autem aſſidui, & copioſi, iuxta temporis, & excrementorum quãtitatem conſiderentur. Ex hoc Plin. in lib. 33. referente Ioſeph. à Coſta, loquendo de Hydrargiro, nam in igne reſoluebatur in vapores, qui deinde congelati iterum in Hydrargirum ver-

tebantur, vocauit illud, ſudorem æternum, nactus occaſionem, quòd nunquam deficiat.

Iſtorum cauſam volens Galen. indagare, 3. de cauſ. ſympt. cap. 2. aſſeruit, ſudoris copiam, vel propter corporis raritatem, vel propter excrementi abundantiam, vel propter eius, quod vacuatur, tenuitatẽ contingere. At 2. Progn. com. 60. ſudores continuos à virium imbecillitate ſuperuenire, & 3. de cauſ. ſympt. loco citato à reſoluto corporis habitu manifeſtauit. Auic. verò 4. 2. tract. 1. cap 66. dum de multo ſudore loqueretur, aliam cauſam nactus eſt, nimirum vehementiam, & fortitudinem facultatis expulſiuæ, & debilitatem retẽtiuæ, quod forſitan acceperat à Gal. 6. Epidem. com. 2. tex. 3. vbi ſcripſit, ſudores ſuperfluos vires debilitare; & tetigit etiam hoc in loco allegato de cau. ſympt. quando dicebat, ſudores continuos ſyncopim inducere poſſe.

Hinc recentiores, his viſis, varias, & numeroſiores multorum ſudorum cauſas attulerunt. Trincauellus enim ſup. Fen. 1. Can. 4. Auic. cap. 11. fluxum nimium ſudoris fieri ſcripſit, aut à nimio calore diſſoluente, & digerente corporis humiditates nõ ſolùm vitioſas, ſed & naturales, aut à virium imbecillitate, præcipuè verò contentricis facultatis à febris ſæuitia reſolutæ. Lelius à Fonte conſ. 22. ſudorem multũ vel à copia, & tenuitate humoris, vel facultatis retentricis imbecillitate, vel à nimia cutis raritate, vel à colliquatione habitus corporis, vel à viribus robuſtis prouenire conſiderauit. Sed ſcrutemur cauſarum omnium indaginem.

Prima occaſio ex Gal. multorũ ſudorum, cutis erat raritas, nec ſine ratione; illa enim facilẽ præparat aditum, vt corporis humiditates excernantur. Hinc Ariſt. 2. probl. 10. Homines aſſeruit in facie, maximè ſudare, nam ea, quæ laxa, humida, & ſoluta ſunt, facilem ſudoribus occaſionem præſtant: & probl. 4. Homines æſtiuis tẽporibus copioſius, quàm brumalibus ſudare, ratio eſt, quia illic temporis cutes rariores ſunt; calor enim exterior humiditates ſubtiliat, cutim rarefacit, & poros in æſtate aperit: id autem hyeme non ſuccedit, nam externa frigiditas excrementa, humoreſq; congelat, cutimq; cõſtipat, & poros adſtringit, & exinde ſudores impedit. At videamus quot modis cutis raritas ſuccedat. Profectò duplici de cauſa illam hominibus ineſſe, naturaliter ſcilicet, vel accidentaliter, rationabile eſt. Naturaliter cutis laxitatem homines ij habent, qui humidam à primordio recipiunt naturam, ſecus qui ſiccam; illius enim duritiem habent. Accidentaliter acquirunt, vel ex aere, vel balneis, vel morbo aliquo; aer ſiquidem, vel balneum,

balneum, dũ cutim humectant, relaxare ſolent: ita etiã nonnulla pręſidia, nimirum vnctiones, humectationes, & cætera, quæ in Apparatu ſudorum conſcribemus. Ex morbo aliquo raritatem in cute fieri, nulli dubium eſt, eo quod multi reperiuntur morbi, qui humidi exiſtentes, cutim relaxant; efficaciam tamen hanc nonnullorum affectuũ ſæuitiæ etiam attribuere poſſumus, quando propter caloris natiui reſolutionem, virtutiſq; retentricis defectu cutis laxitas ſuperuenit. Hac via à ſudore Anglico multos fuiſſe occiſos legimus. Verùm Hippoc. ambas temperiei cutaneę ſignificationes volens conſiderare, 5. Aphor. 71. ita dixit. Quibus cutes circumtenduntur aridæ, & ſiccæ, ſine ſudore moriuntur; quibus verò laxæ, & raræ, cum ſudore moriuntur. Propterea colligere poſſumus, homines, qui humidam habẽt naturam, & proinde cutis raritatem ad ſudores faciliter inclinari tum bonę valetudinis tempore, quando ſeroſa excrementa, vel humores ſuperfluentes naturæ imperio excernuntur; tum verò morbi, quando in corpore vitioſi redundant humores, & excrementa. Hæc autem à corpore, dum per ſudores excernuntur, vel mediante calore natiuo valido, & robuſto, vel extraneo, & febrili ad exitum ducuntur; vtique in cutis raritate, ſi caloris validi vis concurrit, multitudinem ſudorum non eſt verẽdum fieri poſſe. De his loquens Gal. in lib. de ſectis, cap. 9. dicebat. Multitudo tamen nonnunquam, tam immodica eſt, vt ego quoſdam viderim, quibus tantum ſudoris effluxerit, vt plumas etiam madefacerent, & in lib. de ſympt. differ. cap. 6. Quippe ſudor aliquando multo amplior, quàm pro naturæ modo, vel alui deiectio, vel vrina, ægrotantibus incidit, non ſolùm nulla actione læſa, ſed etiam cum virtutis robore, & prouidentia de animalis ſalute.

Sed dubitatio maximi momenti in dictis Galeni occurrit, ipſe enim 3. de cau. ſympt. cap. 2. ſudoris copiã, aſſeruit, à cutis (præter alias cauſas) fieri raritate, 4. Aphor. tamen com. 41. penitus negat, namq; Hipp. volens Aphor. examinare. Sudor multus, inquit, niſi illa particula [multus] addita eſſet, poſſet & propter virium imbecillitatem, & corporis raritatem accidere, in qua expoſitione Gal. manifeſtè negare videtur, ſudorem multum à cutis fieri poſſe raritate. Fuchſius in huius Aphor. commento, ita hoc expoſuit. Non autem temerè dixit, ſudor multus, exiguus enim ſi fuerit, viriũ potius imbecillitatẽ Gal. in com. teſte, vel corporis raritatem præſefert. Vidit dubium hoc doctiſſimus Mercurialis, & poſtquam admodum ſe extorſiſſet in demonſtranda dubij difficultate, ita voluit exponere, quod ſudor duplex eſt, vel

Diurnus, vel Nocturnus, qua diſtinctione ait. Sudorem nocturnum nunquam effici poſſe à cutis raritate, & virtutis imbecillitate, de quo Gal.4. Aphor.41. loquutum fuiſſe intulit; ratio iſtius eſt, quia quo tempore homines dormiunt, corpora ſunt valde conſtipata, & concluſa, vnde tunc ſi copioſè ſudant, non poteſt aſcribi raritati cutis Similiter quo tēpore homines dormiunt, vires naturæ ſunt validiores, ita quod ſi multum ſudant, nō poteſt tribui ſudor debilitati virtutis. Diurnum verò ait fieri poſſe à raritate cutis, & virtutis imbecillitate, & de hoc fuiſſe loquutū Gal.3. de ſympt. cauſ. cap.2. explicauit Epiphanius Ferdinandus lib.2. Theorem. cap.33. meditans Mercurialis expoſitionē hanc, defectiuam eſſe aſſeruit, eo quia in nocte etiam poſſit eſſe facultas imbecilla, & pori aperti; quare dubium ſoluit hoc modo. Sudores fiunt ex tribus cauſis, Facultate, Diſpoſitione, & Materia. Hæ ſi fuerint valde intenſæ, ait Epiphanius, in nocte faciunt multum ſudorem; ſi verò remiſſæ, faciunt in die paucum ſudorem. Sed pace tantorum virorum inquiſitio hęc nequit eſſe ſine iurgis, quia mentem Gal. nullo pacto penetrarūt; ratio eſt, quia qui naturaliter cutis habent raritatē, tam diu, quàm noctu multum poſſunt habere ſudorem, & ex viriū imbecillitate poteſt ſuccedere ſudor multus, etiam tam de die, quàm de nocte; quare cęcutiunt iſti viri in allata diſtinctione; Mercurialis enim non concedit, ſudorem in nocte fieri poſſe ex cutis raritate; & Epiphanius, quia voluit tres illas cauſas ſudorum in nocte eſſe intenſas, in die remiſſas, perpendens fortaſſis perpetuò ita fieri ſudores, quòd eſt totū oppoſitū. Profectò melius diceremus, ſi multitudinem ſudoris diuerſimodè comparamus ſanis, & ægris corporibus; diuerſa enim cauſa ſanorum, & ægrorum corporum ſudorū eſt. Idcirco ſi ſanis, ſudor multus contingit, quia ex robuſtis viribus, & valido calore natiuo ſuſcitatur, non raritati cutis, & virium imbecillitati eius adſcribemus originem, ſed naturæ fortitudini ſuperflua è corpore expurgātis; huius autem vigor, quia in ſomno validior eſt, ex eo, quod omnes naturales facultates validius agunt, propterea tanto minus ſudor in ſanis noctu factus, poteſt arguere principalem cauſam cutis eſſe raritatem, vel virium imbecillitatem; ſed potius fortitudinē naturæ, & caloris, valentem multum ſudorem excitare. Si autem ęgris ſudor multus ſuccedit, à cutis raritate, & virium imbecillitate poſſe fieri non eſt ambigēdum, eo magis, ſi talis ſudor non lege naturæ fuerit ſuſcitatus, ſed vi, & ſæuitia morbi. Hinc Galenū in 3. de cau. ſympt. cap.2. de ſudore in ęgris, in 4. Aphor. verò de ſudore in ſanis fuiſſe loquutum aſſeremus. Sed ali-

quis argueret contra noſtram ſolutionem, dicens, in ægris nõ ſemper fieri ſudores ex cutis raritate, & virium defectu; ratio eſt, quia ſudores critici in ægris à virium fortitudine ſuccedũt, & à calore naturali robuſto, minimè autem à virium imbecillitate, ſeu cutis laxitate. Huic obiectioni dicimus, ſudores criticos, ſudores eſſe naturales, & ſanorũ ſudoribus aſſimilari, qui fiunt à natura, proinde eundem habere ordinem. Symptomaticos verò fieri à raritate cutis, & virium imbecillitate, atque de his nos intelligere in quæſtione propoſita.

Equidẽ hæc noſtra diſcuſſio alicui videbitur Achillis; ſed ſciat hanc non eſſe Galeni mentem genuinam, licèt magis, quàm aliorum ad veritatem accedat: propterea veniamus ad ſcopum negotij. Primò autẽ afferamus Hipp. verba, è quibus lis tãta orta eſt. Sudor multus ex ſomno factus abſque occaſione manifeſta, corpus vti pluri cibo ſignificat: ſi verò cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet, quod euacuatione corpus indiget. Galenus modò volens Hipp. mentẽ explicare, dixit in com. quod tota vis Aphoriſmi cõſiſtat in verbo, multus, ratio eſt hæc, quia ſudor in ſomno factus, vel multus, vel paucus eſt. Quãdo eſt multus, vel ciborum, vel humorum repletionẽ ſignificat; & de hoc Hipp. loquutus eſt. Quando autem eſt paucus, accidit propter virium imbecillitatem, & corporis raritatem; & hoc volebat innuere Gal. cũ aiebat. Si enim ſudor multus non eſſet (quaſi diceret, ſi eſſet paucus) poſſet & propter viriũ imbecillitatem, & corporis raritatẽ accidere. Explicat ſeipſum Gal. hiſce verbis. Ipſius verò multitudo, altera duarum cauſarum fit, vel propter ciborum, qui ſunt recenter aſſumpti immoderantiam, vel illorũ, qui antea. Galenus ergò non negauit in hoc Aphor. copiam ſudoris poſſe prouenire ex cutis raritate, vt dixerat 3. de cau. ſympt. quia de re hac non dubitauit; ſed conſiderauit differẽtiam tantùm multi, & pauci ſudoris in ſomno facti, præter occaſionẽ manifeſtam, quemadmodũ expoſuimus. Hic etenim ſi eſt multus, tum copiam ciborum, & humorum, tum atque naturę fortitudinẽ indicat, quia calor per ſomnum robuſtior factus, ad exteriora, materias ad ſudorem diſpoſitas, ſecum faciliùs ducit. Si autem fuerit paucus caloris natiui, indicat impotentiam ad excretionem, & proinde cutis raritatem, & virium imbecillitatem, quæ cauſæ in corporibus acuto morbo languentibus poſſunt copiam ſudoris afferre propter maiorem natiui caloris infirmitatem, vt ſuperius tetigimus. Hæc porrò eſt Gal. veridica opinio, quam perperam Mercurialis, & Epiphanius intellexere.

Secunda occaſio multorum ſudorum, excrementorum erat abundantia.

dantia. Hæc duplici modo conſideratur, vel quatenus eſt in ſanis, vel in ægris corporibus. In ſanis ſudoris abundantia prouenire poteſt, vel à copia ſeroſi excrementi, aquearumq; humiditatum, & humorum ſuperfluentium. In ægris verò ex copioſis humoribus, excrementitijſq; humiditatibus, ichoribus, materijſq; colliquatis ſudores multi ſuperueniunt. De primis volens Hippoc. verba facere 4. Aphor. 41. dicebat, (iuuat hic iterum repetere Aphoriſmum) Sudor multus ex ſomno factus abſque occaſione manifeſta corpus vti plurimo cibo ſignificat, quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quod indiget euacuatione. In huius expoſitione Aphor. Gal. duplicem excrementorum conſiderauit abundantiam, propinquam ſcilicet, & remotam: propinqua eſt humiditas ex ciborũ repletione generata: remota verò ex aliorum humorum infarctu, quibus omnibus exonerare cupiens natura, in ſomno per poros expellere conatur. Hæc porrò excrementa tum in ſomno, tum in vigilia expurgari queunt; indifferenter autem, nam in ſomno ſine occaſione manifeſta ſæpiſſimè euacuantur, ſæpè etiam induſtria, vt ſtragulis, ſiue operimentis, & alijs huius generis ſudorem prolicientibus auxilijs. In vigilia verò ſine occaſione per ſudores minimè excernuntur; requiritur enim aliqua induſtria, vt internus calor ad ſudores proliciendos excitetur, quo fit vt benè valentibus multi ſudores accidant, non ſolùm nulla actione læſa, ſed cum virtutis robore, & prouidentia de animalis ſalute, vt aliàs Galenum citauimus in lib. de differ. ſympt. cap. vlt.

Vt autem cognoſcamus hanc excrementorum abundantiam, in ſudoribus, qui in ſomno copioſi apparent, de ijs, qui fiunt ex repletione ciborum, & humorum abundantia, exempla Hipp. adducit. Equidem eos ſupponit, qui ciborum repletione exudant, plurimum comediſſe, ac bibiſſe, copioſioriq; alimento vſos fuiſſe, ex quo grauata facultas, & natura ipſa nequeuntes tantam ſuſtinere copiam, per cutim in ſomno excernere tentant, cõcurrunt ad hoc ſanguis, & ſpiritus, qui à ſomno ad exteriora corporis reuertentes, ſimul etiam excrementa per ſudores expelli coadiuuant. Eos verò, qui repletione humorum ſudant, non lautam habuiſſe cœnam, copioſioremq; cibum ſupponit, ſed modicum, qui cibalem repletionem minimè generauit: hinc ſudantes in ſomno, vel à plenitudine, vel à cachochimia, & humorum prauitate ſtimulantur: propterea ſtatuit Hipp. ſudores, qui in ſomno abſq; grãdi alimento erumpunt, euacuatione indigere. Sed quis dubitaret. Cur tales ſudores euacuatione indigeãt, ſi humores peccantes per ſudores

pur-

purgantur? Huic dicendum, calorem natiuum in ſomno humores attenuare, illorum autem ſubtiliores tãtùm partes per ſudores excerni: craſſas verò, quia per poros cutaneos, & venarũ ſpiracula expelli nequeunt, remanere, quo fit, vt purgatione indigeant. Notat vnum hic Rodericus à Fonſeca, vt noſcere poſſimus, ſudores vtriuſq; repletionis, quod comeſtio in ſanis, & potatio fieri debeat cum appetentia; tunc enim ſignum eſt, quod ex his nutritio poſſit ſuccedere; proinde hac via, qui multum comederint, ſi in ſomno multum habuerint ſudorem, ex repletione cibali illum procedere nulli dubium eſt. Verùm ſi non appetunt, vel cibi modicum ſumunt, atque ſine appetentia, ij ſudantes in ſomno, humores noxios ſuperabundare manifeſtant, purgationemque, & euacuationem, iuxta humorum peccantium qualitatẽ corpora illa requirere. Profectò ex repletione cibali ſudantes vel ſanguinis miſſione, vel exercitio, vel mediocri cibo ſanantur, ex humorũ autem, medicamento purganti; vtraque verùm repletione, qui ſudauerint, vtroque præſidio indigebunt, ne in morbos incidant.

Multitudo ſudorum in ægrotantibus ex abundantia excrementorum, humorumq; peccantium, vel ex apparata materia in corpore colliquata procedit. Quoad excremẽta, & humores duplicem poteſt habere ſenſum; vel enim ſudores multi, in mitibus febribus, vel in acutis apparent: ſi in mitibus (licèt ſudorũ multitudo in febribus ſemper ferè ſuſpecta ſit) mitius malum portendunt: grauius verò in acutis, ſi abſq; naturæ ordine mouentur. Inſuper ſudores multi in ijs, vel calidi, vel frigidi erumpunt: ſi calidi minoris erunt periculi: ſi frigidi maioris. Multitudo verò ſudorum ex colliquatis materijs carnium, & partium ſolidarum, non ſolum ſuſpecta, & mala ſemper eſt, ſed etiam deterrima iudicatur, eo quod lethale indicium huiuſmodi ſudores faciunt apparentes. Differamus de omnibus.

Sudores multos ex materiæ ſuperabundantia oriri demonſtrauit Hipp. 4. Aphor. 42. quãdo dicebat. Sudor multus frigidus, vel calidus ſemper fluens, frigidus magis, calidus minus, morbum ſignificat. Hac ſententia duo ſapientiſſimus ſenex includere voluit. Vnum erat fluxionem, ſudoris continuam à multitudine prouenire materiæ, ex qua prædicendum à Medicis fore magnitudinem morbi, atque longitudinem; non enim perpetuò ſudor fluit, niſi ſuppeditantẽ ſibi habeat materiam; proinde ex illius abundantia magnũ eſſe morbum iudicamus, ſiquidem ſuſpectum eſt, ne ipſa natura priuſquam tantam concoquat, & ſuperet materiam, ſuffocetur. Alterum erat fluxionem illam, quia

modò

modò calida, modò frigida ſuſcitatur, crudiorem, & magis pertinacē ſignificare cauſam, ſi frigida flueret, quàm ſi calida. Sudores enim frigidi maius materiæ dominium ſupra naturam indicant, quàm calidi, quo fit vt peiores teneātur; ratio eſt, nam frigidi exeunt ſudores, quia à debili calore calefieri nequeunt. Hinc ipſe Hipp. 1. de morbis, talem ſudorem ex cruda ſemper, & non ſuperata materia procedere adnotauit. Commentatores in hoc Hipp. citato Aphor. de multo ſudore, calido, vel frigido, vnum perquam neceſſarium pro præſenti inſtituto ponderant, Hippocratem ſcilicet agere, de quantitate, & qualitate ſudoris, non quidem eius, qui in die iudicatorio fit, ſed eius potius, qui per vniuerſum morbi tempus accidit, quod per ea verba ſemper fluēs oſtendere voluit, quaſi ſignificare voluerit conſtantem, & perſeuerantem ſudoris effluxum, qui tum temporis, tum materiæ ratione multitudinem, & quantitatem arguat. Ponderat Fuchſius ſudores frigidos craſſitiem materiæ, quæ facile diſcuti, aut euinci nequeat, à calore præſeferre, hinc longitudinem morbi oſtendere; calidos verò materiam tenuem, quam natura promptius concoquere, & diſcutere poteſt, ideoque breuiorem etiam morbum denotare.

Hippocrates 7. Aphor. 61. ſimilem attulit ſententiam cū ſcribebat. Sudor multus calidus, aut frigidus ſemper fluens humorem abduci, robuſto quidem ſuprà, debili verò infrà ſignificat. In hoc autem, in tali ſudore euacuationis moliendæ modū docere voluit, quæ erit vel vomitu, vel alui deiectione molienda, reuocans fortaſſis in memoriam, quod 1. Aphor. 21. monuerat, humores eò ducendos eſſe, quò ſua ſponte repunt, ita enim facilius euacuantur, propterea ſudores, qui ad partem ſuperiorem mouentur, per ſuperiora indigere purgatione ſignificant; quia tamen hoc præſidij genus non omnibus ratione imbecillitatis conuenit, idcirco decretat corpora robuſta vomitu, imbecilla verò per inferiora purgari poſſe. Si attendimus motum humorum, ſudores apparentes circa inferiores partes euacuatione per alui deiectionem egere neceſſariò confitebimur. Cur autem Hipp. potiſſimum de ſudore, qui ad ſuperiora tendit, loquatur, ſcire curioſum eſt. Fonſeca in Comm. voluit, ſudorem fieri maximè ad partem ſuperiorem, quia viſcera ad ſupernam corporis partem collocantur, vel illi ſaltem ſunt affinia, vnde ſudor præcipuè circa faciem, & thoracem conſpiciatur, ideo per ſuperna indicare euacuationem, niſi repugnet imbecillitas. Ego autem huic homini minimè aſſentior, eo quia in curando ſudore quolibet, indigeremus vomitu, dum per ipſum humorum impetum ad

ſupe-

ſuperiora, viſcerum ratione ſemper habemus; quapropter alia eſt indagãda ſolutio, vt Hipp. intelligamus. Equidem iudicaui ſemper Hippocratem non de ſudore tantùm, qui circa faciem, & thoracem erumpit in hoc Aphor. fuiſſe alloquutum, ſed etiam de eo, qui à toto fuiſſet corpore, quod ex eo percipitur, quia ait, ſudor multus ſemper fluens, ſub qua clauſula non magis particularem, quàm vniuerſalem oportet intelligere, quod autem potiſſimum pro auferendo, inferat vomitum; (quo multi ſuſpicãtur de ſudore quoad partes ſuperiores velle loqui) ratio eſt hæc, quia vomitus poteſt competere tum in particulari, tum in vniuerſali ſudore; in particulari, ſi eſt in partibus ſuperioribus, competit ratione euacuationis; ſi verò in inferioribus, ratione reuulſionis. In vniuerſali, quia ſudores multi à repletione fiunt, quam vomitus de facili curat. Ecce modò, quod de ſudore totius corporis oportet Hippocratem fuiſſe loquutum, quamuis pro cura vomitum principaliter proponat. Sed quia noſtra hæc expoſitio forſitan non omnibus erit cordi, idcirco aliam inueniamus. Profectò antiquitùs ad tuendam ſanitatem, & ad morbos præcauendos maximoperè homines vomitui indulgebant, à quo prę ſidio haud videtur Hipp. alienus, qui in 3. lib. de Diæta omnem repletionem vomitu curat; quia autem ſudores multi, calidi, & frigidi, & à repletione, & à copia excrementorum fieri poſſunt, meritò Hipp. vomitum iubet pro auferendis, quia auxilium hoc quoad euacuationem, & reuulſionem plurimũ prodeſt. Arcet ab hoc auxilio imbecilles ratione eorum ſimplicium, quibus vomitum prouocabant antiqui, helleboro ſcilicet, & huiuſmodi validis medicamẽtis; cuius defectu per alui excretionem his curationem proponit Qui vna non eſt contentus, ambas recipiat explicationes.

Veniamus modò ad alteram Hipp. ſententiã 4. Aphor. 56. vbi clariori ſermone ſudores multos à copia materiæ deriuare demonſtrauit per hæc verba. Febricitanti ſudor ſuperueniens, febre non deficiente malum; prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem. In hoc Aphor. non ratione qualitatis, quia ſint calidi, vel frigidi ſudores Hippocrates, ſed ex copioſa materia colligit morbi lõgitudinem, propterea addidit multam humiditatem, vt tales ſudores ſignificaret longitudinem affectus minari, quia fiunt à multa humiditate, quæ à natura non facilè ſuperatur, eo quod ad concoquendam, longiſſimum requiritur tẽpus. Hic Hipp. de ſudore, qui febribus ſuperuenit exẽplificauit tantũ, vt illum intelligeremus, qui cũ febre incipit eandem retinere naturã in prorogando morbo, ſi eo fluente, affectus nõ deficiat.

Excipimus ex his,ſudorem iſtum non ſolùm eſſe malũ ratione ſigni, multitudinem materiæ, & naturæ grauamen indicantis,verum atque ratione cauſæ, eo quod effluxus hic ægrũ debilitat; vapor enim exhalat,qui vel febris materia non eſt,vel ſi eius eſt, haud concocta reperitur,proinde corpus imbecillitari credibile eſt; nam vt 6.Epid.com.2. tex. 33. habemus ex Gal. quãuis ægrotantibus ſudores conducere videantur,exceſſus tamen multitudinis noxius eſt,namque vires debilitat,propterea huiuſmodi ſudores extenuata ſolent in febribus corpora facere,vt 2.Aphor.com.28.diſputauit.In febribus igitur vbi multa ſuppetit materia , effluxus multos ſudorum videre ſolemus: idcirco graui eſt vſus ſententia Hipp.3.Aphor.6.dum aiebat.Quando æſtas fit veri ſimilis,ſudores in febribus multos expectare oportet. Corpora enim dum multis imbibuntur humiditatibus,facilè eſt,vt ſudores euocentur,ſi cauſa efficiens valida reperitur,modò ſi ęſtas humida fuerit, proculdubio ſudoris materiæ maximè vigebunt, proinde ex ambiẽtis calore ad cutem attractę,in ſudores multos moueri poterũt.Explicat hoc Gal.in com.hiſce verbis.Rationabiliter igitur æſtas,quæ ſit arida ſatis,aſſumit,atque reſoluit humiditatem:ſimilis autem veri,ob caliditatem quidem attrahit ad cutim;ob humiditatem verò non poteſt per modum vaporis reſoluere. Tota igitur humiditas in morborum iudicijs,dum affatim excernitur,ſudores multos facit. Hæc Galenus.

At ſi in corpore non ſolùm multa,ſed copioſa redundet materia,ſudores vtique non modò abundantes , ſed etiam copioſiſſimi apparebunt;de his habemus exemplum in Galeno in lib.de ſectis , cap. 9. qui ſudores obſeruauit tam immodicos, vt plumas etiam madefacerent. Succedunt hi cùm non ſolum materia plurima eſt, ſed agens validum, iſta vt attenuari,& ad cutem poſſit euocari,exiſtit. Præſtat in præſentiarum iterum repetere ſudoris abundãtiam modò tempus reſpicere, modò autem illius materias : ſi enim reſpicimus tempus,in ſudoribus, vtique nonnullos, licèt quoad quantitatem effluxus multitudinẽ non habeant,multos,& abundantes appellare ſolemus,eo quòd diſtẽduntur,& continuantur cum temporis progreſſu. Huiuſmodi generis ſudores illi ſunt , qui in aliquot febribus quaſi à primo die viſuntur ; non ſoluunt tamẽ febres,licèt perpetuò effluant: ob id Gal.in lib.aduerſus Lycũ,cap.2.has,humidas,Typhodæas, & Helodæas febres appellat, recentiores verò ſudorificas , quales Anglicæ illæ febres Epidemicæ vocatæ fuerunt. Sin verò reſpicimus materias abundantes,vtique in pauco tempore multos poterimus habere ſudores, in vno ſcilicet,vel

duobus

duobus diebus, quemadmodum in inchoatis, diminuitis, & perfectis criſibus obſeruamus. Huius rei ſit exemplum virginis Abderæ caſus, apud Hippocratem 3. Epidem. Hæc vigeſima die ſudauit, & quod credere eſt, multum, nam febre viſa eſt liberata; at illa quarta, & vigeſima repetijt, eo quia criſis hæc fuerat imperfecta; vigeſima ſeptima, vltimò ſudauit copiosè, & à febre perfectè eſt iudicata. Ecce modò, quòd reſpectu multitudinis materiæ in pauca temporis diſtantia copioſi ſuccedunt ſudores. Quia autem in ſalubri morbo exemplum attulimus, non ea fuit ratio, vt conſimiles in pernicioſis, & lethalibus affectibus non videantur, quia dũ hi criſes diminutas, & perfectas etiam habent, licet ad mortem, ex ſuperabundantibus excrementis, & prauis humoribus ſudores plurimos, & copioſos oriri non eſt ambigendum.

At ſolent aliquando ſudores tum reſpectu temporis, tum materiæ adeò eſſe abundantes, vt perpetui, & copioſi vocari mereantur; ſunt enim copioſi quoad effluxum abundantem, perpetui verò, quia in febrium temporibus continuantur. De his differendum putamus, deq; eorũ natura in pernicioſis affectibus, in mitibus enim ſuperius tractauimus. Porrò ſudores multi, qui in febribus conſpiciũtur, non iudicantes, mali cenſendi ſunt; ratio eſt, quia humorũ multitudinem denotãt, pro qua ſuperanda naturæ ipſæ tẽporis longitudo opus eſt; propterea in acutis, vbi natura breui ſępenumero extinguitur, non raró mortem præſagiunt. Hi enim neque febrẽ ſoluunt, neque alleuant, crudo q; vti dictũ eſt morbo erumpunt, quo fit, vt longitudinem, recidiuas, & laborem ſignificent. Horum autem peiores, qui iudicentur, ſuper Hippoc. 4. Aph. 42. dictũ eſt. Sudor multus, calidus, vel frigidus ſẽper fluẽs, &c.

Auctor Prorrhet. lib. 2. cap. 23. vocat hos ſudores in acutis febribus inutiles; quod non ſiluit etiã Hipp. 1. Epidem. quando dicebat. Sudores multi his tantum aberat, vt recrearent, vt etiam contra læderent. Idem in hiſtoria Philiſci etiam tetigit. Hic enim acutè febriens, tertia die ſudauit ex inſigni plenitudine humorum, ex ſudore tamen recreatus minimè eſt, at, quod peius, febris acutior facta eſt, nam ſubſequuta fuit ſitis, & linguæ ſiccitas, quæ ſigna morbum à ſudore acutiorem fuiſſe redditum declarant; proinde ſexta die mortuus eſt. Huius morbi & vires, & ſymptomata volens Hipp. oſtendere, inter alia dixit. Sudores frigidos per totũ; qua particula non intellexit Hipp. Philiſcum aſſiduè ſudaſſe frigidè, ſed ſudores, qui illi contingerunt, ſemper fuiſſe frigidos. In hiſtoria autem Eraſini alterum adnotauit, illum nimirum habuiſſe febrẽ perpetuò cũ ſudore, primi erant interpellati, ſed multi

ex humorum abundantia; ſecundi perpetui, nam quoad tempus, & efflūxum erant multi, & abundantes. Eraſinus enim febre ſudorifica laborabat, proinde perpetuò ſudabat. Sudabat autem continuò, quia ſynocho putrida torquebatur, hæc cũ orta eſſet à ſanguine ichoroſo, facilè ſucceſſit, vt cum illa copioſi effluerent ſudores. Adnotauit etiã Hipp. ſudorem multum, & continuum in phrenetico, in cuius hiſtoria bene cognoſcitur ſignum illud fuiſſe exitiale; erat enim ſudor multus, per totum, & in prima die, ex quo arguere non eſt difficile ingentem humorũ copiam in toto corporis ambitu fuiſſe. Hæc ſolet morbi longitudinẽ oſtendere, niſi adſint alia praua accidentia copulata; in quo caſu non longitudinem, ſed potius mortem præſagit; neceſſe enim eſt vt citò natura ſuccumbat, cùm à pluribus, & magni ſymptomatibus affligitur.

Colligimus igitur ex prænarratis, ſudores multos continuos, & copioſos in acutis morbis non iudicatorios, & inutiles, & plerũque eſſe lethales. At omnium certiſſimum exitium præmonſtrant ſudores ij, qui vnà cum virium languore fiunt. Pernicioſi etiam ſunt aſſidui, aut ſimul copioſi, aut non copioſi in ijſdem acutis morbis. Vt enim diximus, vel materiæ ſudorificæ exeunt non concoctę, vel febres non ſoluentes, vel quæ febris materię non ſunt, corpora idcirco extenuãtur, & debilitantur, virtus elangueſcit, noua inſurgunt ſymptomata, & ægrorum labores. Hoc volebat innuere Prorrhet. auctor lib. 1. c. 15. dum aiebat. Mente aberrantes, acutè ſuperfebrientes cũ ſudore phrenetici fiunt. In confinio iſtorum ſunt ſudores illi, qui à virium imbecillicitate, & reſoluto corporis habitu ſuccedunt, de quibus mentionem fecit Gal. 2. Progn. com. 60. & 3. de cau. ſympt. 2. in quibus locis magis periculoſi, & exitiales eſſe prioribus videntur; idcirco ſciendum volumus, ſudores huiuſmodi haud eſſe copioſos ratione continui effluxus, ſeu materiæ, ſed temporis. Solent enim eſſe continui, & aſſidui, quãdo aut propter corporis raritatem, aut virium imbecillitatem accidunt, ſiquidem fiunt ſoluto corporis habitu, ſicuti exeunt in ſyncope, Gal. teſtimonio, 3. de cau. ſympt. loco citato, & 4. Aphor. com. 41. vbi corporis raritatem in acutis morbis à reſoluta retentrice fieri explicauit. Propterea perniciales in talibus affectibus ſudores ij exiſtimãdi ſunt, cùm naturæ languorem denotent, quod ſi non ſolùm continui, ſed copioſi vna fuerint, vtique peſſimi ſunt iudicandi, nam & ſummam viriũ debilitatem, & inſignem humorum copiam oſtendunt. Ex his ideo ineuitabilis mors prædicenda eſt.

Aui-

Auicenna de huiuſmodi ſudoribus loquens, ſudorem multum in acutis aſſeruit febribus, poſtquam nulla adueniat requies, hecticam, & ſpaſmum ſignificare. & in cantic. Superfluum ſudorem cum virtutis debilitate, ex labore contingere, mortemq; fore propinquã denotare. At 4.2.tract.1.cap.71. Sudorem multum tenuit morbi longitudinem, & materię multitudinem ſignificare, vbi autem hic fuerit interſectus, malum eſſe, & pernicioſum.

Cum ſudoribus ex languidis viribus, & reſoluto corpore ſæpiſſimè alimentales humiditates diſcuti, & excerni ſolent. Capimus hoc tum à Gal.2.Progn.60.tum in 3.Prorrhet.com.6.quando dicebat. Sudorẽ cum criticus non eſt, aut redundantiam humoris, aut facultatis imbecillitatem denotare. Quomodo autem vires imbecillentur, ex quibus deinde multi ſuccedant ſudores dicamus. Eſſentia virium, quibus noſtrum regitur corpus, vt Gal.12.meth.med.5.tum in ſpirituum, tum in ſolidarum partium conſiſtit temperamento. Hinc euenit (ſi ſpiritus, vel illarum temperamentum non integrè ſeruatur, vel corrumpitur, vires diminui, & diſſolui; idq; videtur in longiſſimis morbis, in acutis, & malignis febribus, quæ corpora colliquare conſueuere. Inſuper in frequenti atrophia, qua ex defectu alimenti animal extenuatur. Volens autem communes cauſas, quibus vires, vt plurimum concidunt, Gal. indagare, nactus ex Pythionis tremore occaſionem, 3.Epidem. com.& tex.1. ſcrutatus eſt ex viribus imbecillibus illũ naſci potuiſſe, illaſq; à morbo grauante, fame, ſollicitudinibus, vigilijs, laſſitudine, & immoderata Venere reddi poſſe imbecilles, quæ cauſæ, vt vires diminuant, neceſſe eſt vt prius in ſpiritus, & in ſolidorum corporũ temperamentũ, tanquam ad virium baſim fortiter agant. At in morbis, quomodo vires grauentur, & reſoluantur, vt negotiũ clarius fiat, aliquid differendũ puto. Multis equidem credo eſſe notiſſimum, vires collabi vel ex copia humorum grauantium adeò, & opprimentium naturam, vt facultatem retentricem imbecillitari vnà contingat; vel ob inflammationis, & caloris, cuius incendio vtiles humiditates reſoluũtur, extenuantur, & foras exeunt, vehementiam; vel venenoſos ob vapores, ſpiritus corrumpentes, quibus deficientibus, vires deficiunt, & collabuntur; vel quia diſcutitur deductum alimentum, cuius inopia vires vtique decidunt. Sunt & aliæ cauſæ tum extrinſecè, tum intrinſecus aduenientes, hæ autem ſunt potiſsimæ, ideo in præſentiarum ſufficiãt.

Sudores ex virium imbecillitate originem habentes in malignis, & acutis febribus conſpiciuntur; ſæpiſsimè etiã in hecticis ſyncopticis,

&in

& in animi deliquia patientibus, in his enim, vt Gal.3.de cau.ſympt.2. ob virtutis contentiuæ debilitatem, quæ non poteſt ſerum, vel vtiles corporis humiditates intra vaſa continere ſuſcitantur. Proinde in hecticis copioſiſſimi quandoque ſpectantur ſudores; at illi non fiũt, quia morbus declinet, quinimò quanto hectici in deterius mutantur, atque fiunt morti viciniores, tanto copioſi magis ſudores apparent. Succedunt etiam hi in morbis omnibus, in quibus ſpiritus vel reſoluuntur, vel ſuffocantur, vel corrumpuntur, vel vbi ſolidorum partium temperamentum noxam patitur. Ita enim omnis langueſcit corporũ potentia, & robur, inde naturales humiditates relaxatæ, per poros exeũt, & in ſudores vertuntur. Qui autem, quomodo alteratio, vel corruptio ſpirituum, vel ſolidorum corporum temperamenti ſuccedat, intimius ſcire voluerit, Galenũ adeat, 12. Meth.med.cap.5. ibi enim addiſcet, qua via habitus corporis reſoluatur, & vires imbecilles reddantur. Scopi autem ſumma eſt, ad contentiuæ facultatis impotentiam, quæ non poſſit vtilia continere, hæc omnia reduci, quo fit, vt ſudores hos multa ratione pernicioſos iudicemus, ex eo quod naturæ languorem denotant, & exitium.

Ex ſimilibus cauſis ſudores illi ſuccedunt, qui colliquatiui nominantur. Hi profecto in colliquatiuis febribus apparent, & à reſoluto habitu, à viribus defeſſis, & à colliquatis ex venenoſo aeri, & potenti incẽdio, materijs prodeunt. De his Galen.3.de cau.ſympt.2. hæc attulit. Carnoſo verò genere ita colliquato, tum venter fluxionem eius recipit, vbi ſcilicet ea eſt craſſior, tum ſudores multi ſuperueniunt, vbi in halitus eſt reſoluta. De his etiam 10. Meth.med.cap.vlt. 1.de diff.feb. cap.8. & 3. Epidem.com.3.com.34. verba fecit, & nos in cap.de cauſis, diffusè tractauimus de huiuſmodi colliquatis materijs, & de taliũ ſudorum efficiente cauſa, de calore nimirum præter naturam, acri, & adurenti, qui magis ardore, quàm putredine corpora vexare conſueuit.

Sed non erit longè à propoſito, quid in morbis ſalubribus, multi ſudores indicent explicare. In hoc negotio duo diſputãda proponimus, vnum eſt, quid agant in febribus intermittentibus; alterum verò, quid in continuis. Sudores hi, ſi in febribus ſuccedunt intermittentibus, periodici dicuntur, quia per periodos erũpunt, in quibus, ſi ordinem temporis congruum ſeruauerint, vt non prius, quàm in ſtatu, ſiue declinatione acceſſionũ appareant, vtique ſalutares ſunt iudicandi, atq; illorum copioſa excretio virtutis fortitudini, quæ ſuperfluitates corporis putreſcentes expellere poſsit, eſt adſcribenda. Hinc ſæpiſsimè non-

nonnullas febres tertianas exquiſitas non ſeptenis circuitibus terminari, ſed quinis, aut paucioribus, & aliquot quartanas paucis periodis obſeruare ſolemus, quod ab alio non procedit, quàm à cita humorum coctione naturæ, & à virtutis robore in expellendis ſuperfluentibus excrementis, vel per vomitũ, vel per aluum, vel per ſudores. Si autem ſudores iſti temporis congruitatem circa exitũ non ſeruauerint, atq; in acceſſionum principio, vel paulo poſt apparuerint, profectò non à virtutis robore, ſed à ſtimulata expulctrice ex onere, vel qualitate materiæ putreſcentis procedere coniecturandũ eſt; quo caſu ſuſpecti iudicantur, ne ob copiam humorũ, in longitudinem febrium, vel in continuas degenerent, vel, quod eſſet peius, in malignas; ſiquidem multi mortui ſunt ex tertiana pura, & intermittenti, eo quia perniciosa materia latitabat vt anguis in corpore; de qua re legendus eſt caſus in Paulo Tucca lib. de feb. cap. 21. Idcirco humorum copiam longitudinem tantùm poſſe facere credendum eſt, niſi fuerit etiam mali moris, quo caſu non longitudinem, ſed breue morbi ſpatium, & ad malum promittit. At ſi multi ſudores in continuis febribus apparebunt, ſi moderati erunt, & ægrum non liberabunt, longitudinem morbi præſagiunt; natura enim longo, pro coctione ſuperfluæ, & putreſcentis materiæ indiget ſpatio, nec mortis periculum in huiuſmodi, niſi alia inſurgũt ſymptomata, imminet; vbi autem multus, aut aſſiduus ſudor emanat, atque in deterius æger mutatur, mortis ſubeſt periculũ, quia maiorem accerſit, & cauſat impotentiã. Vt aliud, quàm longitudinem morbi, ſudores hi minari nequeant naturæ quandam conformitatem ſeruare debent, vt non appareant ſcilicet in acceſſionũ principio, ſed in fine incrementi, ſtatu, vel declinatione; ſecus enim ſi erumperent, duplicem afferrent ſuſpitionem, vel quod materia in corpore peccãs adeò ſit copioſa, vt à natura regulari nequeat, vel quod febres hęc degenerent in malignas. Humores enim peccantes, licet in febriũ principio benigni quoquo pacto, & placidi fuerint, ex quibus proinde pauciſſima ſubſequãtur ſymptomata, cùm verò natura adeo opprimitur, vt ad illorũ coctionem deuenire non poſſit, tractu temporis malitiã, & ſæuitiã acquirunt. Ideo peioris conditionis exiſtunt febres illæ cõtinuæ, quæ ſudores habent in acceſſionum principijs, quam quæ in generalis temporis initio exudant; ſiquidem in hoc dummodo acceſſionis tempora ſeruent, vt ſudores, per corpus expanſo calore, & non intus contracto, erumpant, non maius periculum, quàm morbi longitudinem, labores, & recidiuas habere ſolent. Natura enim in longo

morbo,

morbo,& cũ ſudoribus debilitatur: hinc Gal.3.de ration.vict. in acu. Sudores immodicos vires euertere dicebat, & alibi ex illis corpora extenuari. Propterea concludimus naturam longiori tempore indigere ad concoquendos peccantes humores,quando in febribus ſudores multi ſuccedunt,abſque illarũ ſolutione; ratio eſt,quia dum copia humorũ,& laboribus moleſtatur,neceſſariò vires habet infirmas, quo fit, vt præ illarum imbecillitate debiliter agat operationes, & conſequenter ad ſuperandum morbum longo indigeat tẽpore. Has febres volebat innuere Gal.4.Aphor.41.cũ dicebat. Sudor multus, calidus, vel frigidus ſemper fluẽs,&c. in quo Aphor. ex multitudine indicauit morbi longitudinem; peiorem autem,& longiorem ex frigido, quàm ex calido ſudore,cuius rationem ſuperius adduximus. At ſi frigidus ſudor,& multus in acuta febre ſuccederet,non ſolũ morbi longitudinem,quemadmodum in mitiori facit,ſed mortem,& exitium portenderet,vt 4.Aphor.37. Hac de cauſa in acutis Medici a tali ſudore admodum perturbantur, vt exinde vel morbum inſuperabilem, vel extremam virium debilitatem denuncient.

Tertia occaſio multorum ſudorũ ex Gal. decreto à tenuitate eius, quod vacuabatur, procedebat, nec ſine ratione; materia enim tenuis perpetuo videtur diſpoſita,vt per vaſa anguſtiſſima trãſire poſſit;hinc mirum non eſt ſi ex ea ſudorũ multitudinem obſeruamus.Quotuplex autem materia huiuſmodi exiſtat, & à quo ad tenuitatem elaboretur, iam explanare paramus. Porrò in maſſa ſanguinis, vt aliàs vidimus in cap.de ſudore tenui,iſtę materiæ vocabantur tenues.Serum humorũ, humiditates aqueæ ichores humorum,& flaua bilis, at iſtarum aliquæ per ſe,aliquæ verò per accidens tenues exiſtunt. Incipiamus modò à ſeroſo excremento,aqueiſq; humiditatibus,quæ in venis quaſi perpetuò cum ſanguine reſident.Continuò enim ex poculentis,& exculentis generantur,& per ſudores, veſſicam,& aluũ excernuntur. Vt autem per cutaneos poros ſeroſa poſſint euacuari excrementa, ſubtiliatione indigent,vt anguſtos meatus permeare queant. In ſanis corporibus hæc à naturali calore tanquam ab effectrice cauſa adoritur, quo fit,vt ſudor magis,quàm vrina,Gal.teſtimonio 1.Aphor.com.15.dicatur elaboratus:hoc nos in cap.de ſudoris generatione innuimus,quando ſudorem,& vrinam penes craſſitiem, & tenuitatem differre declarauimus. In ægris verò corporibus ſubtiliatio,& tenuitas à calore naturali, & præter naturam in humoribus, & excrementis generatur, ſæpè etiam à debili naturæ calore, quo ſanguis, & humores crudeſcunt,

deſcunt, & aqueſcunt, vt ſuperius tetigimus.

Calor ergo naturalis attenuat materiam potulentam, & ex illa multos aliquando ſuſcitat ſudores: calor verò febrilis nō modò hanc poteſt extenuare, verum atque aqueas humiditates, & humores, ex quorũ corruptela ichores ſuperueniunt, & in ſudores verti poſſunt. Hinc ſudoris copia modò flaua, modò alba, modò alterius cõtemplatur coloris; ratio eſt, quia hic, vel alter magis attenuatur, & excernitur humor. Hic autem calor præter naturã cùm intenſior fuerit, non ſolùm hæc, ſed ſolidas etiam partes attenuare valebit, vt aliàs tetigimus. Ex hiſce omnibus clarè percipitur tunc copioſiores poſſe ſuccedere ſudores, cùm nō ſolùm excrementorum aderit tenuitas in corpore, ſed etiam abundantia, & pororum apertio, de quibus Gal. 2. de diff. feb. cap. vlt. ſic dicebat. Hinc verò ſi humores fuerint tenuiores, potentia robuſta, & corpus rarum, maxima humorum putreſcẽtium pars in ſudorem reſoluta euacuatur. In quibus verbis vnum attendendum volumus, quod ſicuti copioſi ſudores ex robuſta potentia, quam Gal. hic expulctricem intelligit, venire poſſunt, ita etiam ex infirmiori contentiua. Sicut enim à prima humorum, & excrementorum redundantiam per viam expulſionis excerni videmus, ita ab altera retentionis defectu inutiles, & vtiles humiditates euacuari cognoſcimus: de his loquebatur Auic. in citato tex. ſuperius, cuius occaſione quantùm potentia, vel defectus virtutis in ſudoribus valeat non paucis explanauimus. In pręſentiarum verò haud erit inutile talem ſudorem habere originem à nimio calore, qui digerit tum vitioſas, tum naturales corporis humiditates recenſere, ita equidem cauſarum numerum multitudinis ſudoris compleuiſſe videbimur. Proueniebat enim ſudoris copia, vt ex Galeno, alijſq; auctoribus vidimus ex corporis raritate, excrementi abundantia, eius tenuitate, viribus imbecillibus, ſeu reſoluto corporis habitu, & à nimio calore diſſoluente, & digerente, vt in febribus, quas Gręci Helodes, & noſtri ſudorificas vocãt, obſeruamus. In his ſudor proprium eſt ſymptoma: nam vis humoris concepto intus incendio, in perpetuum vaporem, & ſudorem diſſoluitur.

De ſudore pauco. Cap. VII.

PAuci ſudores, de quibus ſermo inſtituitur, à cauſis multum ſudorem facientibus, oppoſitis, vt Gal. 3. de cauſ. ſympt. cap. 2. oriuntur. Hę autem cum tria reſpiciant, facultates nimirum corporis, ipſius texturam, humores, & excrementa: idcirco tria examinanda propoſuimus. Primum erit, Quale ſit corpus, quod nullum, vel paucum habeat ſudorem? Secundum. Quando ex humoribus, ſiue noſtri corporis excrementis pauci ſuſcitentur ſudores? Tertium. An facultas aliquando repugnet generationi ſudorum? Sit primum pro hypotheſi, ſudores non rarò paucos vocari, quia in vna tãtùm corporis parte videntur: vel licèt ſit in toto, quia pauca, aut modica eſt eius excretio, nonnunquam etiam paucos, quia ſudores ſæpenumero largè profluere incipiunt, ſtatim autem intercidunt, & occultantur; hi dicuntur ſudores interſecti: paucum enim modò tempus, modò verò excretiones reſpicit.

Sed veniamus ad inſtitutũ noſtrum, & primò ſcrutemur, An detur corpus, quod nullum, aut paucum poſſit habere ſudorem? In re hac recolendum illud eſt, quod in cap. de multo ſudore diſputauimus, inter alia nimirum illius requiſita cutis raritatem, pororumq; apertionem eſſe neceſſaria: ideo ad oppoſitum faciendum, oppoſitæ cauſæ opus ſunt. Vt in multo cutis ſit rara, in pauco ſit denſa, in primo pori ſint aperti, in hoc verò ſint occluſi, & obſtructi. Veniamus ad ſcopũ. Corpora fiunt denſa, vt Gal. 3. de ſanit. tuend. cap. 10. tum ab ijs, quæ adſtringunt, tum quæ refrigerant. Denſationem voco, quę conniuentia à nonnullis ſolet appellari, hæc tum ex valido frigore, tum ex aluminoſo balneo in corporum cute ſuperuenit, 2. de criſ. cap. vlt. ex Galeno, item ex pinguedine, & carnis mollitie, item ex calore exiccãte partes cutaneas, ex poris obſtructis à craſſis, & glutinoſis humoribus, 3. de ſympt. cau. 2. & vltimò ex atrophia corporis, qua tum pori contrahuntur, tum atque ad conniuentiam ducuntur. Sed veniamus ad omniũ declarationem. Vtique ex valido frigore cutes poſſe adeò denſari, vt ex ijs ſudores minimè exeant, credibile eſt. Capitur hoc à Gal. 6. Epidem. com. 6. com. 4. nam frigiditas non ſolùm cutem poteſt intendere, atque denſare, verum etiam humores illi propinquos congelare, proinde quantò frigiditas hæc maior fuerit, tantò maiorem

in humoribus, & in ſuperficiali cute conſtipationem fieri poſſe, credendum eſt. Clarè hoc expreſſit Galen.in lib.de venæ ſect. aduerſus Eraſiſt.cap.vlt.dum aiebat. At in contrario rerum ſtatu, vbi videlicet ambiens nos frigidus, inſuperq; animal ſine motu degat, denſari illicò exteriorem ſuperficiem, defluereq; nihil prorſus, aut vndequaque parum, & ob id feræ, quæcunque latibula incolunt, alimentis opus non habent. Cùm enim hæ ſub hybernum frigus, quo tempore in cauernis commorantur, toto corpore frigidæ, ſegneſque, ac denſæ ob quietē redditę ſint, & exterior ſuperficies iam abſtricta fuerit, nihil tunc defluere par eſt, neque etiam, quod vacuatum eſt, repletione indigere: alioquin nutrimento opus haberent, ad quod inueſtigandum eapropter incitātur, quo defectui, quem ex inanitione perceperunt, opem ferant. Hæc Galenus.

Verùm hæc frigiditas corpori pluribus poteſt contingere modis. Non ſolùm enim ex frigido aere circumfuſo, qui modò paucā, modò magnam inducit frigiditatem, cuius reſpectu maior, vel minor circa cutem oritur denſatio, ſed etiā ex medicamentis, & vnctionibus qualitate frigidis, vel craſſis per cutes manumiſſis. Hæc autem innumera ſunt, ex quibus ſtupor, & conſtrictio in carne, & cutis ſpiraculis connaſcitur, quo fit, vt ſudores de facili impediantur. Obſeruamus hoc in praxi, dum ſudores ſuperfluos compeſcere conamur in febribus apparentes. Siquidem imperamus vel flabellis aere frigidū circa corpus moueri, vel vnctionibus ex frigidis, & craſſis oleis, vel aquis, ſiue ſpongijs medicatis aquis emollitis. Quæ omnia ſi per corporis mouētur ſuperficiem, pro ſudoris repercuſſione, & carne conſtipanda, & denſanda, mirifica iudicantur auxilia. Ex balneo aluminoſo carnes etiā denſantur adeò, vt ſudores emittere nequeant. De hoc Andreas Libauius in lib.de iudicio aquarum mineralium differuit, apertiùs tamen Iulius Iaſolinus lib.2.de balneis Ænariæ, cap.5. vbi non ſolùm aluminoſi balnei, ſed aliarum aquarum, quę cutes denſant, & ſudores compeſcunt, narrat efficaciam. Profectò non ſolùm ex balneo aluminoſo cutem conſtipari, & ſudores impediri coniecturandū exiſtimo, ſed ex omnibus ijs etiam, quę aluminis naturam participāt, quemadmodum ea ſunt, quæ calida, & ſtiptica exiſtunt acria, acuta, & ſalſuginoſa, cuius qualitatis alumen quodammodo reperitur.

Ex pinguedine etiam, & mollitie corpora à ſudorum excretione poſſunt impediri; foramina enim cutis in pinguibus, & mollibus corporibus conniuent, hinc ſudores cùm exitū non habeant, retinentur.

Hac motus occaſione Ariſt. 10. Probl. 21. nã lingua ex eo, quod rara eſt, omnia ſaporum genera percipere poteſt, pingue vnumquodque eſſe denſum manifeſtauit: propterea ſi cutis denſa, & pinguis eſt, ſudores haud emittit, vel paucos. Hoc itidem in carnis mollitie dicendum, ſolet enim quandoque adeò mollis eſſe, vt facilè eius foramina conniueant, & occludantur. Hac de cauſa Gal. 3. de ſymptom. cauſ. molle, facilè recludi aſſeruit: & 9. de vſu par. cap. 1. molles corporis partes meatus non habere: nam mollia, & humida corpora expeditè quidem cedunt, & ijs, quæ impetu concitatiori per ipſa feruntur, viã dare ſolent: præteritis verò ijs rurſus in priſtinam cohærentiã coaleſcere ſolent. Volens autem docere, in quibus corporibus hæc inueniatur mollities 1. de compoſ. med. ſecun. loc. cap. 2. mollem cuticulã habere pueros, mulieres, & eunuchos declarauit; quo textu mollitiẽ & à natura, & per temporis ſucceſſionem, ſiue à morbo fieri poſſe in corporibus, elicere poſſumus, & proinde ex ijs vel nullos, vel paucos ſuſcitari ſudores, quia vbi conniuentia, ibi denſitas oritur, & ſudorũ impedimentum. Sed clariùs 2. de temper. cap. 5. Gal. ſimilem adduxit poſitionem nactus occaſionem de paruorum puerorũ mollities; Cur ſcilicet, pilis nudi ſint? Cui reſpondit, idcirco pueros pilis nudos eſſe, quia propter eorũ primordiam mollitiem, meatus, ex quo pilus exiret adhuc ijs nullus eſt. Quapropter ſi ex mollitie piloſum exitum impediri reperimus, ex ea ſudores retardari etiam non eſt dubitandum.

Ex caliditate etiam adurente, & exiccãte cutaneas partes ſudores oriri paucos, ſapientibus non eſt incognitũ, ex ea enim adeò corpora intenduntur, & obdurantur, vt ad ſudandũ inepta fiant, cùm foramina ob carnium tentionem, & exiccationẽ minimè pateant. Hoc equidem Ariſt. inferre volebat 2. Prol. 9. quando dicebat. Solem magis nuda, quàm induta calefacere corpora, & exinde ſudores haud mouere, quia Sol deurẽdo corpora, comprimit foramina, & vapores exiccat. Hoc autem perpetuò verum non eſt, cùm ſępenumero à Solis caliditate in copioſos corpora ſuſcitentur ſudores, ideo quomodo à caliditate ſudores inhibeantur, exponere decreuimus. Equidem caliditas ſi immediatè corpora tangit, profectò cutem intendit, & meatus cõprimit, & tanto maior erit hęc actio, quãto ipſa potentior eſt; ita enim calido, & ſicco feruore deurit partes, & poros occludit. At ſi aliquo medio ipſa tãgit tm̃ abeſt, vt ſudores impediat, vt potius abundantes ſuſcitet, eo præcipuè ſi corpora ipſa humidum, vel tepidum ſentirent calorem. Hoc inferebat Ariſt. quoad exemplũ de corporibus indutis.

Hæc

Hæc enim dum à Sole calefiunt, equidem multos, & non paucos excernũt ſudores: ratio eſt, quia vapores, & humiditates, quæ ad cutem trahuntur, à calore, qui in indumentis conſeruatur, minimè exiccantur, proinde carnes nec indurantur, nec foramina comprimuntur, cũ vis deurendi in ſummo in eo haud ſita, ſed potius ab indumentorum medio remiſſa, quo fit, vt ſudores minimè impediantur; ſecus verò cũ corpora non velata Soli exponuntur, deuruntur enim, & ſpiracula cutis adeò obdurantur, vt conniuentiam maximam recipiant. Huius naturæ res igneæ, & admodum calefacientes exiſtunt, olea nimirũ, & vnctiones adurentes ſi per corpus liniuntur, aer externus feruidiſſimus, calidiſſimæ febres, & cętera, quæ cutim exiccant, & indurant. De negotio hoc volens Hipp. verba facere, 5. Aphor. 71. ſic dicebat. Quibus cutes circũtenduntur aridæ, & ſiccæ, ſine ſudore moriuntur, voluit hic ſapientiſſimus ſenex cutim duram, & circũtenſam, ſignificare magnam ſiccitatem, & proinde ſudores non facere. Hoc etiam in quibuſdam febribus, quæ exiccant, & arefaciunt corpus conſiderauit: ſiquidem hæ adeò exurunt, & circumtendunt cutim, vt adurere videantur: vnde illud in Progn. cutis circa frontem arida, dura, & intenta, nõ ſine artificio dictum eſt, quia ex hoc exprimere potuit in talibus febribus nullos, vel paucos eueniſſe ſudores.

Ex poris etiam obſtructis pauci fiunt ſudores, celatur enim eorum exitus, cùm ſpiracula clauduntur, à quibus autem cauſis pori obſtruãtur, dicere non recuſabimus. Hæ profectò duæ exiſtimantur, internæ nimirũ, & externæ. Internæ humores craſſi, & glutinoſi eſſe poſſunt, qui ad cutis foramina demiſſi, tenaci eorum qualitate obſtruunt, & claudunt. Inſuper corpora pinguia, & mollia, quia ſpiracula corporis habent conniuentia. His adduntur internæ inflãmationes, & adurentes febres hæ, quæ valeant corpora arefacere, & cutim intendere. Ex his pauci ſuccedunt ſudores. Externæ verò cauſæ illæ omnes eſſe iudicantur, quæ vim poros claudendi, cutim denſandi, ſeu conſtipãdi retineant. Huius naturæ tum aer frigidus, tũ medicamenta conſtringentia, aquæ medicatę, vel naturales conſtipantes, vel calor ambiens adurens, aut vnumquodque calidũ, quod cutim exiccet. Inſuper ſpurcitia circa cutem, & ſimilia, quę quodam lentore vias ſudorũ obſtruere poſſunt, & cętera omnia, quæ corpora denſare, cutim tendere, & poros ipſius claudere, obſtruere, vel conſtringere valeant. Ex quibus corporis conſtitutio, è qua pauci proueniunt ſudores, longiſſimè, vt credo, examinata videtur.

Secundum quæſitum erat. Quando ex humoribus, ſiue noſtri corporis excrementis pauci ſuſcitentur ſudores? Profectò huius rei cauſas, multas eſſe inuenio. Vel enim in corpore humorum, ſiue humidi excrementi fuerit inopia, vt in Atrophia, magnis inedijs, & exiccatis corporibus viſitur, & ſic ceſſante materia, ceſſat ſudor, vel paucus elicitur. Vel humidæ materiæ plures, & copioſæ exiſtunt in corpore, ex his autem ſudores non oriuntur, cùm fortaſſe fuerint craſſæ, viſcoſæ, & glutinoſæ, & non trahibiles per ſudores. Vel iſtæ molles, & aquoſæ ſunt, atque aptæ, vt per ſudores excerni valeant, impediuntur tamen ab obſtructis, occluſis, aut conniuentis cutis ſpiraculis, vel niſi impediuntur, aliò mouentur, & excernuntur forſitan per aluum, vrinas, aut inſenſibiliter. Vel iſtæ materiæ reperiuntur congelatæ, ſiue denſatæ cutis vitio, quæ ab exteriori aere, ſiue alijs medicamentis ſtuporem, & congelationem accepit. Vel tandem materiæ iſtæ, licèt in corpore copioſæ reperiantur à caloris, vehementia priuſquàm in ſudores abeant, abſumuntur. Conſpicitur hoc in febribus magnis, & ardentibus, in quibus Medici non rarò nullos, vel paucos vident ſudores, quia à febris ardore diſſipatur, & abſumitur quaſi omnis corporis humiditas. Exemplũ eſt in Hermocrate 3. Epidem. com. 1. tex. 7. qui afflictus ab ardẽte, & acuta febre, falsò videbatur mundus die 14. non enim ſudorem, nec aliam excretionem, vt par erat, habuerat, ita & die 20. tandem 27. obijt. Licèt enim à febre liberatus viſus fuerit, quia tamen exitialia in morbo aderant ſymptomata, vt in expoſitione illius hiſtoriæ Gal. recitat, & quia non ſudauit, vt ſaltem hac via natura eſſet alleuiata, perijt. In hoc propoſito non eſt cum ſilentio pertranſire corpora chachetica, quamuis in ijs multa adſit humiditas, paucos emittere ſudores, propter magnam corporis caliditatem diſſipantem, & abſumentem humidũ, quod per ſudores elici poſſet. Huic addendum volumus adnotandũ illud, quod de ſenibus à Theophraſto aſſeritur. Cur ſcilicet modicè ſudent? quoniam materia potulenta (reſpondit) exugitur in ipſis à membris arefactis, & exiccatis.

Tertium erat quæſitum. An aliqua noſtri corporis facultas excretioni ſudorum repugnet? Huic obiectioni nam facultas Retentrix, & Expultrix in cauſa eſſe poſſunt, vt pauci fiant ſudores. Diximus enim ſuperius, à facultate expulſiua valida, & potenti multos euocari ſudores, propterea à debili poſſe impediri, vel paucos fieri, aſſerendũ eſt. Quoad facultatem retentiuam, vtique notiſſimum eſt, quod ſi ipſa fortis fuerit, pauci euenient ſudores, at ſi debilis, plurimi, ex eo, quod humi-

humiditates non retinet. Hinc ligãdo huiuſmodi facultates vnà, aſſerimus à retentiua valida, & expulſiua debili, paucos, vel nullos oriri ſudores; ab expulſiua verò valida, & retentiua debili multos, niſi in hoc obſtiterit, vel inopia materiæ, vel foramina cutis occluſa, vel aliud impedimentum, de quibus ſuperius diffusè tractauimus.

Præter hæc cauſarum quæſita, quæ circa paucos ſudores adduximus, non eſt à propoſito vnum adnotatum à Gordonio alienũ explicare, quod pauci ſudores, præter alias cauſas, procedere poſſint vel quia reſoluens materias debile eſt, vel quia pori ſunt debiles. Ex his duo veniunt nobis ponderanda. Vnum, quod in paucis ſudoribus requiritur, reſoluens debile, quæ cauſa eſt efficiens, calor ſcilicet, qui ſi debilis fuerit, paucos humores, pauca excremẽta extenuare poterit, atque paucos mouere ſudores. Vt enim dictum eſt, humores, & excrementa, antequam per cutis foramina educãtur, extenuari, & diſponi opus eſt: huius actio, caloris eſt tam naturalis, quàm præter naturam, prout occaſio inſurgit. Hic autem Gordonius de calore naturali potiſſimũ intellexit, qui ſi debilis fuerit, multitudinem ſudoris minimè poterit ſuſcitare, ſed paucitatem tantùm, eo quia tunc copioſi erumpunt ſudores, cùm copioſa præparatur materia, ad quod exequẽdum validitas, & non debilitas caloris requiritur. Hic manifeſtiùs aperitur Dioclis error, qui ſudorũ abundantiam à calore debili fieri volebat: tantùm enim abeſt, vt calor debilis plurimos agat ſudores, vt potius nullos, vel paucos, vt aliàs diximus. Alterum eſt, quod ad faciendos paucos ſudores neceſſe ſit poros eſſe debiles, quę opinio videtur à veritate longiſſima, nam in humorũ motu, datur pars mandans, quæ eſt fortis; pars recipiens, quæ eſt debilis; & materia, quæ mandatur, quemadmodum exemplificauit Gal. de redditu acceſſionũ, 2. de diff. feb. cap. vlt. Hinc Gordonius aſſerẽdo, in paucis ſudoribus poros eſſe debiles, præſupponit in multis, & copioſis eſſe fortes, quod eſſet aſſerere, poros attrahere corporis humiditates, & excremẽta, adeo quod quando ſunt fortes, plures attraherent, & plures facerent ſudores; quando verò ſunt debiles, pauciores attraherẽt, & pauciores ſudores euocarent. Hoc profectò veritati, & experientiæ opponitur: nam ſi pori attraherent, quaſi quotidie vel multum, vel paucũ ſudarent corpora, quod tamen nõ videtur. Inſuper cutis ipſa, vt Gal. in lib. de cau. morb. nullam aliam vtilem habet actionem, quàm recipere, & excrementorum eſſe receptaculum, & ſi hoc eſt, ipſa non attrahit, ſed ea recipit tanquam pars debilis, prout in alijs humorũ motibus fit, in qui-

bus partes fortes humorũ effluxum non recipiunt, ſed potius expellunt, debiles verò recipiũt. De his quotidiana in podagricis, & articularibus morbis viſitur experientia, in quibus humorũ fluxio in articulos, tãquã ad partes imbecilliores regurgitat, & à fortibus expellitur. Quod ſi fluxio illa in principio repercutitur, vtique alio euocatur, ad internum corporis, & nouas parit affectiones, à nulla autẽ corporis particula recipitur, niſi fuerit debilis, & ad repercuſſionem inualidæ. His benè percipitur fluxiones ad debiles partes tranſmitti, & à fortibus expelli.

Quid ergo ad Gordonij auctoritatem dicendũ, cùm tot, & tantæ contrarietates aduerſus ipſum reperiãtur? relinquemus forſitan confutatum, hoc non. Idcirco ſciendum eſt, illum benè eſſe loquutum: non enim intellexit, poros eſſe debiles, in paucis ſudoribus, eo quia minus attrahant, quàm in multis, nec in abundantibus eſſe fortes, ex eo quod fortiter attrahant, ſed eſſe debiles, hoc eſt molles, denſos, ſiue quodammodo conniuentes, quaſi dicat Gordonius tunc ſudores fieri paucos cùm pori cutanei debiliter excrementa recipiũt; vel propter eorum mollitiem, pinguedinem, ſiue conniuentiam; quo impedimento pauca excrementorum materia per ipſos poteſt exudare. Vel dicendum, quòd pori tunc debiles eſſe iudicantur, cùm occludũtur, & obſtruuntur à craſſis, & glutinoſis ſuccis, à ſordibus, vel cùm à frigore denſantur adeo, vt niſi pauci ex ijs ſudores exudent. Vel dicẽdum, quòd pori ipſi tunc debiles eſſe iudicantur, cùm debiliter excrementa expellunt. Habet enim, expulctricẽ nõn ſolùm vniuerſum venoſum genus, verùm atque cutis ipſa, quò fit, vt cùm pororũ expulctrix valida, & fortis eſt, multos poſſit excitare ſudores; cùm debilis, & infirma paucos, & de hac debilitate loquebatur Gordonius.

Arnaldus Villanouanus in tract. de parte operatiua, ſigna obſtructionis pororum cutis attulit, quæ hęc ſunt, paucitas ſudorũ, carnoſa, & pinguis habitudo, diminutio, vel demiſſio cõſueti exercitij, frictionis, vel balnei, longa quies, & ocium. in lib. verò de regim. ſanit. cap. 2. adducit ea, quę diminuunt ſudorem, & excretiones in corporibus, & quæ augent, è quibus pororum fortitudo, & debilitas maximè cognoſcitur: quare Lector illuc adeat.

Veniamus modò ad paucorum ſudorum ſignificata. Hi profectò in duplici verſantur differentia, vel enim in ſanis, vel in affectis corporibus conſiderãtur. Quoad ſana corpora, pauci ſudores, vel ex defectu ſeroſæ materiæ, ſiue humorum, vel ex dura corporis textura, inedijs

magnis,

magnis, frigoribus cutim denſantibus, ocio, intermiſſo exercitio, & balneo, procedunt, idcirco prædicunt vel obſtructiones, vel craſſorū humorum, & excrementorum copiam, vel illorum paucitatē: quando autem ſudores pauci proueniunt ex vita ocioſa, ſiue intermino exercitio balneis, & frictionibus, prædicunt multigenas in corpore humiditates adeſſe, paucas tamen euacuari per ſudores, ob aliquod pororum impedimētum. Sudor autē hic ex interminis inſtitutionibus leui occaſione, leuiq; motu excitatur; adeo quod corpus vel leuiter incaleſcat ſuæ repletionis comprobat exemplum. Si enim quis in magno exercitio aliquantulū ſudauerit, vtique vis exercitij erit in cauſa, vt in ſudorem erumpat, nam calor excitatur à motu, humores extenuat, & ſudores euocat, quod ſi quis ſine occaſione, vel leuiſſima in ſudores mouebitur, ſignum eſt ſuperfluas humiditates in corpore propter intermiſſas operationes redundare. Verùm ſi alter non ex leui motu, ſed ex frequētato, & forti, paucos tantùm habebit ſudores, vtique ex pinguedine, vel molli corporis natura, quibus pori cōniueant, inopia materiæ, vel à poris obſtructis ex craſſis, & glutinoſis ſuccis, eorumque originē dependere cenſendum eſt. Auic. autem 3. 15. tract. 1. ſudorem conſuetum retentū, hicteritiam prędicare aſſeruit. Gal. verò in 2. artis med. inter ſigna futuræ ægritudinis cōnumerauit pauciores ſudores. Hæ ſiquidem obſtructiones, putredines hicteritiæ laxitudines, & alię affectiones eſſe poſſunt.

Quod ſi ſudores pauci in morboſis corporibus conſpiciuntur, ſemper vtique, quia malitiæ præſeferūt, nam Gal. 2. de ſanit. tuen. cap. 12. aſſeruit, quod ſudor ſi fiat minor, quàm par ſit, corpus nimiū exiccari, atque conſumi, eſſe iudicium. Et Auic. in Cant. ſudorem paucū, obſtructionem cutis, craſſitiem humorū, expulſtricis debilitatem, digeſtionis paruitatem, ventris mollitiem, & fluxū, in morbis poſſe ſignificare, ſcriptum reliquit, quem locum dum Auerr. exponeret, hæc indicia vera eſſe confirmauit, namq; ex his cauſis ſudores retineri conſueuerunt. Et Vidus Vidius ſenior lib. 3. 2. tomi, cap. 12. paucitatem ſudoris in ægrotantibus nunquam eſſe ſecundùm naturam, manifeſtauit, ſed perpetuò ſymptoma, ſiue ex toto fluat corpore, ſiue ex partibus ſuperioribus duntaxat. Hoc itidem Hipp. & Gal. 1. Progn. 26.

Sudores autem pauci licèt ſemper ſuſpecti iudicētur, atque malitia pleni, eorum tamen malignitas ex morbi idea vel maior, vel minor, vel peſſima exiſtimatur: ſiquidem in morbis benignis, multæ malignitatis eſſe non conſueuere; ſecus in acutis, & prauis affectibus, quia in

ijs nō modo mali,ſed peſſimi etiam reputantur,& frigidi,calidis priores eſſe dicuntur,cùm à maiori occaſione originem habeant. Differamus de omnibus.

In morbis,qui acuti non ſunt, ſi pauci ſudores excitantur, vel quod appareant in toto corpore, vel in eius determinata particula,copiam humorum craſſorū, vel obſtructos meatus indicāt, & proinde morbi longitudinem præſagiunt.Cùm autem obſtructio,& humorum lenties,præter morbi longitudinem, niſi viarum apertioni, & humorum inciſioni attenditur,noua ſolet pericula inducere,idcirco non omnimoda ſuſpicione carent; ex hac enim excretione conatus naturæ inualidus iudicatur, qui nequeat excernere eorum humorum copiam, è qua natura opprimitur, & aggrauatur. Verùm hæc omnia peiora fiunt,ſi ſudores iſti pauci fuerint frigidi, denotabunt enim non ſolùm humorum craſſitiem,ſed admodum crudam,pro qua concoquenda longiori natura indigeat tempore:propterea ex his craſſos humores, obſtructiones, & morbi longitudinem, ſi calidi fuerint, prognoſticamus:ſin frigidi,eorum qualitatem crudiorem,& morbum diuturniorem fore,naturamq; oppreſſam iudicamus.

In acutis verò cum quibus ſæpiſſimè copulantur,profectò maligni perpetuò, & nūquam ſine periculo habentur, teſtis ſit Hipp.2.de rat. vict.44. qui vocat prauos illos ſudores,qui circa collum apparent, & 3.Epidem.com.2.tex.5. Adoloſcentem narrat, qui in 2.die paucum habuit ſudorem,& in 7.obijt; Gal.in com.huiuſmodi ſignum inter lethalia fuiſſe commonſtrat, non tantum,quiá ſudor fuiſſet exiguus,ſed quia intempeſtiuus, & inconcoctus etiam eſſet; melius enim eſſet naturam nihil mouere,quàm malignitate, aut copia materiæ ſtimulatā, fruſtrà excretionem ſuſcitare. Hipp.etiam 2.Progn.29. peſſimos vocat ſudores,qui circa caput,aut faciem, aut ceruicem frigidi apparuerint,eoſq; in acuta febre mortem,in mitiori autem morbum fore diuturnum ſignificare exiſtimauit;ex cuius ſententia elicere poſſumus,in acutis morbis, ſudores paucos ſemper eſſe malos, peiores verò,qui frigidi fuerint: hinc Galenus in com.paucos ſudores,circa has partes calidos, futuram minari ſyncopim; frigidos verò præſentem ſyncopim, & mortem.

At explicemus cauſam,& rationes adducamus, Cur in acutis morbis, ſudores pauci tantæ malitiæ eſſe ſoleant? Incipiamus à die eorū exitus, ſi enim nō fuerit dies decretorius,vtique mali ſunt, quia vltra dies decretorios venientes extra naturæ ordinem erumpunt: ſiquidē

natura

natura dum à iudicijs abeſſe debet, ſi ad labores, & ad pugnas coactè ſtimulatur, nulli dubium eſt, debiliter illas aggredi, & proinde à morbo euinci, quia à multitudine, & acri humorum qualitate in tempore incongruo, quando ipſa forſitan defeſſa ob coctionis illorũ conatum, irritatur ad iudicia: propterea Hipp. 4. Aphor. 36. loquẽdo de diebus decretorijs, ſudores, aſſeruit, vltra dies decretorios apparentes, laborem, longitudinem morbi, & recidiuas ſignificare; quæ omnia ſi fuerint in acutis, peiora denunciant, mortem ſcilicet, & fatalem exitum. Si autem ſudores pauci in die decretorio eruperint, proculdubio irritum conatum naturæ expellentis indicabunt, atq; humores, aut craſſitie, ſeu lentore, aut meatibus anguſtioribus factis non poſſe expellere; quod ſi meatus adſtricti nõ fuerint, necnon & alia ſigna adfuerint humorum multitudinis, pauci ſudores craſſorum, lentorumq; humorum copiam denotabunt. Cognoſcimus meatus non eſſe adſtrictos, quando cutis, nec atrophia contrahitur, nec refrigerata multũ fuerit; neque admodũ mollis, vel eius foramina obſtructa non fuerint. Idcirco ſi in paucis ſudoribus humorũ copia, & lentorum inſurgit, in diſcrimine naturam verſari opus eſt, eo quia ſi vires prædebiles illic fuerint temporis, exitiales erunt ſudores quippe exitium demõſtrantes, eoq; magis ſi nulla prius conſpecta fuerint coctionis ſigna, quo tẽpore omnem excretionẽ eſſe ſymptomaticam, humorumq; copiam denotare minimè eſt verendum. Huiuſmodi enim ſudores naturã denotant per cutim humores expellere cœpiſſe, at niſi illorum tenuiorem portionem, quæ ſufficiens haud erat morbo ſoluendo excernere potuiſſe. Huius naturæ ſudores illi eſſe ſolent, qui cùm cœperint erumpere, ſtatim deſinunt, teſtis ſit Gal. 1. Prorrhet. 1. dicens. Sudores quoque, qui cœperint quidem, ſed protinus ceſſant prauos eſſe.

At omnium peſſimus, ac maximè exitialis ſudor ille paucus eſt, quẽ deſudationem, ſeu madorẽ vocamus, qui, vt Gal. 3. Prorrhet. com. 33. deſcribit, fieri ſolet aut in toto corpore, aut circa caput, ceruicẽ, collum, pectus, & aliquãdo circa extrema. Hæc ſunt verba Gal. Deſudationem iam ſæpiùs quidẽ in hoc ſcripſit libro, ſed nuſquam ita lucidè cognoſcamus, nunquid ſudores circum thoracem, caputq; apparẽtes ita appellet, an eos, qui toto emanat corpore, vbi tum pauci, tum nihil conferentes ſint. Prauum autem vtrũque horum eſt, deterius autem, quod in ſuperis fit partibus, nempe cum omnis deſudatio demonſtret vel copiam in ſudantibus partibus, vel facultatis retentricis imbecillitatem, vtrunque eorum in locis tum thoracis, tum capitis fuerit dete-

rius eſt ſignũ,quàm ſi in aliqua quapiam parte fuerit. Hi ſunt ſudores illi,qui Diaphoretici vocãtur,vt diffusè nos in lib.3.huius operis præmõſtrabimus. Equidem circa frontem plerunque,ceruicem,collum, aut pectus,aut circa extrema effluunt, exiguuſq; fit mador non augeſcens: rarò calidus,plerũque ſubfrigidus, pulſus fiunt languidi,& alia ſuccedunt ſigna naturam eſſe languidam ſignificantia.Proueniunt ſępenumero ab immoderatis euacuationibus, de quibus in 3.Prorrhet. 34.legitur.A profluuio ſanguinis è naribus paucus ſudor cum refrigeratione,malum. Quomodo autem diſtinguãtur hi ab ijs,qui ab humorum proueniunt multitudine,in lib.citato ex intento diſputabimus.

Summa totius ſit negotij madores iſtos, & deſudationes perniciales eſſe; ſiquidẽ veniunt à debili contentiua,& à languida natura,quæ vel opprimitur,vel à caloris vehemẽtia diſſoluitur; profectò ab huius incendio humiditates,tum excrementitiæ, tum ſolidarum partiũ alimentales extenuantur, & ad cutem feruntur, quo conflictu in prauis febribus plerunq; ex languida natura,& reſoluto corpore ſudores hi, ſiue madores apparent. Idcirco nunquã conferre vel à toto,vel à partibus corporis ſuſcitentur,cõcluditur; erũpunt enim,vt voluit Hipp. 1.Progn.26. vel ob corporũ exolutionem, vel inflammationis vehementiam, ſiue,vt Gal.placuit, ob facultatis retentricis reſolutionem, quæ nedum redundantem humorem excrementitium, ſed etiam alimentarium nequiens retinere foras exudare ſinit,vt in cap.de ſudorũ cauſis tetigimus. Omnimodo igitur paucum ſudorem ſuſpectum eſſe iudicamus, nam in ſanis futuræ ægritudinis ſolet eſſe præſagium; in morbis ſalubribus longitudinem affectus; in acutis verò exitium ab eius prauitatem deſignat.

De ſudoribus à qualitate deſumptis. Cap. VIII.

SVdores, qui ſecundùm qualitatem cõſiderantur, per omnes illius ſpecies vtique poſſunt adaptari: hę autem quatuor ſunt. Habitus,& diſpoſitio. Naturalis potentia, & impotentia. Paſſio, & paſſibilis qualitas. Forma,& figura circa illam.

Circa primã ſpeciem qualitatis illa verſantur corpora, quę adeò permanentem ſudorem habẽt, vt is difficulter remoueatur. Inſuper ea, quæ faciliter in ſudores erumpunt, prima appellari poſſunt vel in ſudore habituata, vel quæ in

habitum

habitum ſudandi deuenerunt: ſecunda verò diſpoſita.

Corpora quæ habitum ſudandi retinent, vel ſana, vel morboſa exiſtunt. Si ſunt ſana, vtique humida eſſe oportet, raræ texturæ, atq; multis humiditatibus, & ſuperfluitatibus excremētitijs ſcatere. Hæc profectò leuiſſima occaſione in ſudores deueniunt, adeò quod motu, in Sole, adhæſione prope ignem, in cibi, & potus ſumptione, coitu, ſomno vita eorum quaſi ſemper in ſudore verſatur, & difficulter à ſudore liberantur, cùm talis natura eorum reperiatur habitus. Nec mirandū, quòd corpora huiuſmodi ſudoris habitum habere dicamus, cum etiā intercapedinem, ab vnoq; ad alium diſtantiam retineant; nam, vt dicit Philoſophus, virtutes, & ſcientiæ ſunt in prima ſpecie qualitatis, tamē illarum homines habentes habitū, eis non ſemper vtuntur, poſſunt autem vti cùm velint: à pari corpora iſta, licèt nō ſemper ſudent, poſſunt tamē cùm volunt, ex quauis leuiſſima cauſa in ſudores deuenire, atq; difficulter ab hoc habitu remoueri, niſi forſitan grādis in corpore mutatio ſuccederet, vt humidum nimirum temperamētum, & rarum, in denſum, & ſiccum conuertatur. At morboſa illa ſunt corpora, quę ex eo quod humidos habent affectus, quando in ſudores deueniunt, difficillimè liberantur. Huiuſmodi ſunt corpora illa, quæ febres patiuntur ſudorificas, ſiquidem ſudor à principio ad finem cum ijs connaſcitur. Inſuper & ea, quę quotieſcunque in morbos incidunt, ſemper cum ſudore ſociantur, ſeu liberantur, quo fit vt ſudor in eorum morbis perſæpiſſimè videatur. Ita conſiderari ſudor poterit circa primam qualitatis ſpeciem, quoad ſuum habitum.

Diſpoſita verò ad ſudores patiendos erunt corpora, cum in eis vel prædominetur materia ſudorifica, vel cutis foraminū vigeat apertio, vel humorū tenuitas, ex quibus facillimè ad ſudores poſsēt deuenire. Hæc autem à primis in hoc differunt, ſiquidem hæc haud habent permanentiam, namq; ex aliquo ſuccedente impedimento, frigoris nimirum, vel meatuum obſtructionis opera, diſpoſitionem hanc perdere valebunt: prima verò nequaquam, cùm ad patiendos ſudores talē retineant habitum, vt niſi in maximis mutationibus illum amittant.

Circa ſecundam qualitatis ſpeciem verſantur corpora illa, quæ naturalem potentiam, vel impotentiam ad ſudandum habent. Naturalis potentia ijs ineſt corporibus, quibus rara eſt textura corporis, excrementi abundantia, & illius tenuitas, quæ conditiones pro ſudore faciendo, à Gal. 3. de cau. ſympt. 2. tum in ſanis, tum in ægris maximè iudicantur neceſſariæ. Præter has autem conditiones in morboſis corporibus

poribus duæ aliæ inſurgunt proprietates, vt à virium ſcilicet imbecillitate, vel à reſoluto corporis habitu ſudores induci poſſint, de qua re vide Gal. in loc. cit. & in 2. Progn. com. 60. Vbicunque igitur reperiri huiuſmodi poterunt proprietates, vel iſtarum aliquæ, ibi naturalē potentiam vel per ſe, vel per accidens adeſſe dicimus ad ſudandum, data autem aliqua occaſione, vel ſtimulo vt ſudores ſuſcitari queant. Non enim credendum in poſſe hominis eſſe, ſine ſtimulo ſudores poſſe cōcitare, niſi forſitan adeò imaginatiua viguerit potentia, vt (quod rariſſimum eſt viſum) ſudores ſuo beneplacito exuſcitet. Naturalem impotentiam corporibus illis ineſſe dicimus, quæ denſa ſunt corpore, quæ mollem habitum, poros obſtructos, & vt plurimum conniuentes habent, carnes ſiccas, temperamentum aridū, & durum, paucitatem humiditatis, & excrementorum; inſuper, quæ ſæpiſſimè fluxum patiuntur, ex quo humiditates aliò euocantur, minimè verò ad cutim. Hæc enim naturaliter ad ſudandum inepta reputantur.

Sed aliquis diceret, ſecundæ qualitatis ſpeciei proprietates cū primæ proprietatibus, quæ in habitu, & diſpoſitione verſantur, conuenire? Cui dicimus, verum id eſſe; in hoc tamen differre, quia ſecundę ſpeciei proprietates non adaptantur corporibus tanquam diſpoſitiones, vel habitus, ſed quod ad ſudandū corporibus naturalem potentiam, vel impotentiam tribuant. In prima ſudores conſiderantur in actu, in ſecunda verò in potentia. Proprietates equidem primæ ſpeciei actū, & habitudinem quendam, & temperamētum, quo corpora facillimè in ſudores veniant, inferunt: ſecundæ verò non actum, vel habitudinem, ſed potentiam, vel impotentiam naturalem ad id contribuunt.

Circa formam, & figuram, ſudores conſiderantur quatenus vnam, vel alterā formam, & figuram recipiant; aliqui enim ſunt ad inſtar guttæ, aliqui ad formā milij, aliqui vndæ, vel pluuiæ figuram, aliqui verò aliam accipiunt. Sed quid ſit diſcriminis inter formam, & figuram audiamus Nicephorum, qui hanc attulit differentiam, quod figura dicatur talis expreſſio, & linearis effictio: Forma extrinſecus prominens coloris qualitas: Idea, & informatio, vt interpolata coloratio, & ſimpliciter talis quidem iniecta viſui ſuperficiei forma.

Vltima qualitatis ſpecies, paſſio eſt, & paſſibilis qualitas. Sub hac facilius ſudores noteſcūt, quàm ex tribus alijs adductis: ratio eſt, quia hæ qualitates noſtris ſubijciuntur ſenſibus, & ſudores ſecundùm has conſiderati, à ſenſu percipiuntur; ipſi enim ſenſibus paſſionem inferunt: verùm quia ſenſus exteriores quinque exiſtunt, idcirco de ſudo-

ribus

ribus ex hac ſpecie deſumptis, quinque conſiderationes habebimus. Hac tamen methodo.

A Viſu, dicuntur ſudores viſibiles, albi ſcilicet, rubei, crocei, nigri, vel alterius coloris.

Ab Auditu, ſudores audibiles, ſonori ſcilicet, vel ſilentes.

Ab Odoratu, ſudores odorabiles, fœtidi nimirum, vel odorati.

A Guſtu, ſudores guſtabiles vocantur, ſi dulces, amari, ſalſi, inſipidi, vel alterius ſaporis erunt.

A Tactu, ſudores tangibiles dicuntur, quatenus calidi, vel frigidi tanguntur. De his tanquam de vniuerſalioribus, & magis vſitatis, primò ſermocinabimur, deinde ad alias conſiderationes accedemus.

De ſudoribus tangibilibus, & primò de calidis. Cap. IX.

DE ſudore tangibili primò verba faciemus, tanquam de re cōmuniori, nam ſicuti tactus inter alios ſenſus certior iudicatur, vt Ariſt. ſcribit in lib. de ſenſu, & ſenſato, ita ſudor tangibilis, inter alias qualitates exiſtimatur. Cùm autem Tactui calor, & frigus inferāt paſſionem: idcirco dum de ſudoribus tangibilibus ſermocinabimur, duo faciemus capita, vnum de calido, alterum verò de frigido ſudore. Ex horum notitia, cognitionem etiam adipiſcemur de remiſſis qualitatibus; ſolent enim ſudores modò intensè calidi, modò remiſsè obſeruari, ita & frigidi. Hinc tuum erit, cognitis eorum cauſis, alias differentias percipere.

Sudores calidi, à cauſis oriūtur calidis, hæ autem in duplici poſſunt eſſe differentia, vel enim ſunt externæ, ſiue de foris prouenientes, vel internæ. Si ſunt externæ, idcirco cauſant calidos ſudores, nam adeò corpus agitant, vt ad calidum totum diſponant, quo calefacto, excrementa ſeroſa, & humores ipſi calefiunt, qui deinde ſi per cutis foramina expurgantur, in calidos vertuntur ſudores. Huiuſmodi eſſe ſolent, vel motus vehementia, vel maxima aeris caliditas, ſeu ignis, ſtuphæ calorificæ, arenæ calidæ, quibus infirma ſepeliuntur corpora. Balnea calida natura, vel arte parata. Potiones calorificæ, quæ pro ſudoribus ciendis, ægris propinantur. Vnguenta eiuſdem naturæ, quæ corporis regionem liniuntur, aliaq; ſimilis efficaciæ. Hæc calefaciendo corpora, & attrahendo calefactas materias, calidos ſudores per cutis ſpiracula producunt.

Ego

Ego quidem cùm Medicinæ, & Philoſophiæ Neapoli vacarem, multoties cum equalibus meis Inſulam Ænariam, & Puteolos, vt arenas, & balnea, & ſtuphas, quibus pro extirpandis diuerſis affectibus, Medicorũ conſilio ægri vtũtur, cognoſcerem, profectus ſum. Deinde Doctoratus cũ aliquot annos feciſſem Medicinam, vocatus pro regimine Illuſtriſs. Marchionis Sancti Marci D. Ferdinandi Cabanilij, & D. Marcelli eius filij, bis Ænariæ per duos menſes, & totidẽ Puteolis adeſſe coactus ſum. Indigebant enim Domini illi aere, & locorum remedijs; pater, pro curando fiſtuloſo vlcere in ſede adorto; filius verò, pro quibuſdam epilepticis inuaſionibus, quas in ſomno pati ſolebat, perſanandis. Illic dum eſſem, mirum in modum languentium diuerſitatem placuit cognoſcere, atque ingredientiũ balnea, vel arenas corpora tangere. Horũ ſudores modò calidi, modò tepidi mihi videbant; ratio erat, quia balnei aqua magis, vel minus calefacta, calidiores, vel tepidiores ſudores emittebat. Ipſe quidẽ licèt aquas non ingrederer, ex balnei domus aere calefacto, in ſudores mouebar calidos, præcipuè Gurgitelli, Fornelli, & Fontanæ in Inſula Ænaria, & Puteolis ex aere Sudatorij Sancti Germani, vulgò dicunt Stupham de Agnano, & in Sulphataria, Vulcani foro appellata antiquitùs; ex quibus nulli dubium eſt, calidum aerem, balnea calida, arenas, & alia huiuſmodi corpus agitare, calefacere, & ſudores calidos mouere, cum ex ijs excrementa, & humores corporis incaleſcant, ſicuti Ariſt. dilucidiſſimè ſcripſit 2. Probl. 11. Idcirco de re hac ſatis ſit.

Circa internas cauſas, à quibus calidi cientur ſudores, auctores ſententias diuerſas attulere. Siquidem Theophraſtus, necnon & Ariſt. 31. Probl. 24. ſudores calidos ſcripſerunt, ex proba humorum coctione connaſci, propterea Ariſt. ipſe volens oſtendere, Cur lachrymæ, quas mœrendo emittimus, calidæ ſint, quas oculis laborando frigidę? An quia frigidum aſſeruit, quod incoctum, crudumq; eſt: calidũ, quod concoctum. Quod cùm lachryma cruda eorũ ſit, qui valetudine oculorum laborant, non immeritò frigida eſt: hinc Medici, ſudorem frigidum, argumentum grauis morbi exiſtimant, calidum contra decretorium eſſe, & ſalutare. Cùm enim vacans materia multa eſt, ſatis à calore interiori concoqui minimè poteſt, itaque frigidam eſſe neceſſe eſt, cùm pauca eſt, plenè à calore victa concoquitur, morbos autẽ vacantis materiæ confici certum eſt. Hæc Ariſt. Ex quibus rationibus quomodo calidi fiant ſudores compertum habemus: in ſanis enim corporibus rationabile eſt, ſudores tales à proba excrementorum coctione

à na-

à natiuo calido perfici, in ægris verò in ſalutaribus iudicijs à victoria caloris eiuſdem ſupra humores. Hæc autē dum humores probè concoquuntur,& extenuantur,vt per ſudores moueri poſſint,eluceſcit.

At Raſes Auctor grauis diuerſæ fuit opinionis,ſudorem calidum nimirum tunc fieri,cùm humores in vapores conuertũtur,atq; deinde in ſuperficie corporis condenſati,in calidos ſudores mutentur. Hæc ſententia licèt prima facie à Theophraſti, & Ariſt. decreto videatur longiſſima,admodum tamen diſtare haud comperitur;ex proba enim humorum coctione calidi vapores ad cutim poſſunt eleuari, & in calidos ſudores conuerti,ſiquidem hi à calidi natiui opera perficiuntur, à quo caliditas adoritur. Vel dicendũ, quòd Raſes humores conſiderauit extenuari à maximo calore interno,& in vapores cõuerti,quod non rarò in ardentibus, & magnis febribus verum eſſe comprobatur, quando inteſtinus ardor corporis viget, cuius potentia adeò poſſunt humores extenuari, vt modò in ſudores calidos euocentur,modò autem in vapores. Hi condenſati ſæpenumero circa corporis ſuperficiē incaleſcentes materias iterum conuertuntur. De his aliàs nos tetigimus expoſitionem. Prima opinio caloris fortitudinem natiui potiſſimum tum in ſanis,tum in ægris corporibus reſpicit.Secunda verò calidum in morboſis,& languentibus, eiuſq; naturam.

Hippocrates,& Gal.4.Aphor.42.aſſerere videntur feruidos,bilioſos,& calidos humores ſudorum calidorũ eſſe cauſam,qui modò abſoluti, modò cum ſeroſis excrementis, aqueiſq; humiditatibus cõmixti foras prodeunt, & ſecundum eorum qualitatem, & naturam ſudores generant.Quomodo autem calidi,& feruidi humores fiant in corpore,licèt hic locus non ſit de ijs differere,tamen à putredine,& humorum corruptione,inflammatione partium,ebullitione ſanguinis,aduſtione,& ſimilibus cauſis oriri aſſerimus.Clarum hoc eſt in acutis,malignis, & feruentibus febribus: in excretionibus enim per ſedem,vomitus, ſudores, & vrinas adeò feruere aliquando humores conſpicimus,vt corpus vri potius,quàm à febre torqueri videatur. Dicãt hoc, qui ex humorum feruore ardentes febres,& igneas paſſi ſunt.Dicant hoc,qui ex humorum ardore in ſiccitatem,& in partium ſolidarum eliquationem deuenerunt. Relinquimus ergo pro decreto calidos ſudores,quoad internas,& externas cauſas à calidis excitari.

At ponderationem habeamus circa huiuſmodi ſudores à quo calore potiſſimũ oriantur, naturali ſcilicet,an præter naturam? Profecto ab vtroque produci poſſe nulli dubium eſt. In ſanis clariſſimum eſt à

Q natiuo

natiuo calore calefieri, extenuari; tum excrementa ſeroſa, tum affluẽtes humores, atque in calidos ſudores ſuſcitari: In ęgris, ſudores criticos à naturali, ſymptomaticos verò ab eo, qui præter naturam eſt, moueri, & euocari non eſt ambigendum; nam ſi in morbis euenit, vt natura humores noxios ſuperare, & concoquere poſſit, vtique ſudores calidi, à natiuo naſcuntur calore, licèt quodammodo ad calefaciendum etiam præternaturalis concurrat. Quia autem euacuatio huiuſmodi à naturæ victoria procedit, principaliter à natiuo deuenire confitendum eſt. Cognoſcimus hoc tum à præcedẽtibus ſignis coctionis, tum ab apparitione ſudorum in laudabili, & decretorio die, vt naturę moris eſt: Hiſtoriamq; adducimus 3. Epidem. de Pericle Abderæ, qui in tertia die à morbo vrinas multas habuit, & concoctas; Hinc quarta circa meridiem ſudor prorupit, toto corpore multus, & calidus, & iudicatus eſt, nec amplius rediјt acuta febris. Quod ſi ex malignitate morbi natura ſuccumbit, ſicuti in acutiſſimis febribus contingit, tũc ab oppoſito calore fiunt, & nullo præcedente ſigno humorũ coctionis apparent. Hic præter naturalis calor eſt, qui cum putridis humoribus, acribuſq; ad excretionem, naturam ſtimulat, proinde ſudores hi mali, & non iudicatorij ſunt. De his Hipp. 3. Epidem. com. 3. ita dicebat. Multi ſudantes, & his quidem, qui pernicioſè habebant, hæc accidebant. & paulo inferius. Nam alui plurimis turbatæ horrores, ſudores non iudicatorij, & vrinæ. Equidem tales ſudores ſæpiſſimè mortem ſolent denunciare, & tunc præſertim, cum eorum materiæ alimentales, & non humorales fuerint, vel mixtæ: quo tempore carnium fiunt à feruidis humoribus, inteſtinoq; ardore colliquationes; proinde ſalutis ſpes omnino deperditur, & ægri decidunt.

Ludouicus Mercatus in ſuo tract. de febre maligna circa ſudores calidos vnum adnotandum ſcriptum reliquit perquam neceſſarium in febre huiuſmodi curanda. Nam ſudor etiã ſi requiſitis accidat conditionibus, & adhuc in die decretorio, rarò ſolet ex toto hũc affectũ iudicare, quinimo primo die ex ſudore febris remittitur, cæterũ corpus deinceps, & accidentia grauius ſe habent: poſtea verò aduenientibus alijs ſudoribus, licet ſint in diebus criticis, ſuccumbit facultas, & in medio ſudoris deficit laborãs. Ratio quidem potiſſima eſt, quia venenoſa illa qualitas tam eſt immerſa toti materiæ, vt etiam ſi per ſudorem tenuior pars exoluatur (quod nequit fieri in venenoſis humoribus, citra facultatum diſpendium, & laborem) manente tamẽ craſſiori efficacius proſternantur potentiæ, ac facilius ſuccumbunt.

Quam-

Quamobrem ſolis ſudoribus fidendum non eſt; ſed ſi à primo ſudore, aut ſaltem à ſecundo laborans ex toto nõ euaſerit liber, corpus pharmaco purgare oportet, vt quod craſſum, & venenoſum à ſudore ſupereſt trahenti pharmaco excernatur. Hæc Mercatus.

Notat alterum obſeruatione confirmatum longè vtilius eſſe ſi frequentibus ſudoribus æger à principio corripiatur (dummodo ex ſudore non ſe deterius habeat) namq; ſignum eſt naturam paulatim materiam attenuare, & per ſudorem excernere. Nec eſt idem inconueniens, ac in ſudoribus criticis, nã venenoſa qualitas in interuallo inter vnum, & alterum ſudorem fixiùs materiæ adhæret, & grauiùs efficit malum. Cui ſanè damno locus non datur frequentibus ſudoribus. Nec ob id credendum eſt in hac febre nuſquam prodeſſe criticos ſudores, nã quo minus venenoſæ qualitatis obtinuerit febris, eo magis prodeſſe poterunt, vt in omnibus alijs febribus, quæ ex humorum putredine concitantur. Hæc etiam Mercatus, cuius in hac re exemplari verba tranſcribere volui.

Sed reuertamur ad id vnde diſceſſimus; quod calidi ſudores à cauſis calidis naſcebantur, inquiſitionẽq; faciamus an perpetuò à talibus cauſis originem habeant, an ſecus? & ſi ſic an à frigiditate, & frigidis humoribus oriri queant? Huic obiectioni dicimus, calidos ſudores à cauſis frigidis fieri poſſe, per accidẽs tamen, & aliquo medio. Corpora enim ab exteriori frigore denſata, cum ob cutis occluſa foramina impediatur tranſpiratio, in febrem incidere poſſunt, atque deinde in calidos ſudores incidere, horum autem licèt proxima cauſa caliditas ſit interna, accidentalis verò ipſa fuit frigiditas. Inſuper humores crudi, & frigidi in corpore exiſtẽtes, in calidos poſſunt excerni ſudores, accenſi prius ſi fuerint à potẽti, & febrili calore, vel à natiuo mediante naturæ coctione, coctum enim calidum eſt. Idcirco cauſa frigida poteſt mutari in caleſcentes excretiones, & humores frigidi in ſudores calidos, quare ad faciendos huiuſmodi ſudores, non opus eſt vt in actu, & potentia cauſa ſemper calida ſit; ſed ſufficit vt in potentia ſit talis, quemadmodũ de frigidis humoribus diximus. Obſeruamus hoc in laborantibus Quartana, Quotidiana, Tertianis ſpurijs, alijſq; frigidis morbis, in quibus ſuperueniente humorum coctione calidi exhalant ſudores. Hoc totum ex Gal. percipimus in pluribus locis, potiſſimum autem in Cleonactidis hiſtoria 1. Epidem. com. 3. com. 23. vbi multos humores crudos in illius corpore affuiſſe aſſeruit (fuit enim febris illa erratica) paulatim tamen concoctis octuageſimo ſuperri-

guit, febris acuta inuaſit, multum ſudauit, & iudicatus eſt. Confirmatur hoc ex Ariſt. voto dicentis, ſudores calidos ex proba humorum coctione perfici, quæ coctio non ſolùm ad naturalem temperantiam humores ducit, verum atque à crudis, & frigidis in calidos mutat.

Sed veniamus ad alias hiſtorias pro cõfirmatione ſudoris vtriuſq;. Primò autem loquamur de ijs, qui ab internis cauſis calidis mouẽtur, atq; à feruidis, & bilioſis humoribus. Horum eſt exemplũ in 3. Epid. com. 3. tex. 82. de muliere, quæ erat in Thaſo à febre bilioſa detenta, in qua viſus eſt ſudor calidus. Inſuper in virgine Lariſſæ eodem lib. tex. 83. Hæc ęſtuoſam patiebatur febrem, erat enim ſitibunda, lingua fuliginoſa, & arida. Viſi ſunt etiam huiuſmodi ſudores in Herophonte, in vxore Epicratis, & in Menone. Iſti autem omnes à febre ex bilioſis, & feruidis humoribus genita detenti ſunt.

Quoad ſudores illos, qui à frigidis ortum ducũt humoribus. Hi calidi apparent, vel accenſi à febrili calore, vel à naturali coctione. De primis loquebatur Hipp. 4. Aphor. 57. quando dicebat. Febricitanti ſudor ſuperueniens, febre non deficiente, malum; prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem, crudam ſcilicet, & non coctã. De ſecundis, præuia ſcilicet coctione in hiſtoria Cleonactidis; ſicuti enim coctum eſt calidum, ita crudũ eſt frigidum, quemadmodum cum Ariſt. diximus. Concluditur ergo frigidos, & crudos humores, dum vertuntur in ſudores calidos, vel caleſcere à febrili calore, vel à naturali, propter paratam in ijs coctionem, & mutationem in caliditatem. Cætera exempla, quæ plurima ſunt in Epidem. Lector ex ſe perquirat.

At accedamus ad iſtorum prędictionem, quam Gal. 4. Aphor. com. 42. explanauit, dum calidos ſudores aſſeruit, ſemper eſſe ſalubriores, & meliores frigidis tam in criticis, quàm in ſymptomaticis, deterius enim eſt naturam verſari cum frigido, quàm cum calido, nam frigidũ directè opponitur calori natiuo tãquam inimico: idcirco vita noſtra malè cum illo compatitur, proinde mali cenſentur ſudores frigidi. Calidi autem meliores, cùm hí reſpectu qualitatis affines ſint, & naturæ amabiles. Cæterum Ariſt. 2. Probl. 35. volens hanc differentiã declarare, ſudores calidos innuit ex eo eſſe ſalubriores, nam excrementi paucitatem deſignant, qua ratione in frigidis excrementi copiam adeſſe intelligebat, & propterea peiores, & inſalubres. Raſes ſudores calidos fortitudinem caliditatis oſtendere demonſtrauit. Hanc nos duplicem poſſumus conſiderare, natiuam ſcilicet, & extraneã, à quibus,

bus,vt oſtendimus ſuperiùs,tales procedere poſſunt.In quo autẽ gradu ſalubritatis calidi ſudores reperiãtur, ex ſupra narratis ingenioſus addiſcet, non enim ex hoc, quia frigidis meliores, & ſalubriores exiſtunt, perpetuò boni ſunt iudicandi, quando hi non raròpeſſimi, & exitiales eſſe queunt,ſiquidem eorum efficiens,non idem ſemper eſt, nec eadem materia,ex qua varietate,diuerſi etiam ſudores erumpũt, eo quòd illorum aliqui boni,& ſalubres; aliqui verò mali,vel peſſimi; aliqui lethales eſſe dicuntur.

Vt autem Medicus iſtorum notitiam adipiſcatur,ſanorũ,& ægrorum corporum differentiam penſitabit: ſana enim corpora ex motus vehementia,moderatis balneis, alijſq; præſidijs ſalubres ſudores habere poſſunt,niſi naturæ excedãt limites, hos voco excedere limites cum ſuperflui,cũ indebiti,& ſine corporis tolerantia mouentur:vtiq; ſuſpicionem afferunt,ne corporis facultates lædantur, & ne vnà vtiles humiditates excernantur,quo caſu praua inſurgerent ſymptomata,lypotimia ſcilicet,laſſitudines magnæ,& corporis debilitates,malæ tolerãtiæ,& animi inquietudines. In ægris verò corporibus ſudores huiuſmodi,modò boni,& ſalubres,modò verò mali appellari conſueuere, vel enim morbus, in quo tales apparuerint, mitis fuerit, vel acutus,& magnus. Si fuerit mitis,& benignus, nulli dubium eſt,illos vt plurimum ſalubres fore,quia à natura moueri ſolent: ſiquidẽ præuia aliqua humorum coctione manifeſtantur,vt in febribus intermittentibus, vel continuis benignis ſæpiſſimè contingere obſeruamus. Sin verò apparuerint in magnis morbis, ſi natura eos videbitur benè tolerare,erunt conferentes, hi autem in diebus decretorijs apparere ſolent: quod ſi hi non ſolum efficient, vt benè natura eorum exitum toleret,ſed toto profluentes corpore ſuperato morbo peccantes materias excernunt in diebus iudicatorijs,& morbos iudicant. Hi profectò optimi ſunt,& omnes habebunt bonitatis gradus. At ſi conditiones iſtæ defecerint, etſi non omnes, ſed aliquæ, poterunt ſudores vel boni tantum, vel nec boni,nec mali exiſtere: ſiquidẽ ſalubritatis gradus in bonis conſiſtunt conditionibus, vt calidi nimirum exeant in diebus criticis à toto, cum humorum coctione, cum conferentia, & iudicent morbos. Hinc qui plures habent bonas conditiones,plures bonitatis gradus retinent, pauciores verò qui paucas; hæc autem notiora fient in cap.de ſudore critico, in lib.3.

Quod ſi natura ex ſudoribus his debilitari videatur, neque facilè toleret,mali cenſendi ſunt: peiores ſi abſque humorum coctione nec

à toto

à toto erumpent, nec in diebus decretorijs apparebunt, ſiquidem hi tantum abeſt, vt morbos iudicet, ſed vt potius acutiores, & magis rebelles faciant. Peſſimi erunt ſi ex alimentitia humiditate, aut ex ſolidarum partium colliquatione foras exibunt; ſunt enim malitia pleni, ſymptomatici, & omni prauitatis genere repleti, vt in cap. prop. longius diſſeremus.

De ſudore frigido. Cap. X.

Frigidi ſudores, de quibus in prӕſentiarum eſt tractandum, duplici, vt eluceſcāt, egent diſcuſſione. Vna erit circa ipſorum materiam: altera verò circa corporis naturam. Veniamus ad vtramque. Materia, vt Theophraſtus, & Ariſt. diſputant, humores crudi, & frigidi ſunt, hi præ copia, & qualitate calefieri nequeunt, & ſi per poros expelluntur, in frigidos ſudores vertuntur. Hanc etiam opinionem Galenus.

Quomodo autem in humoribus cruditas innaſcatur diſſeramus. Vtique in vnaquaque noſtri corporis coctione, cruditatem accidere poſſe reperio: verũ ipſa vel à caloris natiui vitio procedit, ex eo quod languidus, & imbecillus adeò ſit, vt perfectè materiā concoquere, & tranſmutare nequeat, vel à caloris exceſſu, quod eſt vel defectu nimirum proprij caloris, vel alieni exuperantia. Accedamus modò ad crudorum humorum naturam, exordiamurq; à rei natura, quā ex Ariſt. & à Gal. deſumimus. Si omnis concoctio perfectio quædam eſt, à calore naturali, & proprio procedens: cruditas omnis erit imperfectio rei concoquendæ; ſiquidem illud propriè dicitur imperfectum, quod eam non habet, quæ illi debetur ex ſua natura perfectionē; Cӕterum humor duplici via ſuam nõ habet perfectionem, vel quod in ſui ortu eam non fuerit aſſequutus, vel è contra: quod fuerit eam nimirũ conſequutus, retinere tamē nequiuit. Prior cruditatis, & imperfectionis differentia à languido, & imbecillo calore natiuo habet originem; poſterior verò ab adaucto, & à caloris exceſſu.

Sed comprobemus hæc omnia, quæ in corpore fiunt coctionibus. Harum prima in ventriculo fit, vbi duæ cruditatis differentiæ oriuntur, ſiquidem acida à diminuto, ab adaucto autem nidoroſa fit cruditas. Verùm ſicuti caloris defectus magnus, vel paucus fuerit, ita cruditatis incrementum magnum, vel paucum reſultabit, ex eo, quod

crudi-

cruditates magis, vel minus à coctione vera recedunt: propterea in ventriculo non ſolum acida, quæ tunc conſpicitur, cum acidi ructus, vel acidi vomitus ſuccedunt, fit cruditas: verum atque aliæ ſine aciditate, quales in ructibus inſipidis, & in abundantia dulcis, & inſipidæ pituitæ obſeruamus. Hæ minus frigoris incrementũ, quam ipſa acida cruditas oſtendunt. Nidoroſa autem, quæ eructuatione potiſſimum excipitur, ouis in ſartagine frixis, piſcibus ſalitis, ſemiputridis conſimili, putredinoſam quodammodo ſapit qualitatem. Ex hac Ephimeræ febres producuntur, vt Gal. lib. 8. Method. med. recenſuit.

In ſecunda coctione, quæ in hepate elaboratur, cruditates conſpiciuntur, quarum vna ea chyli portio eſt, quæ in ſanguinẽ tranſmutationem recuſat. De hac loquutus eſt Gal. 1. Progn. comm. vlt. & inter recentiores Ferdinandus Caſſanus in quæſtione 3. de ſedimento in vrinis. Altera in ſanguinis oritur generatione, quando chylus caloris defectu in hepate nequiuit perfectionem acquirere, quo fit vt boni ſanguinis loco, pituitoſus, & ſeroſus, qualis in Hydrope conſpicitur, ſanguis producatur.

In tertia coctione, quæ in ſingulis noſtri corporis partibus perficitur, tunc caloris defectu naſcitur cruditas, quando ſanguis extra paruarum venularum eruptus, ſpiracula in veri alimenti naturam cõmutari nequiuit. Quæ verò caloris exuperantia inſurgit, putredo appellatur, nec aliud vnquã proprium nomen habuit, niſi in ventriculi cruditate, quæ ex caloris exceſſu nidoroſus fuit appellatus affectus. Quoad humores autem, qui in venis cõtinentur, ex ſupra narratis patet, duplicem poſſe habere cruditatem, alteram ex caloris defectu, nã hi perfectionem, quam in ijs natura intendebat, minimè ſunt aſſequuti, alteram verò ex caloris exceſſu: ſed iſti porrò crudi non appellantur, ex eo, quod perfectionem à natura non habuerint, namq; perfectam acquiſiuerunt, verùm potius, quia amiſerũt non propter quamcũque cauſam, ſed propter putredinem, vt benè Horatius Augenius lib. 7. tom. 3. cap. 15. vbi hæc intulit. Bilis enim, & melancholia, ſi Gal. credimus, ab immodico fiunt calore, atque cum habent ſuam ſpeciẽ, & formam, abſolutionem, concoctionem, ſeu perfectionẽ habere naturalem dicuntur. At ſi corruptela illis adueniat, ex coctis crudi fiũt.

Sed veniamus ad illud, Quis humor ſit, qui à Galeno propriè, ſeu per excellentiam crudus appelletur? Profectò quæſitũ hoc maximæ difficultatis eſt, & momenti, quando recentiores inter eos de re hac maximè digladiantur. Multi enim dicunt, per ſuccum propriè crudũ

Gale-

Galenum intelligere ſedimentum in vrinis, alij eſſe chylum in ventriculo inconcoctum, alij humorem pituitoſum, ſiue pituitã, nonnulli verò ſanguinem incoctũ, & pituitoſum. Augenius, qui vidit hanc difficultatem in citato loco, cap. 14. ex mente Galeni, de huiuſmodi humore diſtinctionem habuit. Nimirum quendam humorem eſſe propriè, quendam verò impropriè crudum. Per humorem propriè crudum, illum intelligit, qui nõ ſit aſſecutus perfectionem in ventriculo, quam ex natura conſequi debebat, ob caloris imbecillitatẽ. Hic autem eſt eius decreto, chylus in ventriculo nondum planè coctus: cui propriè non conuenit nomen excrementitij, neque ad nutritionem vtilis. Per ſuccum verò impropriè crudum pituitam appellat; ſed ex communiori vocabulo, omnia, quæ vel exceſſu, vel diminutione caloris cruditatem inſequuntur. Hac via differentias crudorum humorum recitat, quæ hæ ferè ſunt. Prima humor crudus à pituita diſtinctus. Secunda pituitoſum excrementum. Tertia humor quilibet putrefactus, in quo genere ſpecies continentur multæ. Prima pituitæ, & crudi humoris putredo. Secunda putreſcens bilis, ſub qua innumeræ continentur differentię pro humoris varietate. Tertia melancholia putris, iuxta omnes eiuſdẽ ſpecies. Quarta ſanguis putreſcens, aut ſecundum ſe totum, aut ſecundum aliquam eius partem. Probat chylum non coctum, eſſe propriè crudum humorem, Galeni teſtimonio 1. de aliment. facult. vbi agit de ſpeciebus panis hiſce verbis. Porrò ſi quiſpiam noſtrũ panibus illis vtatur, quibus dixi athletas vti, ſuccus ex eis abundabit craſſus, & frigidus, qualem propriè crudum ſuccum nominare conſueuimus. Hinc vir hic ſuccum propriè crudũ craſſum, & frigidum eſſe conſtituit: quo medio à ſedimento in vrinis diſſidere ait duplici via. Primò, quod ſedimentũ, cum ſit veluti pus, graue olet. Secundò, quia lentorem habet: humor hic autem nec graue olet, nec lentus eſt, ſed omnino craſſus. Quod verò Gal. dixit, ſubſidere hunc in vrinis crudum ſuccum, intelligendum eſt, id interdum cõtingere: nam febricitantes huiuſmodi abundant ſedimento, ſi ex cruditate laborauerint, & inter ſanos frequenter etiam pueri ob alimentorũ multitudinem. Contingit etiam alijs ob eandem cauſam, maximè ſi poſt multos cibos ſeſe dederint ſubitò exercitationi. Inſuper ponit differentiam inter pituitam, & crudũ humorem, aitq; hunc à pituita diſſidere colore, & ſubſtantia. Colore, nã humor crudus non eſt ita albus, ſicut pituita, ſed ſubliuidus, vt Gal. 4. de ſanit. tuen. cap. 4. Subſtantia, nã pituita viſcidior multo eſt humore crudo. Hic verò multo magis

craſſior

craſſior eſt humore pituitoſo, quia pituita habet humiditatem multam, permixtam multo flatu, quæ ſubſtantiam conſtituunt tenacem, ac lentam. Hæc ſunt quæ doctiſſimus Augenius ſentijt de crudo humore.

Ludouicus Mercatus tom.1.claſs.3.art.2.quæſt.73.in eandẽ videtur ire ſententiam, dum ait, eam ſolum cruditatem proprius nuncupari, quæ pituitam æmuletur, licèt vera pituita non ſit. Hæc tamen generalis interſtat differentia, nimirum, quod crudus ſuccus ſemper efficitur ex alimento, quod natura nequit in partis ſubſtantiã, aut ſimilitudinem vertere; pituita verò fit in via ad ſanguinem, ex quauis ſubſtãtia fiat. Qua re ex huiuſmodi doctiſſimis viris bene noſcimus quid per propriè humorem crudum capere debeamus: licèt, vt diximus, cruditas efficiatur aut defectu proprij caloris, aut alieni exuperantia.

Sed qui humores crudi ſint materiæ frigidorũ ſudorum, hoc opus, hic labor eſt; propterea videamus an illi ſint, qui à diminuto oriuntur calore, vel ij potius, qui ab aucto, vel forſitan vtrique? Profecto hi omnes crudi vocantur, ſi enim primi naturalem perfectionem haud habuerunt, ſecundi verò eam amiſerunt, ob id ergo in eodem limite verſari videntur penes cruditatem. Equidem difficultas hæc magni eſt momenti, propterea in præſentiarum, ſudorum frigidorũ materiam eſſe humores crudos, & frigidos dicamus, qui à diminuto, & lãguido oriantur calore: ſiquidẽ de his tum Gal. tum Hipp. 4. Aphor. 37. principaliter loquuntur, dicentes, in acutis febribus mortẽ, in mitioribus verò morbi longitudinem hos denunciare frigidos ſudores. Sed intimiùs negotium hoc perſcrutemur: ſi enim crudi, & frigidi humores ſunt cauſa frigidorũ ſudorum, incognitum eſt hucuſque an huiuſmodi, ſudores cauſent præuia putrefactione, an verò ex propria qualitate, non mutata ſubſtantia, quæ cruda, & frigida eſt? Huic rei ſic ſatiſfacimus, ex crudis, & frigidis humoribus, ſudores oriri frigidos dupliciter, tum ex illis pntrefactis in venis, vt videmus in multis febribus; tum etiam ex ijs non putrefactis, quando ſcilicet cum ſeroſo excremento hos frigidos, & crudos humores per cutis foramina haud putrefactos excerni contingit. Hæc autẽ inter huiuſmodi reſultat differentia, quod humores crudi, & putrefacti, ſunt maioris malitię, quã ij, qui putredinem non acquiſiuerint: ratio eſt, nam ſi prius perfectã non habuerunt formam, corrupti deinde illam ſic imperfectã deperdunt, & corruptelam recipiunt, quæ eſt priuatio omnis bonitatis, ob hoc igitur humores hi tam frigidi euadunt, vt calefieri calore natiuo, vel

febrili nequeāt. Hinc Hipp. in allegato Aphor. ſudores frigidos ponderauit ab aliquo humore crudo, & frigido in venis putrefacto originē habere; proinde in acutis tales neceſſariò caloris innati extinctionem, aut extremam eiuſdem imbecillitatem, & mortem ſignificare. Cū enim calor natiuus adeò lāguet, vt humores calefacere nequeat, malè de prædicēdum iudicamus, quare frigidi ſudores ſemper ſuſpecti creduntur, vel procedant cū putrefactione humorum, vel abſque, ſiquidem caloris innati languorem, & debilitatem pronunciant. An aliquando frigidi ſudores à crudis humoribus orti, ſalubres exiſtant, in fine huius capitis percurremus.

Cęterum an ſudores frigidi ab humoribus crudis ex aucto calore naſci queant, videamus, oportet hos prius recenſere naturalem perfectionem habuiſſe, per corruptelam deinde illam amiſiſſe, & cruditatem ex aucto calore recepiſſe. Equidem hi cùm prius erāt perfecti, & cocti à natura calidi erant, nam coctum calidum arguit, cùm verò deuenerint in putredinē, calor auctus eſt ob febrilem, & putredinoſam qualitatem, & ſic humores illi vigente putredine calidiores fiūt, idcirco ſi in ſudores vertūtur in calidos; nequaquam verò in frigidos poſſe mutari aſſerendum puto. An autem perpetuò calidos ſudores hi efficiant, audi. Profectò accedente putredine in humoribus, calor natiuus langueſcere incipit, quòd ſi adeò intenſa illa fuerit, vt calor proximè ſit extinctioni, humores ij, qui ardore febrili vigebant, frigefieri poſſunt, atque in frigidos moueri ſudores: hi equidem peſſimi iudicantur, nam veram caloris, & partium corporis, ob quam totus habitus, nedum humores frigeſcunt, mortificationem arguunt. Ecce modò, quòd ab humoribus crudis ex aucto calore frigidi ſudores eueniunt, quo fit, vt ex vtriſque humoribus crudis, fieri poſſe ſudores frigidos non inutiliter compenſemus. A primis autem, qui ex diminuto oriebantur calore principaliter, ex his, qui ex aucto ex natiui extinctione caloris ſecundariò fieri pronunciamus.

Natura corporis, quæ ſecundùm Hippoc. natiuus calor eſt, triplici modo cognoſcitur, & conſideratur in morbis, vel potens, vel debilis, vel extincta, ſiue proxima extinctioni. Ipſa cùm regat, & moderet ſolidas corporis partes, ſi potens fuerit, vtique morbum ſuperat, materias morbificas concoquendo, & è corpore expellendo, omneq; noxium vincendo, quod totum in ſalutaribus morbis optimè viſitur, cū criſi, vel aliquo naturæ iudicio finiri contingunt. ſin verò debilis fuerit, debiles eius erūt actiones, adeo quod in mitioribus affectibus ſaltem

tem morbi longitudinem promittit: cùm tardè humores peccantes cōcoquat,& ad ſymetriam reducat; in infidis verò, & acutis morbis, adeò eius debilitas hebeteſcit, vt infęlicem exitum ægrotantibus inducat; proindè apparentes tunc temporis frigidi ſudores, maximam malitiam præſeferunt, cùm incongrui,& diſſimiles ſint naturæ, quæ in hominum vita calido gaudet. Quod ſi natura ipſa non ſolū debilis, ſed extinctioni ſit proxima, ſiue extincta, non debiles erunt eius operationes, ſed emortuæ,& infęlices vocātur, & lethales, eo quod mortis indicia ſunt; hinc ſudores apparentes modò frigidi, modò calidiuſculi tanguntur: frigidi quatenus à materia cruda,& frigida oriantur, vel quòd à corpore exeant frigido: calidi quia vel alimentitiæ humiditates, quæ retineri nequeunt proſtratis corporis facultatibus exeunt,& vnà cum remanſo calore exudant, vel humores alij vtiles, vel inutiles, feruentes à calore aucto foras erumpunt, vel vnà cum natiuo excernuntur, in quibus caſibus iacta eſt alea, nam mors in foribus eſt.

Sed à quibus natura debilitetur, vel extinguatur occaſio inſurgit, vt perſcrutemur, & conſequenter quomodo in morbis ipſius vires, & actiones cognoſcantur inueſtigemus. Ante omnia naturam, ſupponendum volumus, in corpore gubernando, triplici vti facultate, animali ſcilicet, vitali,& naturali, quarum vnaquæque proprias poſſidet actiones, vt in fine libri huius demonſtrabimus. Verum illæ dum munera propria ſubeunt, benè viuit animal, quod ſi operationes earum vel ablatæ, vel diminutæ, vel deprauatæ fuerint, tunc facultates à ſolitis deſiſtunt muneribus, patitur animal,& natura ipſa cōſequenter, nā eius inſtrumenta, in quibus ſuas exercet vires, debilia ſunt,& lęſa. In hac re Medicus requiritur exercitatus, qui ponderare valeat, an facultates,& earum actiones naturæ aſſequātur officia, an verò morbi, quod ſi fecerit, vtiq; naturales, & morbificas actiones cognoſcet. At tāgamus, amabò, cauſam, cur natura debilitari, ſuffocari, diſſolui, vel mortificari potiſſimum dicatur? Equidem natura, ſeu calor ipſe innatus, ſi ſuffocatur, ſi diſſoluitur, vel mortificatur, duplici de cauſa hoc patitur, vel reſpectu exterioris occaſionis, vel interni medij, adeò quod omnium cauſæ, vel internæ, vel externæ iudicentur. Relictis nunc cauſis extrinſecis, quæ multæ ſunt, nam à laqueis,& alijs inſtrumētis ſpiritus poſſunt ſuffocari, atque animal occidi, veniamus ad internas, quarum prima humorum crudorum eſt multitudo: ſicut enim flamma,& ignis à viridium lignorū numero ſuffocatur,& emoritur,

ritur, ita calor natiuus à copia humorum opprimitur, & deperditur; nō enim poteſt radios ſuos, & qualitatem per corporis ambitum extendere, ſed reſtrictus, & à copia ligatus adeò conſtringitur, vt ſuffocari cogatur, & emori. Hinc ſi ſudores excitantur, frigidi exiſtunt, ex eo quod à frigidorum, & crudorum humorum copia oriūtur, qui deperdito calore frigeſcunt, ſiquidem hi, calori natiuo aduerſantur tum copia, tum putredinis ratione, proinde mirum nō eſt, in febribus ſæpiſſimè ſuccedere ſudores frigidos. Secunda cauſa diſſolutionis, & diſſipationis, caloris febrilis vehementia eſt; & præter hanc humores adurentes, internæ inflammationes, & dolores maximi poſſunt eſſe in cauſa, vt natura hebeteſcat. Cum enim natiuus calor cum humido radicali ſocietur, nemini dubium eſt, humidum illud à ſicco, & calido conſumi, quo deperdito, calor in ipſo commorans, cum pabulum nō habeat, diſſoluitur, & euaneſcat. In hiſce caſibus ſudores contingētes frigidi cernūtur, nam diſſipati, & diſſoluta natura, caliditas omnis ab humoribus ſecernitur, & frigiditas ingreditur: quātò enim calor longiùs recedit à propria ſua qualitate, tanto viciniùs frigiditas accedit, & ſic ſecūdùm maiorem, vel minorem receſſum, maior, vel minor in humoribus naſcitur frigiditas. De his etiā inferiùs diſſeremus. Quod ſi natura à frigiditate mortificatur, vtique vel extrinſecè, vel intrinſecè malum hoc ſibi contingit: demonſtrare enim non eſt difficilè humores ab externo frigido poſſe mortificari, & per cōſequens corpus ipſum, ex quo deinde frigidi queunt oriri ſudores. Et quoad internas cauſas tum frigidi humores, tum calidi, & venenoſi calorem natiuum mortificare valent: ſiquidem frigidi, & crudi humores ratione qualitatis, eorum frigidæ mortificare, & ratione copiæ naturam ſuffocare poſſunt; frigidum enim calido directè opponitur, & alterū ex altero patitur. Verùm quod in prædominio conſiſtit, alterum opprimit, & euincit. Hinc Hipp. 4. Aph. 37. humores crudos, & frigidos in mitioribus febribus à calore natiuo euinci, & concoqui demonſtrauit, quemadmodum etiam Gal. in comm. edocuit: in acutis verò ab illis opprimi, cum potentiores, & in maiori dominio reperiātur. A calidis humoribus venenoſis, & venenis ipſis, calor natiuus facillimè mortificatur: ſiquidem venenum obiectum eſt, quod propria, & præter naturali qualitate illum mortificare intendit: cor enim ſubitò inuadit, & ſanguinem ſiniſtri cordis ſinus immutat, & corrūpit, ex cuius præſentia cor illicò alteratur, & calor vitalis deperditur, & emoritur, hinc ſudores frigidi (vt inferius loquemur) in corpore erumpunt.

Quo-

Quomodo autem hæc omnia in doctrina Hipp. & Gal.cõprobentur,tempus eſt vt auctoritates,& exempla adducamus: propterea vt de ijs ordinatim loquamur, à duplici cauſa contingere poſſe per epilogum aſſerimus,externa ſcilicet,& interna. Si erit externa,omne id eſſe poterit,quod de foris eueniens ſudores expanſos in cutis ſuperficie refrigerare valebit.Huiuſmodi ſunt ambientis frigiditas,venti frigidi,frigidus locus,& ſimilia,nec alicuius hi ſolent eſſe malitiæ,potiſſimum ſi in ſanis corporibus contingant;remota enim externa occaſione,facillimè corpus liberabitur pannis calidis,alioue præſidio calefaciente.Si verò externa fuerit cauſa,quæ ad internam poſſit reduci,vtique malitioſa,& praua eſſe poterit, vt in ictibus venenoſis, in potionibus venenatis,vel per os,vel per clicteres, aut contactũ exhibitis,ſudores frigidos,& lethales affert, eo quia potentiſſima eſt cauſa, & validiſſimè operatur : quo tempore à diſſoluto calore propter venenum exeunt illi frigidi ex languida, & emoriente virtute. Hoc videre eſt in Puderico in lib. de corpore venenato, & in doctiſſimo Mercuriali in lib.de venenis.

Sed ſi cauſa fuerit interna,humores vel crudi,& frigidi, vel admodum calidi, & feruentes in cauſa eſſe poſſunt. Vt autem de omnibus claram notitiam habeamus,huiuſmodi diuiſionem faciamus: ſudores frigidos vel in morbo acuto, vel in mitiori contingere poſſe, loquamur de ijs primò,qui in acutis ſuccedunt.

De his Gal. 4.Aphor.com.37. multas affert, cur exeant frigidi,rationes,& primò ponderat tales ſudores in febre acuta oriri,vel ex valida alicuius viſceris inflammatione,quæ ſicuti cucurbitula trahat ad ſe calorem partes exteriores proinde fieri frigidas, per quas, ſi ſudor tranſiuerit,refrigerabitur. Secundò,quòd hi eueniant ex putreſcentium humorum copia in vaſis, è qua calor natiuus extinguatur,hinc cùm ſit exiguus poteſt quidẽ eleuare vapores,non tamen calefacere. Notat alterum Gal.non parui momẽti,quod caliditas,quę à putredine concipitur,nihil prohibet,quin vehementiſſima ſit,atq; ideo ſignũ eſſe exitiale,oſtendens in animalis corpore humorum multitudinem ſuperabundare,tantam habentium frigiditatem,vt neque à calore natiuo,neque à febrili calefiant. Ex quibus omnibus, naturæ coniecturandum eſt, maximam ſuccedere imbecillitatem, eiuſq; calori extinctionem,& exinde nõ poſſe ex languore humores calefacere. In hoc propoſito dicebat Gal. ſudores calefieri, ſi à partibus calidiſſimis efferentur,quia autem ſolida corpora, natiuo calore aliquãdo quaſi ex-

tincta

tincta reperiuntur, idcirco fieri frigidos. Huic rei addere poſſumus, in omnibus morbis, vbi naturam imbecillitari, ſuffocari, extingui, ſeu reſolui contingit, tales poſſe fieri ſudores, eueniat hoc ex quauis cauſa, ſiue ex doloribus maximis, vt in valido cruciatu colico, cardiaca paſſione, doloribuſq; ſyncopticis, ſiue ex magnis euacuationibus ſanguinis, vel aliorum humorum, à quibus natura conſumetur: quemadmodum in dyſſentericis, lientericis, alijſq; fluxibus videmus; ſiue ex naturæ diſſolutione ſicuti in febribus peſtilentibus ſuccedit, à quarũ humoribus peſtiferis calor natiuus ſancinatur, & occiditur. Hoc etiã in corporibus venenatis contingit, in quibus ob extinctam naturam frigidi ſudores exudant.

Habemus ergo ſudores frigidos primùm frigidorum humorum copiam oſtendere, ſecundò naturam vel extingui, vel proprius accedere vt extinguatur. Ipſa enim in magno erit conflictu, dum à copia humorum frigidorum, & nocentium opprimi continget. Hi calorem natiuum extinguere conantur, inde ex virium imbecillitate corpora frigidè exudant. De his loquens Hipp. 4. Aph. 37. ita dicebat. Frigidi ſudores cum acuta quidem febre, mortem; cum mitiori verò, longitudinem morbi ſignificant. At 1. Progn. 26. vocat hos peſſimos, eo potiſſimũ ſi caput duntaxat, faciem, aut ceruicem occupant. Et 3. Epid. com. 3. tex. 66. dicebat. Sudores intempeſtiuos frigidos multos perpetuò ipſorum malitiam confirmaturos.

Itaque in morbis acutis ſudores frigidi perpetuò malitiam demonſtrabunt, erumpãt quoquo modo velint, aut copioſi, aut pauci, aut ex toto corpore, aut ex capite, collo, pectore, aut ab extremis. Hoc ab Hipp. habemus omnium bonorum in Medica facultate auctore, qui hos caſus obſeruauit in Philiſco, in vxore Dromedai, in muliere, quę in foro mẽdacium decumbebat, in Sileno, qui morientes ſudores frigidos ex toto corpore habuerũt. Inter hos peiores ſunt pauci frigidi, aut circa caput, aut extrema ſcilicet, manus, & pedes: nam facultatis proximam eſſe extinctioni prorſus indicabunt. Sed hæc omnia corroboremus exemplis.

In hiſtoria Philiſci hæc ab Hipp. habentur tanquam obſeruata. Quinto ſub diem obmutuit, frigida ſudauit, extrema liuida circa meridiem die ſexto obijt, ſudores frigidi per totum.

In hiſtoria vxoris Dromedai. Sexta die manè ſuperriguit, velociter autem incaluit, ſudauit per totũ extrema frigida, delirauit, reſpiratio magna, rara, paulo poſt conuulſiones à capite cęperũt, & celeriter interijt.

In

In hiſtoria mulieris,quę in foro mendacium decumbebat,ſeptimo ſuperriguit,febris acuta,ſitis ingens, ſe iactauit ſub veſperum,per totum corpus ſudauit frigidum,frigus partium extremarum.

In hiſtoria Sileni.Sexta die circa caput modicum ſudauit,extrema frigida, liuida, multa iactatio, octaua ſudauit per totum frigidum: vndecima interijt.

In hiſtoria mulieris,quæ ex aborſu circa quintum menſem febricitabat. Quarta die delirauit,timores,mœſtitiæ: dextero peruerſa eſt: ſudauit circa caput exiguo ſudore frigido, extrema frigida: quinta omnia exacerbata ſunt,ſexta per eadem, ſeptima obijt phrænetica.

Ex quibus hiſtorijs, & infinitis alijs, liquidò conſtat in acutis morbis, ſudores frigidos exitiales eſſe, atque perpetuò mortis indicare pericula, eoq; certius id prædici à Medico poterit, ſi in aliquo iudiciali,& critico die hi eruperint,vel aliquod ex pernicioſis,& lethalibus ſignis illos conſequentur.Hinc in Prorrhet.habetur.A profluuio ſanguinis è naribus,paucus ſudor cum refrigeratione,malus.

Sed dubitatio inſurgit ex Gal.4.Aphor.com.37. vbi,in febre acuta dari ſudores frigidos diſputauit ex copia humorum frigidorum, qui nec à natiuo calore, nec febrili calefieri poterãt. Ex hoc datur nobis anſa dubitandi,non poſſe humores illos ad cutem ferri, quia ſunt frigidi,& ad motum inepti,& eo certiùs,quia tunc temporis natura languida eſt,& proprius accedens ad extinctionem. Obiectioni pro nũc dicimus, Humorem à calore febrili quodammodo calefactum, & ſi ſuapte natura moueri nequeat,ad cutem duci, illic ab aduentitio calore prius ſuſcipitur,eo tamen reſoluto,frigeſcit,& in frigidum ſudorem mutatur. At Cælius Rodiginus lib.6.lect.antiq.cap.4.dũ quæſitum hoc exponeret,dicebat, aliam eſſe corporis portionem,quam amburat febris; aliam ex qua humor profluat frigidus; quod enim ex caleſcente promitur parte,caleat oportet: cæterum ex cute,quã eſſe frigidã liquet,proliciuntur ſudores,quãuis ſubtercutanea exæſtuent. At doctiſſimus Mercatus tom.1.lib.3.claſs.2. quæſt.190. ita dubium diſſoluit. Ego tamen arbitror,non fieri ob hanc rationem huiuſmodi ſudores lethales, quia raro acuti morbi ex humore adeò frigido, & denſo,atque incoctibili efficiuntur,ſed à vi,& natura partium ſolidarum emortua, & calore naturali deſtituta, vnde ſeroſi humores à febre liquati,& fuſi,cutemq; petentes non ſatis calefieri poſſunt ob reuocatum calorem ex vi caloris febrilis intus feruentis, quo extremæ partes refrigeſcunt, & talis ſudor efficitur,indicans emortuum calo-

rem

rem innatum,& extremum eius interitum,ac victoriam extranei, & febrilis,quod certiſſimæ,& citiſſimæ mortis indicium eſt.Hæc Mercatus.

Sed de ſudore frigido vnum proponimus adnotandum, ille enim vel cum corpore frigido,vel cum calido, vel è contra erumpit: ſiquidem ſudor calidus cũ frigido corpore quandoque exire ſolet; de quo autem Hipp.loquatur 4.Aphor.37.& 2.Progn.26. in quibus locis de ſudore frigido diſputat,adhuc tactũ non eſt. Dicamus reſolutè Hipp. loqui de frigido ſudore, qui cum calido, vel frigido corpore erũpat. Nollem autem ex hac cauſa aliquem credere, ſudorem calidum cum frigido corpore laudabilem eſſe;hic enim nec melior eſt,nec laudabilior: ſiquidẽ ex eo calidi innati exhalatio ſignificatur,præcipuè ſi frigida præceſſit ſpiratio. Vnde Hipp.6.Epidem.com.5. vaporem calidum per cutim exhalare,ſi nares prius ſpiritum frigidum reddiderũt, inter lethalia ſigna connumerat. Cęterum hi tres modi ſudandi tunc præcipuè maligniorem indicant affectũ,cùm alijs fuerint ſociati prauis ſymptomatibus,quæ vel præcedant,vel comitentur,aut has ſudorificas ſequantur excretiones, quomodocunque enim apparuerint, ſemper exitium demonſtrant.Minus malum ſudor ille præſagiet,qui abſque exitialibus ſignis,prauiſq; ſymptomatibus ſuſcitabitur: ſiquidẽ non ſine aliqua fiducia de ægrorantis ſpe haud diffidemus,forſitan enim eueniet dum naturæ conceduntur induciæ, humores cõcoqui, & euinci poſſe, atque ad melius infirmũ commutari. Sudor frigidus in acutis,qui mortem oſtendit,debet eſſe aut toto corpore, aut circa faciem,& ceruicem. Hinc Hipp.2.Progn.dicebat. Peſſimi omnium ſunt frigidi,& vbi caput duntaxat,aut facies,aut ceruix inſudat: ratio eſt, nam tales ſudores cauſæ arguunt magnitudinem: at non tantam ſi in brachijs,& cruribus apparuerint,quia calor innatus in facie maximè viget: ideo viſcera male ſe habere oſtendunt, quod in brachijs, & cruribus non tantam arguimus malitiam. In talibus tamen locis ſudor frigidus ex eo prauum eſt ſignum, quia caloris extinctionẽ earum partium, à quibus emanat, prognoſticat: propterea ſudores iſti ſecundum magis,& minus in prauitate differre videntur.

Sudor frigidus in acuta febre, quia contigit,vel ex copia frigidorũ humorum,vel ex valida viſceris alicuius inflammatione,vel quia mẽbrorum calor eſt extinctus,idcirco ex ijs, malum eſt ſemper prędicẽdum.Profectò in epialis,lippirijs ardentibuſue febribus,& in alijs affectibus vbi calor natiuus, & corpus diſſoluitur (his præter naturæ ordinem

ordinem apparentibus) exitium præſagire ſolemus: ſed quod mirum eſt, duæ ſunt cauſæ potiſſimæ ex quibus tot, & tanta mala ſuccedunt. Valida inflammatio ſcilicet in viſceribus corporis internis, ſeu præſentia feruefcentium humorum, qui ad ſe omne calorem trahunt, ex quo corporis extrema frigent; nec non & copia crudorum, & frigidorum humorum, & ſic calor, & frigus tanquam oppoſitæ qualitates in exitium corporis inſurgunt in acutis. De prima cauſa illud vulgatũ eſt. Quando interiora vruntur, & extrema frigent, lethale, ex Hipp. 7. Aphor. 1. De ſecunda, 4. Aphor. 37. & 2. Progn. 26. longiſſimè diſſeritur. Ex iſtarum cauſarum occaſionibus caloris natiui conſumptio, diſſolutio, extinctio, ſuffocatio, vel mortificatio prouenire ſolet, & exinde vires deficiunt, & imbecillitantur, adeo quod (cum in acutis iſti ſudores apparẽt) in acutis, caloris defectu, qui à ſupranarratis cauſis opprimitur, langueſcere videantur. Non eſt perpetuò neceſſarium ſudores frigidos ex ambabus cauſis eodẽ tempore, calida ſcilicet, & frigida, produci, nã hæ oppoſitæ ſunt, nec in vno verſantur corporis loco; ſufficit vt plurimùm ab alterutra fieri: quia autẽ corporis diſſolutio in diuerſis contingit morbis, ideo pro maiori omnium lucidatione longiùs materia hæc diſcutienda eſt. Profectò natiuus calor in multis affectibus extinguitur, ſeu ſtrangulatur, & diſſoluitur, ex quo deinde frigidi apparent ſudores; in his autem ſæpiſſimè in doloribus ſyncopticis, in colica vehementi, in cardiaca paſſione, hiſterico affectu ſyncope in magnis dyſſenterijs, alijſue prauis fluxibus, & alijs inferius narrandis morbis.

In ſyncope porrò contingunt, nam in ea datur præceps virium lapſus, eo quia cor ipſum & quoad ſpiritus, & quoad ſolidas partes non paruum ſuffert nocumentum: hinc forti exiſtente alteratione, maximoq; à natura receſſu, illico exolui animal, ac ſyncopim fieri par eſt. At huius affectus ſi immediatã cauſam perquirere licet; dicere oportet, ſyncopim perpetuò ſpirituum defectũ, & diminutionẽ conſequi. Hi autem cùm vitales ſint, ac omnium operationum inſtrumenta, è quorum vigore vires animalis conſiſtunt, mirũ non eſt ijs deficientibus, ſeu imminutis, vires defici, & diminui, proinde frigidos ſudores apparere ob debilitatem virtutis contentiuæ emanantes, quæ non poteſt ſerum intra venas continere, vt Gal. 3. de ſympt. cau. 1. At malorũ omnium caput, & origo calidi natiui eſt defectus, qui in illo conflictu ſtrangulatur, & diſſoluitur, hinc extrema corporis frigida reſtant, humoreſq; ab innato calido deſtituti foras prorumpunt frigidi,

ex eo quod natura ex virium imbecillitate retinere nequit.

In confinio iſtorum ſudores illi ſunt, qui in doloribus ſyncopticis eueniunt,quemadmodũ in cardiaca paſſione ſæpiſſimè obſeruamus: in ea enim ſudor præter cõſuetudinem ex toto thorace,ceruice,atq; capite frigidus erumpit,eo potiſſimùm ſi paſſio hęc ſæuior fuerit:tũc etenim multi humores venenoſi in ſtomacho reſidẽt, qui cum ſenſus exactiſſimi ſit propter magnos,& molles neruos, quos à ſexta cerebri coniugatione neruorum ſuſcipit,ſyncopim inducit,& caloris diſſolutionem, & ſtrangulationẽ. Ex his cauſis ſudores frigidi emanare ſolent,imbecillitatis,& defeſſis viribus,virtuteq; retentrice languida facta, reſolutis ſpiritibus, & extremis corporis partibus refrigeratis, & quaſi emortuis. Refert Hollerius lib.2. in cap. de cardiaca, quod inclinante morbo ſudor tenuis ſit, frigidus aliquãdo inſtantis mortis nũcius ab extincta facultate vitali,ex quo ſyncope,& mors. Alioqui vapor calidus per cutim exit,quod Medicum fallit,niſi & manũ adhibeat ori,& naſo. Hinc enim ſpiritus frigidus,ex his mors. Ecce quomodo in febre cardiaca etiam fiat ſudor frigidus.

In colico affectu ab humoribus,inflammationeue genito,& in pernicioſo voluulo ex exceſſu doloris adeo calor natiuus patitur, vt quodãmodo ſtranguletur,& ſuffocetur.Cumq; hic deficiat,deficiunt & vires,& corpus diſſoluitur. Hinc ſudores frigidi naſcũtur,cum valida cauſa exiſtat. Verùm hoc non ſolùm in huiuſmodi contingit affectibus, verum atque in omni alia paſſione, vbi doloris magnitudo vigeat, in Nephrico ſcilicet conuulſiuo, & prauo articulorum affectu, quorum reſpectu humores è corpore exprimuntur: cumq; extrema frigida ſint,propter caloris defectum,frigidi ſudores exudant.

In hiſtericis prauis paſſionibus,ob ſeminales,vel mẽſtruales corruptas materias,veneni ſapientes, occiditur calor,exhalantibus ſurſum ex ijs tetris, & peſtiferis vaporibus. Hinc emoriente calore corpus, frigidum ſudare neceſſe eſt. Solet enim affectus hic adeò prauus eſſe, præcipuè ſi à retento ſemine procedat,vt epilepſiam, & ſyncopim, non ſolum inducere poſſit, verum atque exitium intra paucas horas, & ſic in tam præcipiti collapſu naturæ, nulli mirum eſt frigidos euenire poſſe ſudores.

In magnis euacuationibus vel ſanguinis, vel alterius humoris,vt in dyſſenterijs, diareis, lienterijs, alijſue fluxibus adeo hebeteſcit natura, & natiuus calor, vt facile ſit corpus examinari, & refrigerari, atque frigidum ſudare,& tunc præſertim cum auctus fuerit morbus:

tunc

tunc enim cum natura amplius euacuationes illas perferre nequeat, diruta,& proſtrata,humores non retinet. Hi frigidi exeunt vel quia à calore proprio derelicti ſunt, vel quia corporis extrema frigida pertranſeunt. Conſimiliter fit in reliquis euacuationibus, in vomitibus ſcilicet ſuperfluis,in hemorragijs narium, renum, & aliarū partium, atque in conſimilibus affectibus.

In ictibus venenoſis,Scorpionis ſcilicet,Phalāgij,Aſpidis,Viperę, aliorumq; venenoſorū animalium. In venenatis corporibus propter exhibitum deleterium pharmacum ex arſenico nimirum Euphorbio Opio,ſeu ex venenoſis,& ſcepticis plantis, vti eſt aconitum, auctore Teophraſto lib.9. de hiſt.plantar.cap.16. ſudores frigidi quācitiſſimè inſurgunt, citra alia praua, & horrenda ſymptomata, quæ ex talibus eueniunt,nec alia eſt omnium cauſa, quam veneni vis, & potentia. Ipſum enim tanquam natiuo calori verè contrarium, & inimicum extinguit,& iugulat illum,& animal occidit, hinc deficiente calore frigidum reſultat,& frigidi generantur ſudores, quod quidem videre eſt in Gal.3.de loc.aff.cap.5. Siquidem cum nuper fuiſſet quidā ictus à Scorpione videor mihi eſſe (inquit)percuſſus grandine: eratq; omnino frigidus, frigidoq; ſudore perfuſus. Quippe vbi ex icta parte, (vtar Andræ Lacunę breuitate) per totam ipſam celeriter diſtributa fuerit veneni vis, contingit eam, eodem rurſus contactu, in ſingulas ſubiectarum ei partium recipi: mox ex illis in alias continuas, donec in aliquā peruenerit principem, quo tempore mortis periculū inſtat. Proinde iure dicebat doctiſſimus Mercurialis 1. de venenis, cap.10. Venenum vnumquodque interimere,vel quia proprietate,natura,& forma ſpecifica,formam,& eſſentiam caloris corrūpit,vel quia ipſius copiam,& menſurā imminuit,vel quia conſpurcat, & defœdat ipſum calorem,vel motum ipſi calori aufert, ex quibus cauſis nulla eſt, quæ calorem ipſum non lędat,nec ſine ratione,nam venenū vnūquodque in cor primò agit,tanquam propriam ſedem,& cordis citrà omnium controuerſiam in morbis his ſedes affecta eſt, cuius temperamentum interdum vitiatur,læſis eius facultatibus,at ſi quidpiam eſt,quod frequentiſſimè in ijs læditur,ſanè calor eſt,& humor cordis. Vnde dicebat Auic.in cap.de venenis, & de viribus cordis. Cor à venenis congelari, & exiccari, adeo quod ſumma negotij eſt, ex veneno cordis harmoniam diſſolui, qua diſſoluta, extinguitur calor, & laxantur vires, & corpus refrigeratur, inde naturales humiditates, & humores frigidi exudant.

Sed in hac re dubitatio eſt, num cor ſit primum affectũ ex veneno, an aliȩ partes? legitur enim ex Gal.1.de compoſ.med.per loca cap.1. & ex Auic.in cap.de venenis, Venenum leporis marini ſolummodo tentare humores. Cantharides veſſicam tantum offendere. Hyoſciamum primò,& principaliter cerebrũ. quibus auctoritatibus, videtur eſſe controuerſia,de ſede veneni,ſi enim cor primò non eſt affectum, vtique ſudores frigidi non opus eſt,vt in omni veneno exudent;ratio eſt,quia non extinguitur natiuus calor, à cuius ruina hos procedere diximus. Huic obiectioni dicimus, quod propria,& prima ſedes veneni cor ipſum eſt,ſed quia poſt læſionem eius,alias ſolet venenum lædere partes,atq; manifeſtiores effectus facere; hinc fit vt lepus marinus licèt primò cor tentet, pulmones etiam exulceret, & Chantarides veſſicam, quibus in locis, quia magis ſunt manifeſta ſigna veneni,propterea aliqui dixerunt,partes illas primò inuadi: ſed rei veritate cor primò afficitur,deinde aliæ partes, quod ſi effectus manifeſtiores in alijs videantur locis,hoc nihil prohibet,cum aliqua ex proprietate ſint venena, quæ primò lædunt cor, minus tamen manifeſtè, quam aliàs ſubſequentes partes. Sed ſatis.

In febribus peſtilentibus,in malignis,& in internis inflammationibus frigidi conſpiciuntur ſudores,vt Auic.4.1.tract.4.in cap.de febre peſtil. adnotauit, nec alia eſt ratio, quàm diſſolutio,mortificatio,ſeu iugulatio caloris: ſiquidem in omnibus allatis exemplis,vera illorum cauſa caloris natiui deperditio eſt, à cuius imminutione, & ruina vires corporis collabuntur,& imbecilles fiunt;natura diſſoluitur,& ad coctionem peccantium humorum, & ad expulſionem nocentium fit impotens;hinc facultates animalis corruunt,hinc extrema refrigerantur,hinc contentiua ſuum munus haud exequitur. Proinde ſudores frigidi exudant, nam calor natiuus, à quo cuncta corporis inſtrumenta gubernantur, exilis eſt, & collapſus: propterea tales ſudores in acutis, & peſtilentialibus affectibus praui, & lethales eſſe cenſentur, eo quia calor natiuus, in quo vita noſtra conſiſtit, in ijs deperditur.

Sed diſputemus, An ſudores hi frigidi in acutis febribus, & malignis, & venenoſis affectibus ab excrementitia, an alimentali humiditate proueniant? Profectò ab vtraque poſſe prouenire aſſerendum eſt, hoc tamen ordine, vt humores excrementitij, ſeroſæq; humiditates in talibus excernantur, cum natura non adeo fuerit deiecta,& calor natiuus nõ adeo diſſipatus, vt corporis facultates ceſſent

à pro-

à proprijs muneribus,ſiquidem per irritationem ſymptomaticę fiunt excretiones potiſſimum. Equidem in acutis ex internis inflammationibus,vel ex copia frigidorum, & crudorum humorum factis, primò ſuperflua expelluntur corporis excrementa, quorum excretio haud inutilis eſſet, ſi ex ordine naturæ procederet, quia autem natura vel oppreſſa à copia, vel à mala eorum qualitate irritatur, ideo non ſolum inutilis, ſed mala, & exitioſa cenſetur. At ſi calor extinguitur, vel ſuffocatur, hebeteſcit natura, & facultas retentrix imbecillis facta, non potens retinere partium ſolidarum, & nutritiuas humiditates, vnà cum humoribus per corporis foramina exudare facit. Hæ materiæ deſtituto calore frigidæ ſentiuntur, ex quibus concluditur tum excrementitias, tum alimentales excerni poſſe, de quibus loquens Auic.4.2. tract. 1.cap.71.dicebat: Et non fit ſudor frigidus, niſi iam ceciderit caliditas innata:quare nõ ſeruat humiditates,immò ſeparatur ab eis, quare ſegregat eas, & euaporat caliditas extranea, deinde ſeparatur ab eis illa caliditas, propter ſuam extraneitatem, quare infrigidantur.

In peſtilentibus febribus,in morbis venenoſis, corporibuſq; venenatis,& in doloribus ſyncopticis, quia velociter proſtratur natura, velociter etiam naturalium humiditatum ſudorificæ fiunt excretiones. Hæ cum excrementitijs commixtæ, frigidæ exeunt,tanquam à naturali facultate emoriente, & à calore penè extincto deſtitutæ, idcirco ſemper ſudores hi exitioſi, & maligni iudicantur: ſolentque mortem proculdubio minari, ſi potiſſimum alijs fuerint ſociati ſymptomatibus.

Sudores autem frigidi, qui in mitioribus febribus ſuccedunt, non adeò cenſentur periculoſi, vt ſaluari homo nequeat. Voco febrem mitiorem, quæ moderata, ſiue,vt Gal.4.Aphor.com.37. quæ tepida eſt: namq; ſi in ea debita adhibentur præſidia,vtique maiori ex parte in ſanitatem ægri reducuntur.Ideo Gal.cum Hipp.ſudores huiuſmodi docet, in mitioribus febribus longitudinem morbi ſignificare, & benè dicunt in mitioribus, hæ enim ferociſſimæ febris, quæ acutiſſima eſt ratione, & reſpectu, mitiores dicuntur, ſiquidem cum febres ferocitatem,& malitiã non repræſentant,mites vocari, vel continuę, vel intermittentes ſint, conſueuere, in vtriſque enim frigidi ſudores oriri poſſunt. Nolumus hic de ferocitate,& malitia acutarũ febrium diſſerere, nam locus non eſt, ſatis erit in præſentiarum pro inſtituto opere dari febres acutas,& mitiores, quod eſt malignas,& benignas, dicere,

dicere, atque in malignis ſudores frigidos, mortem, in benignis verò longitudinem morbi ſignificare. Verùm vt hæc notiora ſint, reddamus omnium cauſas, & rationes.

Febris acuta, quæ preſertim ab internis fit inflãmationibus, idcirco lethalis cenſetur, quia reſpectu interni ardoris diſſoluitur, & extinguitur calor natiuus, proinde frigidi ſudores in ea ſuccedẽtes, exitioſi iudicantur: in febre autem mitiori quia id ceſſat, ſudores frigidos non lethales eſſe, ſed morbi longitudinem præſagire exiſtimamus: ſiquidẽ hi cum à copia humorũ frigidorum oriantur, pro illorum digeſtione, vt longum requiratur tempus neceſſe eſt. Hoc autem in continuis febribus mitioribus, ſecus in intermittentibus preſagire debemus; in ijs enim tantum abeſt, vt ſudores frigidi morbi ſignificent longitudinẽ, vt potius breuitatem, licèt ſit rariſſimum, namq; eorũ excretio, quædam humorum crudorum, & frigidorum, ad naturæ imperiũ expurgatio eſt. Hinc Hieronymus Cardanus 4. Aphor. comm. 37. in morbo ſalubri, & breui teſtatur ſe vidiſſe frigidos ſudores laudabiles, & non lethales; ſcribit enim, ſe nobilem Hiſpanum, in Magiſtratu poſitum, curaſſe, tertiana febre laborãtem, atque ſudaſſe frigidiſſimo corpore. Hic tamen intra quatuor dies curatus eſt, parum licet affuerit, quin gloriam, quam multis laboribus, magnaq; diligentia cũ Hiſpana gente conſecutus fuerat Cardanus, perdidiſſet, futurã mortem preſagiendo, motus prædicti Aphoriſmi auctoritate. Idcirco ſudores frigidi in mitioribus continuis, morbi longitudinem ſudores frigidi preſagiũt, in breuibus, & intermittentibus autẽ morbi ſolutionem: fallit tamen in ſpurijs, atque in ætate ſenili, quia ſudores hi non à virtutis fortitudine expurgãtis, ſed potius à caloris natiui debilitate, & extinctione in ſenibus poſſunt accidere. Sit ergò cautus in eorum præſagijs Medicus, quia ab indiuidui natura robuſta, vel flaccida, Hippocr. ſententiam aliquandò relinquere cogetur.

Hippocrates in mitioribus febribus, ex ſudoribus frigidis longitudinem morbi prædicit; ratio eſt, quia illorum cauſa, multitudo crudę, & frigidæ materiæ exiſtit, proinde tepidis exiſtentibus febribus, contingit hominem ſaluari, concocta temporis proceſſu illorum humorum copia, atque à natura euicta: quippe moderata febris hæc, cùm non anticipet ad inſtar acutæ diſſoluere hominem hoc promittit: propterea in talibus frigidi ſudores ſignum adeò pernicioſum haud arguunt, vt in acutis diximus ex illorum apparitione præeſſe.

Sed dubitatio maximi momenti ex narratis reſultat. Superius equidem

dem diximus in acuta febre eandem cauſam facere ſudores frigidos, & ſuffocare calorem, hæc autem erat frigidorum, & crudorũ humorum copia, qui nequeunt nec à febri, nec à natiuo calore calefieri, proinde ægrotantium mortis eſſe præſagium. Sed cauſa hęc in mitioribus etiam febribus exiſtit, atque ex ea ſudores veniunt frigidi, cur ergo in mitioribus hominem ſaluari, & in acutis obiturum prædicimus? Hoc profectò quęſitum nonnullos prima facie moleſtat, vt autẽ noſmetipſos conciliemus, audi. In acuta febre, ad hoc vt ſudores frigidi arguant ſigna lethalia, non ſolũ requiritur copia materię crudæ, & frigidæ, verum atque virium imbecillitas, quæ in tepida febre minimè reperitur, ſiquidem verum eſt, quod in vtraque humorum crudorum copia conſiſtat, differunt tamen in viribus, eo quia in acutis debiles, & languidas obſeruamus; in tepidis verò fortes, & robuſtas. Hac via in ijs, humorum fit coctio, & temporis proceſſu animans ſaluatur; è languidis enim viribus mors, è robuſtis verò vita procedit. Idcirco quia in mitioribus vires ſunt potentes, poteſt natura morbi longitudinem ſufferre, & inducias habere coquendi, & ad ſui obediẽtiam mutandi humores, atque demum morbum vincendi, quippe ſi cum humorum crudorum copia, virium adeſſet imbecillitas, hominem ſaluari difficillimum eſſet, ſiquidem ijs languidis de facili natura ſuffocatur. Hæc pro differentia frigidorum ſudorum in acutis, & mitioribus febribus ſatis ſint.

Habemus ergo ſudores frigidos à copia humorum crudorum, & frigidorum fieri, nec non à caloris extinctione earum partium, à quibus erumpunt, fiunt à doloris magnitudine, ex diſſolutione, ſiue ſtrangulatione caloris, idcirco ex ijs prædicimus corpus refrigerari, & calorem natiuum debilitari, & emori; concluditur verò in acutis hos, vt plurimum exitium, in mitioribus autem febribus morbi longitudinem præſagire.

An ſudores calidi à calidis, & frigidi à frigidis fiant humoribus?

PRo elucidandis ſudoribus à tactu deſumptis, quęritur: An ſudores calidi à calidis, & frigidi à frigidis humoribus fiãt? Primo dicitur, quòd non, quia vnius effectus, plures eſſe poſſunt cauſæ, vel quia vna cauſa contrarios poteſt producere effectus. Clarum eſt hoc, teſtimonio Ariſt. 2. Phyſ. 30. idcirco ſudores calidos & à calidis, & à frigidis humoribus fieri,

& fri-

& frigidos perinde ab vtriſque cauſis aſſerendum eſt, quod vt fundamentum hoc conualidetur, exercitationis gratia multis rationibus confirmabimus.

Ariſt. 2. de partib. animal. cap. 2. calorem ait & cogendi, & liquandi vim habere, quod tantum eſt, quantum diceret, calefacere, & refrigerare; quapropter ſi calor poteſt facere cõtrarios effectus, poterit cauſare calidum, & frigidum ſudorem, quorum effectus contrarij ſunt. At quia aliquis hanc poſitionem negaret, ſeu diſtingueret, aſſerens, quod diuerſa eſt actio caloris quoad cogendum, & liquandum, quàm quoad calefaciendum, & refrigerandum, & proinde intentum non probari. Huic dicimus cum Auerr. 3. collig. 24. calorem ſui natura refrigerare, modo ſi refrigerat, ex Auerroe, & calefacit cum Ariſt. ergo facit contrarios effectus, & exinde calidos, & frigidos ſudores.

Quoad frigidum neceſſe eſt vt contrarios etiam producat effectus, probatur ex Ariſt. 8. Phyſ. cap. 8. dicente, frigidum calefacere. Galen. etiam 10. method. cap. 2. videtur eſſe eiuſdem opinionis, cùm dicat febrem excitari à frigido, quod idem eſt, quod contrarium fiat ab altero contrario: immò videtur voluiſſe Ariſtotelis ſequi ſententiam, 2. Phyſ. 30. quod vna cauſa faciat contrarios effectus, ideo nos à fortiori ita arguimus. Febris excitatur à frigido, ſed febris eſt calida, ergo calidum fit à frigido, quibus concluditur, ſudores calidos fieri ab humoribus frigidis, & frigidos à calidis. Clarum etiam hoc fit ex Gal. qui in lib. de tremore, & palpit. poſuit, frigidum multum conferre calido. Probatur etiã concluſio noſtra cum eodem 4. Aphor. 37. dicẽte, frigidum ſudorem poſſe eleuari ab acuta febre, quod eſt, frigidũ ſudorem fieri à calido, ſeu calidũ refrigerare; quare veniunt neganda fundamenta illa, quæ calidos ſudores à calidis fieri cauſis aſſerunt, & frigidos à frigidis, cum potius ſit aſſerendum vtroſque ab vtriſque fieri, vt probauimus, vt Ariſt. vera ſit ſententia. Vnam cauſam producere contrarios effectus.

At negotium aliter ſe habet, idcirco veniamus ad quęſtionis ſcopũ. Tota vis dubitandi in Ariſt. poſitione 2. Phyſ. 30. ſita eſt, vnã ſcilicet cauſam contrarios producere effectus, propterea vtrum vna ſit cauſa contrariorum inquirendum. Profecto quæſitum hoc duplici via conſideratur; nimirum vt cauſa eſt præſens, & ſic vna non poteſt eſſe contrariorum, vel vt abſens, & ſic contrarios producit effectus. Hoc Philoſophus de nauta exemplificat, qui per præſentiam eſt cauſa ſalutis nauis, & per abſentiam ruinæ. Vel dicimus, vnam eſſe cauſam cõtrariorum,

riorum, intelligi non per ſe,ſed per accidens.Poſita hac diſtinctione, poſſumus dicere,calorem eſſe cauſam calidorum ſudorum per ſe:per accidens verò frigidorum. Vel eſſe cauſam calidorum per præſentiã, & frigidorum per abſentiam,ceſſante enim caliditate,frigiditas inſequitur,& ſic humores calidi faciunt ſudores calidos,& frigidos,ſi per ſe,& per accidens conſiderantur.Econtrà humores frigidi faciunt ſudores frigidos per ſe,per accidens verò calidos,quia ceſſat frigiditas, & introducitur caliditas, vel per nouam coctionem,vel aliam alterationem.

Ad illud autem, Vtrum eiuſdẽ effectus ſint plures cauſæ? dicimus hoc concedi dummodo vna ſit cauſa proxima, alia verò remota, ſeu ſint plures cauſæ remotæ vnius effectus,non autem proximæ. Hiſce ſtantibus limitationibus,dicimus,quòd ſi caliditas,cuius per ſe eſt calefacere,videatur refrigerare, per accidens hoc facere credẽdum eſt, nullatenus verò per ſe;à pari ſi frigiditas videatur calefacere,non immediatè, & per ſe,ſed aliquo medio, & per accidens hoc facere dicemus. Hinc ſudores calidos ſemper à cauſis calidis,& frigidos à frigidis fieri penſitabimus, quod ſi ab oppoſitis cauſis fieri videãtur, non per ſe,ſed per accidens hoc euenire credendũ eſt;quippe,vt diximus, cauſæ poſſunt eſſe proximæ, & remotæ, iuxta quem ſenſum ſudores calidos dicimus fieri à calido,& à frigido;horum autem caliditas cauſa eſt proxima, frigiditas verò remota, hæc enim conſtringendo calidum, poteſt eſſe cauſa vt calidi ſudores expirent,& è contra,vt ſuperius tetigimus. Soluamus argumenta oppoſita.

Ad Ariſt.2.de partib.animal.2.vbi dicebatur,calorem tum cogendi,tum liquefaciendi. Reſp.illic per tranſitum memorare,quod 4.Meteor. dixerat, quomodo coagulentur,& liquefiant corpora à calido, & à frigido: de qua re vide Diuum Thomam 4.Meteor.lect.10.

Ad Auerroem dicimus,loqui de calore extraneo,qui refrigerat diſſoluendo natiuum calidum,& ſic per accidens: nam idcirco cauſatur frigiditas,quia reſoluitur caliditas.

Ad Ariſt.8.Phyſ.8.dicimus,frigidũ calefacere quodammodo,ideſt non verè: vel dicimus,frigidum dupliciter conſiderari,vt poſitiuum, & vt priuatiuum. Poſitiuum nullo modo calefacit per ſe,ſed per accidens tantum. Priuatiuum verò per ſe calefacit,nam frigidum priuatiuum calor eſt diminutus, & dicitur frigidum comparatiuè ad calidum magnum.

Ad Gal.10.Method.med.2. dicimus, frigiditatem cauſare febrem,

& perinde calorem non per ſe,ſed per accidens,quatenus ſcilicet cutim conſtipet,& corpus condenſet: inde quia humores non ventilantur,putreſcunt,& generant febrem. Ad eundē in lib.de trem.& palp. cap.6. dicimus,frigiditatem conferre calido,inquantum frigus motũ innati calidi impediat,ne vlterius,quàm decet extendatur, & euaneſcat. Sed non per hoc ſequitur, alterum ab altero fieri,ſiue propriam inter eos communitatem ineſſe. Ad eundem 4.Aphor.37.dicimus,in febre calidiſſima, & acuta ſuccedere ſudorem frigidum, hunc autem non à calido, ſed potius à frigido naſcitur,quia à caloris natiui extinctione procedit,vel ab humoribus frigidis, qui in talibus nec à calore natiuo,nec à febrili calefieri queunt. Concluditur ergo,ſudores calidos per ſe à calidis naſci cauſis,& frigidos à frigidis,vtroſque verò ab oppoſitis fieri per accidens,vt viſum eſt.

De ſudoribus à colore perceptis. Cap. XI.

SVdores viſibiles dicuntur ij, qui per ea noſcuntur obiecta,quę à ſenſu Viſus percipiuntur,hæc autem color, & lux exiſtimantur eſſe propria, à nonnullis verò inter obiecta connumeratur lumen, eo quod ſpecies lucis eſt; eijcitur tamen, quia viſum nõ propriè terminat: nam lux in lumine videtur,& ipſum de ſe ſpargit per medium in organũ. At doctiſſimus Mercatus tom.1. in cap.de ſenſib.externis,lucem,& lumen ſolũ differre ratione ſubiecti,non ſpecie,vt aliqui cenſuerũt,aſſeruit: ſed de his vide Ariſt.in lib. de ſenſ. & ſenſ.& 2.de anima.Quomodo autẽ fiat viſio,extra mittendo, ſeu intus ſuſcipiendo demonſtrauit Conciliator diff.64. de qua re dicebat Auerr. 3.collig.38. Proprietas viſus eſt, quia recipit colores nõ denudatos à materia, & propterea habet conuenientiã propriam cum materia.Et inferius.Et ſcias,quòd ſenſus viſus recipit formas rerum in hunc modum,quia aer mediante lumine recipit formas rerum primò,& poſtea mittit ad tunicam inferiorẽ, & illa dat alijs, quouſq; hic motus peruenit ad tunicam poſtremam, poſtquã ſtat ſenſus communis,qui apprehendit formas rerum. Verùm de negotio hoc multa adduxit Gal.7.de Hippoc.& Platon.plac.cap.5.Tu verò ſi cupis elegantem quæſtionem, adeas Mercatum loc.cit.

Ex obiectis viſibilibus, cum de ſudoribus viſibilibus in hoc cap. ſit tractandum,color eſt proprium,quod deſeruit:ſiquidem materia noſtra

ſtra

ſtra in humoribus conſiſtit, proinde illos coloratos, & in tali obiecto fundatos conſiderabimus. Cauſas autem talium colorum nõ perſcrutabimur, cùm Medici inſtitutum non ſit, referente Gal. 8. de Hipp. & Plat. plac. loc. cit. Nam velle ſcire cur albus pituitæ humor, ſanguinis rubor, flauus amaræ bilis, acidæ verò niger exiſtat, longiſſimum conſumeretur ſpatium, eſſetq; à negotio noſtro aliena diſceptatio. Hinc benè in lib. de hiſt. philoſoph. auctoritate Pithagorę, ſcribitur, quatuor eſſe colorũ genera, album, nigrum, rubrum, & pallidum: reliquas autem colorum varietates, ex diuerſa elementorum proprietate, & commixtione oriri. Sed de his hactenus.

Vt ſudores in ſudãtibus corporibus cognoſcamus, velimus ex Gal. in 4. de ſanit. tuen. c. 4. huius materiæ fundamẽta deſumere: ibi enim docet tum ſudorum, tum corporum ſuccorum, qui in vniuerſo abundant corpore, calorem eſſe notam: ſiquidem color à ſuccis prouenit, non ex ſolidis animalis partibus, vtique cum ſe ſucci in altum non receperunt. Quippe ſuperantibus in eo calidis ſuccis, inſolito caloris ſenſu vrgetur, frigidi verò cum frigidi dominantur. Iam albiores pituita ſuperante, pallidiores bili abũdante cernũtur. Quod ſi meracior bilis ſit, etiam planè flauiores. Quia autem colores ſępiſſimè in corporibus mutari contingit, eo quia intrò pelluntur ſucci, propterea Gal. ibi ſigna varietatis adducit: afferam ipſius verba, vt cognitionem colorum, & ſudorum in mutationibus adipiſcamur. Accidit verò id illis propter frgora, rigores, vel animi affectus, veluti timorem, vel ingentem triſtitiam, vel incipientem verecundiam: quorum nullũ ſi adſit, nunquam ſe in altum recipient ſucci. Aeque nec in cutem violentiùs irruentes, hãc adurent vnquam, niſi animus aliquo modo affectus ſit, aut æſtu immodico animal extrinſecus obſeſſum. Ergo vehementer commotis, aut iratis, aut in pudore veluti reciprocantibus ſe humoribus inſpicere colorem non oportet. At ſi nec ambientis violentia calidi, frigidiue, nec vllus animi affectus, cuiuſmodi iam dictus eſt ſubſit, certiſſima ſucci animalis cognitio ex colore datur. Hæc Galenus. Oculatus ergo ſit ſtudioſus in contemplando corporis, & ſudoris colorem.

Humores, ſiue ſucci, ex quibus corpora noſtra rationabiliter conſtant, Gal. teſtimonio in lib. de Dynamidijs, quatuor ſunt, ſanguis ſcilicet, phlegma, & vtraque cholera. Sanguis eſt rubeus, & rubicunda facit corpora: Phlegma eſt album, & corpora albificat: Bilis colore flaua eſt, & flauos reddit homines, atra eſt nigra, & ex hac corpora

nigrantur. Hinc in 4.de ſanit.tuen. & in lib.de ſpermate colligimus alios ſanguineos, alios cholericos, phlegmaticos, vel melancholicos eſſe. Capitur hoc etiam ex eodem in lib.de elementis,namq; ſi homo vnus eſſet,non doleret,in eius ergo compoſitione plura concurrunt, & inter alia quatuor humores, à quibus corpora tinguntur, & colorantur. De hac re Gal.2.artis med.& in lib.de optima ſecta ad Traſybulum verba fecit, ſiquidem colorũ corporis rationem inquirit, atq; illos ab humoribus ortum habere concludit:quare his cognitis,colores cognoſcimus, eo quod ſuccorum abundantium in corpore notæ ſunt,vt 4.de ſanit.Gal.dicebat. Si ergo quatuor noſtri corporis reperiuntur humores,quatuor opus eſt ſignare genericos colores.Hi ſunt flauus, rubeus,albus,& niger,qui tanquam generici dicuntur eſſe fundamenta aliorum colorum, qui ex miſcela iſtorum proueniunt: ſolet enim miſceri pituita cum vtraque bile,vel ſanguine,& ſanguis cum flaua,vel nigra bile,& cæteri cum reliquis humoribus,adeo quod varietas colorum reſultat,vt in citatis textibus videre eſt.

Vt autem ordinatim procedamus in hac ſudorũ tractatione quoad colores,præſtabit hos in ſimplices,& in mixtos diuidere. Simplices erũt colores albus,niger,flauus,& rubeus: mixti verò colores ij erũt, qui ex diuerſa humorum miſcela varij reſultabunt.Sed quidã ſuſurrat quatuor me poſuiſſe colorum genera, cum tantum duo apud Peripateticos reperiantur,albedo nimirum,& nigredo,qui colores extremi vocantur,alij omnes medij,& permixti. Huic dubitationi,ſiue ſuſurrationi dicimus colorem dupliciter conſiderari,vel per ſe,vel dependenter:per ſe ſumptus duo facit genera,vt Philoſophus,album,& nigrum:dependenter verò quatuor,vt in lib.de hiſt.philoſ.Pithagoram accepiſſe compertũ eſt. Nos ergo cum in humoribus colorẽ adaptare cupiamus,quia hi quatuor generici ſunt,ideo quatuor colorum genera libuit deſignare: conualidatur hoc cum Gal.in 4.de ſanit.tuend. cap. cit. vbi dicitur: Sudor quidem ſuccorum, qui in toto corpore abundant nota eſt: ſed ſucci (nos adiungimus) ſunt quatuor,ergo quatuor primæ erunt notæ colorum in ſudoribus. Ex induſtria dicimus primas notas,quia ex miſcela humorum,tum naturalium, tum prȩter naturam, varij,& diuerſi inſurgunt colores in ſudoribus.

Sudores colorati à pituita dominante in humoribus.

ORdinemus ergo quatuor ſudorum capita, à quibus tota colorũ intentio in ſudoribus pernoſcatur. Primum ſit de ſudoribus à domi-

dominante pituita coloratis, in humoribus.

Hunc humorem eſſe album omnes ſciunt, propterea albos facere ſudores colligemus, quod ſi aliquando ſudores à pituita colorati, vel magis, vel minus appareant albificati, huius rei cauſam inquirere facilè erit: ſiquidē ſudores vel à pituita aquea, vel à dulci, vel acida, ſalſa, vel inſipida, vel à naturali, vel præter naturam producuntur, prout in morbis critici, vel ſymptomatici fuerint: in qua re Medicus requiritur exercitatus, qui huius humoris differentias, & ſpecies cognoſcat, vt ſudores ex ijs coloratos, cum datur occaſio, videat, & pernoſcat. Equidem ab omnibus pituitæ ſpeciebus ſudores oriri poſſunt, dum in venis hæ fuerint, atque à corpore ad ſuperficiem euocantur; quo tempore, vel abſolutus humor in ſudorem excernetur, vel mixtus; quippe ſudores fiunt, cum facultas, & humor erunt ad excretionem diſpoſiti. Si fuerit abſolutus albus faciet ſudores, verùm magis, vel minus, prout magis alba, vel minus fuerit pituitæ ſpecies, quæ euacuabitur: quod ſi fuerit mixta, eo quia propter eius craſſitiem alio pacto educi nequit, tunc albedo, quæ huic ſucco à natura fuit deſtinata in varias colorum ſpecies degenerabit. Sit exemplum, quod miſceatur cum bile, ſudores excitari poterunt ſubflaui, ſubcitrini, ſubcrocei, ſubrufi: ſi autem cum atra, liuidi, ſubplumbei, ſubuirides, ſubporracei, & diuerſi alterius coloris, prout fuerit ſpecies peccantis humoris. Sudores ergo ſi fuerint albi, & lucidi, dicentur aquei, & fient, quando nil alienum ſudorificæ materiæ admiſcetur, euacuabitur enim ſerum pituitæ, quod album, & aqueum eſt. Hoc ſolet interdiu euacuari tanquam magis diſpoſitum, vt ſerum aliorum humorum eſt: quod ſi quoquo pacto pituita craſſa fuerit, vt difficulter educi poſſit, natura prudentiſſima, vt humor hic per anguſtiſſimos meatus transcolari valeat, atque in ſudores excerni, cum ſeroſo excremento miſcere ſolet, ſiquidem commodiùs expurgatur. Sicut enim ſerum antequam ad venas ducatur pro vehiculo ſolidioris nutrimenti deſeruit, ita pro educēdis humoribus ad corporis ſuperficiem idoneum iudicatur auxilium.

Sudores colorati à flaua bile dominante in humoribus.

FLauities erat color pro bile deſtinatus, idcirco in ſudoribus ſi eā contemplabimur, apertiſſima erit concluſio bilem expurgari. Quia autē humor hic vel magis, vel minus tingitur, atque in miſcelis cum pituita corrigitur, & tēperatur: idcirco colores hos corradere pote-

poterimus ex bile peccante, vel commixta cum pituita. Hi erunt, ſudor palealis, pallidus, ſubrufus, citrinus, ſubflauus, flauus, croceus, rubeus, purpureus, & conſimilis differẽtiæ. Hinc Gal. 4. de ſanit. tuen. cap. 4. dicebat: Quippe pallidus pro eiuſmodi bilis ratione apparet. Sæpè tamen poſt validiſſimos labores, & vehementem æſtum, planè flauus conſpicitur: aliquando medius, atque ex ambobus mixtus cernitur, veluti quodammodo ex pallido flauus. Et 10. ſimpl. med. facult. Vt plurimum ſudor coloris pallidi, quia ferè ſemper ſero aliquid bilis commiſcetur. Et 14. Method. med. cap. 1. bilem tenuem, & aquoſam euacuari per ſudores, & ſæpè contingere vt illi ſint eius coloris, cuius eſt vrina ieiunantium deſcripſit.

Vt autem ingenioſus Lector de Sudoribus à bile tinctis perfectam acquirat notitiam, diuidamus illam, in naturalem, & prẹter naturam. Naturalis ſimplex eſt, flauaq; dicitur, & eſt tenuior ſanguinis portio, ſiue ſpuma illius; eſt hic humor naturæ familiaris, atque tenuis, & fluidus exiſtit. Cùm autem alteratur, & naturæ fit contrarius in multas ſecatur differentias, quæ eſſentia, & colore à naturali differunt. Sex, vt ab auctoribus percipimus, hæ numero ſunt. Prima pallida dicitur, nam in colore pallidis rebus correſpondet. Secunda lutea, ſeu vitellina, quod oui crudi luteo aſſimiletur. Tertia poracea, quod pororum colorem referat, qui viridis eſt, vel, vt Gal. ait, colore braſſicæ magis fuſcus eſt. Quarta æruginoſa, quod æruginis colorem, & vires quaſi reprẹſentet. Quinta glaſtea à glaſto ſatiuo dicitur, eo quia plantaginis foliorũ colorem imitatur, alio modo dicitur cẹrulea, ſeu glauca, qui color ex viridi, & albo temperatur: licèt inter glaucum, & cæruleum aliquæ ſint differentiæ, vt Gal. voluit: tamen aliqui, inter quos eſt Andernacus dialog. 6. lib. 1. de noua, & veteri med. hos colores, vt Latini cæſios vocant. Sexta rubra dicitur, nam ſanguini tenui conſimilis exiſtit. At ipſa ſanguis non eſt, quia extra vaſa non concreſcit; ſecus eſt in ſanguine, qui condenſari conſueuit.

Adnotandum volumus in his, bilis differentijs croceam non fuiſſe appoſitam; nam Gal. per hanc flauam intelligit, magis verò à calore tinctam: tu verò addere poteris, ſi placuerit. Ex his omnibus colores ſudoribus adaptare poteris, atque ex varijs illorum miſcelis, diuerſas differentias perpetrare; iſtæ enim vel abſolutæ, vel cõmixtæ cum ſeroſa humiditate, vel aliqua ſpecie pituitæ, vel atræ bilis excernuntur. Sudores autem ex ijs non perpetuò mouentur, ſiquidem pituita, & vtraque bilis cum naturales exiſtunt, cũ ſanguine ad corporis alitionem

nem reſident, quod ſi excernuntur in ſudores, in malignis morbis ex facultatis contentiuæ, & à natiui caloris ruina contingit. Clarum eſt hoc in colliquatiuis febribus,& in prauis ijs affectibus, vbi excrementitiæ, & nutrimentales per ſudores erumpunt humiditates. Quando autem ex humoribus his præter naturales extant differentiæ, de quibus agimus, profectò & in criticis,& ſymptomaticis ſudoribus exeũt, & earum colores, atq; diuerſitates peccantium humorum facili methodo coniecturantur.

De ſudoribus à ſanguine coloratis.

CONſtituerant antiqui, nullum reperiri humorem, cui natura expurgationis nõ præſtitiſſet locum, qua via ducti, ſanguinem per nares, bilem flauam per aures, melancholiam per oculos, & pituitam per palatum expurgari decretauerunt. Legitur hoc in lib. de natura, & ordine cuiuslibet corporis, inter attributos Galeno. Hæc concluſio, quia patitur multas exceptiones, eſſet longiſſimè ventilanda, at hic locus non eſt, omiſſis ergo bile vtraque, & pituita loquamur tantum de ſanguine.

Sanguis quando moderatus quantitate,& qualitate in corpore noſtro reperitur, cauſa ſanitatis eſt, & validã reddit naturam: ſin immoderatus fuerit, lædet actiones,& ſæpè eſt cauſa morbi. In ſtatu moderato quia familiariſſimus eſt naturę,& corpori vtillimus, nullo modo excernitur, ſed conſeruatur ad alitionem animalis, nec locus aliquis expurgationis ſibi præſtitus eſt. In ſtatu autem immoderato in copia, & eius mala qualitate prouida natura nõ modò per nares, verum atq; per hęmorrhoidales venas,& per vterũ purgare conſueuit:& Medici ipſi in affectibus, per multos venarum riuulos expurgare, vt vniuerſalem faciant humorum minutionem in praxi perpetuò ſtuduerunt. Credebant antiqui in ſtatu ſanguinis naturali eius expurgationẽ per nares fore neceſſariam, ſed errabant: ſiquidem ſanguis adeò naturæ amicus eſt, vt retinere, minimè autem excernere procuret. Equidem extrà illius ordinem ſanguinis vacuatio tantum abeſt, vt proſit, vt potius naturam affligat, & eneruet corporis vires; vt in ſudoribus ſanguineis, de quibus in præſentiarum verba facturi ſumus, ſuccedit: propterea videamus cauſam, & illorum originem.

Ariſt. 3. de part. animal. c. 5. incidens in quæſitum de ſudore ſanguineo, hæc protulit verba: Iam nonnullis accidit vt cruentum quodam

excre-

excrementum ſudarent, propter vitiatum corporis habitum, ſcilicet cum corpus laxum, fluxumq; eſſet, ſanguiſq; præ cruditate humeſceret, imbecillitate caloris, qui exiguis venulis incluſus concoquere nõ poſſet. Et 3. de hiſt. animal. c. 19. idem apertius proferens, dicebat: Si ſanguis immodicè humeſcit, morbus infeſtat: ſic enim in ſpeciẽ ſaniei diluitur, & adeo ſereſcit, vt iam nonnulli ſudore cruento exudarint. Ex quibus locis duas eſſe cauſas ſanguinei ſudoris elicimus, vna quarum eſt raritas, & laxitas cutis, & pororum apertio; altera verò tenuitas, & aquoſitas ſanguinis; hæc autem ex defectu caloris natiui generatur, ille enim deficit, vel debilis eſt, ſanguis, qui eius eſt ſedes, in tenuitatem, & ſeroſitatem tranſmutatur, atque facile è venis labitur, ſi cutis laxa, raraq; fuerit. Huius etiam opinionis videtur eſſe Auerr. in comm. At Marcellus Donatus 1. de hiſt. mirab. cap. 2. ponderans hæc Ariſt. fundamẽta, generationi eiuſmodi ſudoris tertiã attulit cauſam, Vitium ſcilicet facultatum nutritioni inſeruientiũ, eo quod generent ſanguinem aquoſum, & dũ expulctrix validiùs, quàm par ſit, expellit, & retentrix debiliter continet, caſus conſequitur. Huius ſudoris meminit Cęlius Rodiginus lib. 5. lect. antiq cap. 2. hiſce verbis: Sanguineum ſudorem efficit conſtitutionis prauitas corpore laxiore, ſanguine præterea humecto, aquoſoue ex inſiti caloris imbecillitate, cuius poteſtate decoqui debuit, ac denſari.

Galenus etiam in lib. de venæ ſectione, aduerſ. Eraſiſt. cap 7. dixit, ſudorem poſſe ſanguinẽ exhaurire, & in lib. de vtil. reſpir. ſiue is eius ſit, ſiue aſcriptus, vt fertur, ſudoris ſanguinei aliam reddit generationis cauſam. Hæc ſunt verba: Contingit autẽ poros ex multo, aut feruido ſpiritu, vſque adeò dilatari, vt etiam exeat ſanguis per eos, fiatq; ſudor ſanguineus. Vidit hunc locum Marcellus Donatus, & falſam hanc eſſe ſententiam iudicauit, eo quod in corporis motu, præſertim violento, ſpiritus per venas vehementiſſimè commoti, ſanguinem elicerent, & tamen oppoſitum (ait hic) experimur. His tamen non obſtantibus, opinionem hanc non prorſus eſſe reijciendam, validiſſimo experimento, & ratione inferius probabimus.

Alij intimius penetrantes ſanguinei ſudoris originem, inquirunt, An ſanguis per ſudores excretus verè ſit sãguis, an potius eius ichor? Teophraſtus in lib. de ſudoribus, auctoritate Monæ Medici, non ſanguinem verum; ſed ichoroſum à venarum meatibus per ſudores exire contendit, cuius ſententia cum Ariſt. fundamento videtur conſona: ille enim ſudorem cruentũ ex tenuitate, & aquoſitate ſanguinis pro-

duci

duci aſſeruit, quod idem eſt, ac dixiſſet ex illius ichore: ſiquidem expoſuit hoc lib. 2. de part. animal. cap. 4. cum dicebat, ichorem eſſe partē aqueam ſanguinis, vel nōdum coctam, vel corruptam. Hoc tenet etiā Gal. 6. de ſanit. tuen. & 8. de Hipp. & Platon. plac. cap. 7. dum cenſuit, nil aliud eſſe ichores, quàm tenuiorē, atque aquoſiorē partem vniuſcuiuſque humoris. Hoc voluit etiam Mercurialis lib. 4. var. lect. c. 12. Et nos in 1. huius operis diffusè tractauimus. Rondoletius in lib. de dignoſcendis morbis, cap. 11. ſudorem ſanguineum à ſanguinis ichore fieri demonſtrauit, dum ſcribit: Per poros cutis etiam ſudor quidam ſeroſus ſanguineus reiectus fuit, aliquando viſus à nobis in ſtudioſo quodam. Is ab omnibus corporis partibus ſanguinem ſeroſum reſudabat ob venarum raritatem, & oſculorum illarum laxitatem, & ſanguinis tenuitatem. Hoc pariter repetit cap. 18. Fernelius lib. 6. cap. 4. ſe vidiſſe, ſcripſit, ex iecoris imbecillitate, potiſſimum retentricis, à multis corporis locis ſanguinem ichoroſum fuiſſe effuſum. Quibus auctoritatibus ichores ſanguinis, & non verum ſanguinem, ſudores facere ſanguineos cogimur confiteri.

Alij verò ſanguinem verum, & non eius ichorem hunc ſudorem facere autumant, ducti multorum caſuum experimento, in quibus verus ſanguis, & non ichor excerni viſus eſt. Hæ ſunt auctoritates. Beniuenius de abditis morborum cauſis, hominem robuſtum ſe curaſſe refert, qui ſingulo quoque mēſe patiebatur penes ilia dextra, vbi ſubiacet iecoris pars ima fluxum ſanguinis, tamē foramen, aut locus, aut cicatrix vnde exiret, latēs erat. Cùm autem inſtaret tempus, vidit ſanguinē emanaſſe, ac ſi ex inciſa vena proflueret, nec prius fluor ille ceſſabat, quàm ſanguinis libra emitteretur, quo euacuato, nullus diſcernere poterat vnde euacuatio facta eſſet. Exiſtimaui (ait Beniuenius) venulā foraminibus cutis ſua ceruice inhæreſcere, indeq; ſtatuto tempore ſanguinem euacuari. Marcellus Donatus lib. cit. Lauram de Cizzolis Mantuanam, aſſeruit, ex papilla mammæ ſiniſtræ ſanguinis ſudorem multoties habuiſſe. Et nos in quadam ancilla noſtra obſeruauimus, ſudorem maximum ſanguinis è gengiuis fluentem, quotieſcunque menſtrua deficiebant. Curata eſt euocatis menſtruis.

Ioannes Schenckius tom. 1. obſer. med. 269. ſe vidiſſe refert, nobilē iuuenem, qui dum colloqueretur cum nobili fœmina, cuius nuptias ambiebat, ecce vena in temporibus propè aures illi ſpontè aperta eſt, ex qua copioſus profluxit ſanguis, quem ſtrophiolo compeſcere conatus eſt. Braſauolus 4. Aphor. com. 25. ſudorem ſanguinis ex oculis,

V &au-

& auribus obſeruauit in religioſa quadam. Salamon Albertus in oratione de ſudore cruento in quadam puella nubili menſibus cunctantibus lachrymas cruentas extillaſſe animaduertit. Ex quibus auctoritatibus arguere poſſumus, verum ſanguinem poſſe extrahi etiam in ſudore cruento: ratio eſt hæc, quia ſi natura poteſt ſanguinis reſudationẽ habere ex ilijs, mammis, oculis, auribus, gengiuis, temporibus, digitis, & pedibus, & alijs partibus, vt Schenckius tom.2.obſer.lib.4. demonſtrauit, profectò ex toto etiam ſuſcitare poterit, atque ex vero ſanguine, vt in adductis hiſtorijs adduximus.

Equidem quæſitum hoc aliqua dignũ eſt ponderatione, propterea dicimus, ſudorem cruentum dupliciter cõſiderari, vel in toto corpore, vel in determinata ipſius particula, adeò quod quidam vniuerſalis, quidam verò particularis dicitur. Si eſt vniuerſalis, arguit ſanguinem tenuem, aquoſum, corporis infirmitatem, caloriſq; natiui defectum, quo pacto, ſudor ex ichoroſo ſanguine, minimè autem puro eueniet; ratio eſt hæc, nam ſanguis purus quandam retinet ſoliditatem, vt permeare, atque exire per omnia venarum oſcula difficilè, & laborioſiſſimum videatur. Hinc Rondoletius, ſudorem ſanguineum in ſtudioſo illo ſeroſum fuiſſe, aſſeruit, atque ab omnibus corporis partibus non ob aliud exudaſſe, quàm propter ſanguinis tenuitatem, & cutem laxam, & raram. Nec ſine ratione ſanguis ſeroſus erat in iuuene hoc, literarum enim cupidi, omnes ſtomacho ſunt imbecilles, propterea ob læſa prima coctione in ventriculo, veriſimile eſt temporis tractu cæteras detrimentum pati poſſe, ex quo ſanguis tenuis, & aquoſus gigni poteſt. Hinc in ſtudioſo hoc, quia pauciores in corpore facti erant ſpiritus, natiuus calor diminutus eſt, laxatuſq, corporis vniuerſi habitus, & in ſudorem cruentum ichoroſum deuenit. Sudor itaque cruentus vniuerſalis à ſanguine procedit ichoroſo tenui, & aquoſo, qui, vt diximus, vel per cruditatem, vel per corruptionem oritur.

Particularis autem ex vtroque ſanguine oriri poteſt, ex ichoroſo nimirum, & puro; ex ichoroſo etenim, quia aliqua ſanguinariæ maſſæ portio, poteſt adeò deprauari, & ſereſcere, vt ex venarum oſculis ad cutim attinentibus, facilis fit datus aditus ad cruentam excretionem, vt in vlceribus experimento nõ ſemel obſeruamus. Ex ſanguine puro fieri ſudorem, ex narratis hiſtorijs apertiſſimè depromitur. Hoc autẽ intereſt inter ſudores hos: ſiquidẽ in excretione ichoroſa præceſſiſſe cruditatem, vel corruptionem in ſanguine opus eſt, & proinde vires corporis imbecillas eſſe factas, & reſolutum corporis habitum fuiſſe:

in

in ſudore à puro ſanguine nequaquam, ſed potius vires eſſe validas, & corpus robuſtum, atque ſpiritibus plenum: ſiquidem natura in plectorijs, ſi à ſanguinis copia, vel eius acrimonia moleſtatur ad corporis exonerationem, ſolet aliquam ſanguinis parare euacuationem. Clarũ eſt in fœminis non mẽſtruantibus (vt vidimus) quę occluſis vteri vijs, in ſudorem ſanguineum inciderunt ex oculis, gengiuis, mammis, & alijs corporis partibus: hoc etiam legimus in nonnullis, quibus cõſueta euacuatio ſanguinis hemorrhoidalis ſuppreſſa erat eueniſſe; natura enim ſolertiſſima per inconſuetas partes, & occultas ſolet tali excretioni viam parare, vt à futuris nocumentis corpora præſeruet. Hoc parabat in homine illo robuſto, qui trigeſimum ſextum annum agẽs, ſingulo quoque menſe ab hepate ſudorem ſanguinis copioſum, vt Beniuenius, à venulis circa cutim emanantem patiebatur. Hic curatus eſt ſola ſanguinis miſſione, quia ex copia procedebat. Ex feruido ſpiritu poſſunt etiam ſudores ſanguinei particulares ſuſcitari, vt illi nobili iuueni ſucceſſit, de quo Schenckius loquutus eſt: ſiquidem euẽtus in natura mirabiles ſunt, non ergo locus ille, de vtilitate reſpir. apud Gal. totus falſus eſt, vt Marcellus Donatus credebat: immo non falſa ratione credendum, in venarum à ſanguine oppletione, & redundantia illius, per corpus vniuerſum à feruido ſpiritu vehementiſſimo motu oſculis venarum apertis, ſudorem ſanguineum poſſe moueri: ſicuti enim in iuuene hoc accidit in parte, potuiſſet etiam per totum corpus, vel per plurimas illius particulas cruentum ſudorem habere ex maiori venarum turgentia, ex calidiori ſanguine, & ex feruido ſpiritu: tanto magis, quia apud Albertum inuenitur, ex ſanguinis abundantia, ſudorem ſanguineum erumpi poſſe; non ergo opinio hæc aſpernenda videtur.

De ſudore Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

SEd ex diſputationis inſtituto, in altiſſimum incidimus quæſitum, de ſudore nimirum ſanguineo ſacratiſſimi corporis Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri in horto. Profectò à Luca ſic fuit adnotatus. Erat ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram: propterea videamus, quomodo cauſari potuit, naturali via, an miraculosè? Nicolaus de Lyra ſuper Lucam, dum hæc exponeret verba, ſic dixit. Ex vehementi enim anſietate ſenſualitatis, qua permittebatur agere, & pati, quod erat ſibi proprium, ſiebat vt non ſolũ humores exirent per

ſudorem,ſed cum hoc aliquid de ſanguine ſudorem tingente. Secundum verò alios, ſupernaturaliter factũ eſt, vt ſanguis pro ſudore exiret, vt ſic Chriſtus iam ſuum ſanguinem pro ſalute noſtra effundere inciperet. Ex Beda hęc habentur, vt Diuus Thomas in Catena aurea, ſuper Lucam. Nemo ſudorem hunc infirmitati deputet, quia contra naturam eſt ſudare ſanguinem; ſed potius intelligat per hoc nobis declaratum, quod effectum ſuæ precis obtineret, vt ſcilicet fidem diſcipulorũ, quã terrena adhuc fragilitas arguebat, ſuo ſanguine purgaret.

Didacus de la Vega ſuper Fer.3. Hebdomadę ſanctę, ita ponderat hanc partem Paſſionis Domini noſtri. Tunc benigniſſimus Ieſus ex vna parte voluntatem Patris, & fructum ſuę paſſionis conſiderans: ex alia verò acerbiſſimos, quos paſſurus erat dolores proſpiciens, talis, ac tãta inter appetitum ſenſitiuum, & rationalem lucta facta eſt, quod timore mortis omnia membra eius ſunt perterrita, & pori diſſoluti, & cœpit agonizare, & per totum eius corpus ſanguineum ſudorem emittere. Et Fer.6. ponderando ſimilia, dixit, quòd præ nimio dolore, totus ſanguis ad cor eſt retractus, & corpus quaſi exanime relictum, deinde tanto impetu à corde exijt, & ad debilia membra remeauit, quod per omnes corporis poros, non ſine magno naturę miraculo, & ſtupore, ſudor ſanguineus exijt. Diuus Hilarius adnotatum reliquit: Sudorem Redemptoris noſtri non tam ex infirmitate, quàm ex poteſtate, & fortitudine proceſſiſſe, & ex diuina virtute ſupra ordinẽ naturæ miraculum illud operante: ſic enim ait: Sudorem enim nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam eſt ſudare ſanguinem, nec infirmitas eſt, quod poteſtas, non ſecundum naturæ conſuetudinem geſſit: quapropter crediderim, ſanguinem hunc, non timorẽ mortis extraxiſſe; quia timor potius venas, & poros comprimit, quã aperiat, neque ſanguinem foras extrahit, ſed intus ad cor attrahit. Timuit quidem mortem, quia ipſe timere voluit, & timẽdo, aſpera accidẽtia experiri, quæ ſecum adducit timor; tamen ſanguineus ille ſudor non timoris manu, ſed potius virtutis, quæ illi contradixit, fuit abſtractus. Hi Sancti, & ſapientiſſimi viri videntur aſſerere, ſanguineum ſudorem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti fuiſſe miraculoſum: veniamus ad illos, qui fuiſſe naturalem diſputant.

Inter multos, opinio Fr. Bartholomæi à Medina ſuper 3. par. Diui Thomæ art.6. quæſt.46. videtur mihi magis negotium hoc fuiſſe aſſecuta. Afferam eius quæſtionem. Sed iam examinemus quæſtionem de ſudore Chriſti ſanguineo, qui fuit primus, & maximus cruciatus,

quo

quo interius anima Chriſti ſanctiſſima præmebatur. Quæritur ergo an fuerit naturalis, an miraculoſus? & quæ fuerint eius cauſæ? Certè naturaliter poſſe accidere ſudorem ſanguineum, teſtatur Ariſt. 7. de hiſt. animal. 16. & 3. de part. anim. ita etiam Medici atteſtãtur omnes, & varias cauſas huius ſudoris aſſignãt. Albertus Magnus inquit poſſe prouenire ex ſanguinis abundantia, vel eius aquoſitate. Galen. in lib. de vtil. reſpir. ſcribit, quòd quando pori ſunt nimis dilatati, ſudant ſanguinẽ. Ariſt. indigeſti ſanguinis, & minus bonæ complexionis ſecundum naturam accidens eſſe exiſtimat. Nos verò de ſanguineo ſudore Chriſti homini, dicamus prius, quod fuit naturalis, non miraculoſus, quod demonſtrabo tribus argumentis. Tum quoniam ſudor hic ſanguinis fuit, ſecundùm opinionem Patrum, ad oſtendendam veritatem humanæ naturæ, & ſi eſſet miraculoſus, huius rei demonſtrationem non faceret. Tum verò nã cum in ſecreto ſudauerit ſanguinem, quorſum opus erat miraculo? Tum tertiò, quoniam ſudor iſte ſanguineus non potuit prouenire ex ſanguine indigeſto, & impuro, vt planè conſtat, nec verò ex abundantia ſanguinis (erat enim abſtinentiſſimus Ieſus, ergo optimæ complexionis) ſanguineum ſudorẽ emiſit; ſicut natura in parte generatiua, deficiente ſemine, miniſtrat ſanguinẽ, ſimili nãq; modo, deficiente aquoſitate ſanguinis, quæ eſt materia ſudoris, Chriſtus ſanguinem ſudauit, erat enim corpus Ieſu exhauſtum, & magnitudo paſſionis pellens violentè ſudorem, pepulit ſimul aliquid ſanguinis, deficiente ſudoris materia. Hæc fuit vera cauſa, & naturalis quidem ſudoris ſanguinei, & ipſe quidem Chriſtus cùm eſſet totus viuidus, ac ætate iuuenis, omnium, quos vnquam terrarũ orbis habuit, multo pulcherrimus, atque amabiliſſimus, tãtam hic luctam ſuſtinuit, tantaq; vi ipſam naturam ſenſitiuam in horribiles cruciatus cõſentire coegit, vt pro nimio labore cruentus ſudor ex omnibus illius mẽbris erumperet. Etenim ob orationis feruorem, & metum, ac horrorem mortis, ſanguis eius ad cor confluxerat. Tum verò amor validus, & ardens deſiderium paternam exequendi voluntatem, noſq; redimẽdi ceu malleus quidam, aut vis ingens accedens, vicit timorem illum, & ſenſualitatem, ſanguinemq; fortiter expulit, ita vt in hac præclara victoria, ex ſubita violentia ſanguis è poris omnibus nimio labore patefactis abundè cum alio ſudore erumpens, deflueret in terram. Ex his ergo documentis facilè diſcet Theologus, ſudorem Chriſti ſanguineum fuiſſe naturalem, non miraculoſum, mirabilem tamen, & inauditum; diſcetq; cauſas huius rei demõſtrare idoneas, quas ſupra breui

ſer-

ſermone inſinuauímus. Hæc Medina, quibus, quæſtionem abſoluimus, cum ex narratis quæſitum noſtrum ſolutum eſſe video.

Veniamus ad id, vnde diſceſſimus, & videamus, an ex artificio poſſit cauſari in corpore ſudor cruentus? Profectò ea, quæ viuentibus nocua ſunt, haud eſſe manifeſtanda ſemper iudicaui, ne forſitan humana fragilitas ad malum prona ad viuẽtium excidium ſiniſtro artificio vtatur. Verum, quod ad locum hunc attinet, dicimus reperiri talia medicamenta, ſiue venena, quæ eliciant ſanguinem, cõtra multos oppoſitum tenentes: ſunt tamen occultanda, plus etenim nocumenti, quàm vtilitatis erit in publicum hæc afferre. Quod autem ſit verum, legite Petrum de Oſma, qui anno 1568. ſcripſit Doctori Monardes ex Peru, ſe in loco Paſto dicto, quendam Indum vidiſſe: Indos, & Hiſpanos quouis morbo laborantes, ex ſucco cuiuſdam herbæ curantem, quo iuncturas, & partes dolentes liniebat, panniſq; cooperiebat, quo facto, per eaſdẽ partes ſanguis purus exudabat, & repetebat hoc quoties opus erat, & multos à maximis liberabat morbis, qui videbantur hoc medicamento quaſi repubeſcere. De conſimili negotio legitur apud Gal. in lib. de purg. med. cap. 4. inuenerat enim quidam fortè fortuna herbam, quæ ſanguinem purgabat, eo quod ſi quis aſſumebat ſanguinem primò, tum vitam emittebat. Multis itaque hoc pacto morientibus, cum facinus hoc diligenti inquiſitione dignum arbitrarentur, herbarium comprehendunt, & ad gentis magiſtratum ducũt. Is cum non ſolum hominem necare ſtuderet, ſed ſi quis alius herbam, aut didiciſſet, aut docuiſſet à nullo ſe quidem ipſam didiciſſe veneficus aſſeruit: Verùm in ſuburbanum, cum aliquando ſuillum iecur deferret, vrgente ventre, ſuper herba quadam iecur depoſuiſſe, quod aliquãto poſt, cum ſuſtuliſſet, vidiſſe ex vniuerſo iecinore ſanguineos riuulos ad herbam confluere. Ex hoc coniectura facta corpori ſanguinem ea detrahi poſſe, periculo mox in obuio quodam facto, vt verum comperit, quod fore ſperarat, ad malos vſus herbam deinceps tranſtuliſſe: ſe tamen alicui alij, eam mõſtraſſe negauit. Hæc Gal. Hæc, iudicio meo, eadem herba eſt cum priori, nam intus data ſanguinem euacuat, foris autem linita cruentum ſudorem excitat, vt Indus cum correctione aliqua faciebat. Quare ex artificio ſudor parari poteſt cruentus. Sed de his ſatis, nam reticere talia melius eſt.

Vt finem huic capiti imponamus, de Papulis rubeis cũ ſudoribus, ne quid in hoc opere Lectoribus deficiat, nonnulla verba faciemus: idcirco ſciendum volumus in febribus, & potiſſimum malignis, cum

ſudo-

ſudoribus exire quaſdam maculas rubentes ſolere,quas multi purpuras,& rubores appellāt. Hæ magnam,cum exanthematis ſimilitudinē habent,& in febribus malignitatem præſeferunt,quia earum materia venenoſa aliquando eſt, cum autem poſt ſigna coctionis per totū corpus apparent,plerunque morbi ſolutionē promittunt. Sed videamus quid intellexerit Hipp. per rubra exanthemata in Epidem. in hiſtoria Sileni. Hæc ſunt eius verba. Octaua ſudauit per totū frigidum: exanthemata cum ſudore rubra,rotunda,parua,veluti vari permanebant, non abſcedebant. Profectò Manardus,& Valleſius per hęc intelligūt variolas noſtri temporis:Mercurialis verò doctiſſimus in Prælect.Piſanis,non has,ſed effloreſcentias,ſiue rubras eruptiones,quales apparent hodie in febribus malignis. Procedebant hæ à ſobole humoris craſſioris, & viſcidioris, & rubræ fiebant propter ſanguinei ichoris miſcelam,qui à partibus externis ad internas ducebatur. Hæc exanthemata parum differunt à prioribus narratis,de quibus vide Petrum Foreſtum lib.7.obſeru.ſchol.59.& 60.

Dicuntur etiam Papulæ rubentes exanthemata illa,quę à Virgilio feruidæ dicuntur,& à Plinio Papulæ ſudorum,hæ referuntur ad Hydroa,vt in 3.lib. loquemur, eueniunt propter multos ſudores, qui vel bilioſiores,vel omnino mordaciores exiſtunt.Papulę etiam rubentes vocantur illæ maculæ,quæ in febribus ſunt,ſicut morſus pulicum cutim occupantes,ex quibus nos timemus malitiam febrium.Vocamus nos etiam Papulas rubeas,morbum illum,quem vulgo dicunt Lordicaine.In his corpus rubet,& ſparſim apparent tubercula prurigìnoſa, eueniunt ab acribus humorum, & ſalſis ichoribus ſub cute detentis, ijs enim ruptis,ſolet ichor quidam aqueus exire, & prurigo ceſſare. Sed de his alibi.

Sunt omnes ſudores ſanguinei toto genere pręter naturam; patet hoc ex aſſignatis cauſis, proueniunt enim vel per cruditatem, vel per ſanguinis corruptionem;patet etiā ex Gal.in lib.de cau & diff.ſympt. vbi quemlibet fluxum ſanguineum,excepto menſtruorum & hęmorrhoidum in aliquibus,præter naturam eſſe demonſtratur.Quod ſi fierent ex ſanguinis abundantia, vt Albertus, vel ad aliquod corporis exoneramentum, quandiu fuerint à natura regulati (licèt hoc rariſſimum eueniat) inter euacuationes naturales eſſe reponendos iudicarem: ſecus in reliquis,ſi præter naturæ inſtitutum excernuntur.

Sudores

Sudores ex nigro humore prædominante colorati.

HVmor melancholicus vel eſt naturalis, vel præter naturam. Naturalis eſt fęx ſanguinis,ſeu illius pars craſſior; deſeruit hæc in maſſa ſanguinis,pro corpore alēdo,dat enim ſanguini ſoliditatem; ſolet autem ſæpiſſimè humor hic pro atra bile vſurpari à multis, ſed impropriè, cum atra, præter naturalem humorem propriè deſignet. Color eius niger eſt,ſicut & eius,quæ contra naturā eſt. Dum à limite excedit naturæ, multas habet ſpecies, namque & alij humores etiam cum vruntur,ſub hoc vocabulo continentur. Prima fit ex feruore ſanguinis, de qua dicebat Gal. 2.de diff.feb. Si ſanguis nimium aduritur, pars ſubtilior reuertitur in bilem,craſſa verò in atram bilem. Secunda ex incendio,& putredine atri humoris. Tertia ex aduſtione,& putredine flauæ bilis. Aliqui dant quartam differentiā,quæ à pituitæ incineratione proueniat, vt Andernacus comm. 1. de noua, & vet.med. diag.6. Omnes iſtæ differentiæ præter naturam ſunt calidæ,& ſiccæ, coloreq; nigræ ex acquiſita incineratione,naturalis verò nigra,ſed frigida,& ſicca. Naturalis ſudores non facit,dū ſub naturæ imperio conſtituitur: præternaturalis verò ſic,dū in morbis excernitur: ſiquidem ſic Auic. intelligitur iu Cantica, quando dicebat, ſudorem nigrū melancholiam ſignificare. Multi contendunt,ſudorem hunc non dari,vt Marcellus Donatus lib. 1.de hiſt.mirab.cap.2. ob id forte, quod atrabiliarius humor ſua craſſitie, ſiccitateq; terreſtri minimè poſſit attenuari, ita vt per ſudoris vias excerni queat: tamen, vt nos in cap.de craſſo ſud. probauimus,ſudor hic dari poteſt,nō ex abſoluto humore, ſed cū miſcela ſeroſæ humiditatis, vel alterius liquidi humoris, à quo poſſit ad exitum parari. Id voluit,vt credo,intelligere Gal.in 3.de criſibus,dum de craſſis, & tenacibus humoribus mentionem fecit.

Ex differentijs atræ bilis,& ex miſcelis cum alijs humoribus,multę in ſudoribus colorum naſcuntur ſpecies. Viridis enim ſudor ob bilis porraceæ,vel atræ, miſcelam comparatur. Color glaucus,cæruleus, ſeu fuſcus,cineritius,liuidus, plumbeus, fiunt ex miſcela atri humoris cum pituita. Color in ſudoribus violaris,purpureus,agathinus,& ſimiles,ſuccedunt quando vtraque bilis cum pituita miſcetur. Hinc Auic. in par. 1.cant.tract.2. dicebat: Si appareat ſudor valde albus in morbis,ſignificat ſuper humorem phlegmaticum: ſi verò ſit citrinus,ſuper coleram citrinam,& ſi niger ſuper melancholiam: ſi autem ſit rubeus,

erit

erit morbus ex ſanguine. Nec curauit Auic. ad alias ſudorum venire differentias: nam Medici ſapientis eſt ſcrutari humorum miſcelas, & colorum ſpecies, cognitis verò primis generalibus. Eadem ratio erit in humorum ichoribus; ſequuntur enim hi, illius humoris colorem, à quo generantur. Conſimili induſtria in ſeroſo excremento procedendum eſt, qualiſcunque enim fuerit in corpore redundans ſuccus (vt inquit Gal.4.de ſanit.tuen.) tale neceſſe eſt, vt apppareat ſerum, nam ſudor ſuccorum, qui in vniuerſo abundant corpore nota eſt: dicebat tamen Gal.lib.10.de ſimpl.med.facul.hæc. Vt plurimum ſudor coloris pallidi eſt, quia ferè ſemper ſero aliquid bilis commiſcetur, loquebatur ibi Gal. de ſudore in ſanis potiſſimũ, in quibus talis coloris eſt, vt plurimum ſudor, fallit hoc tamen in ægris, cum ab humorum peccantium coloribus, varios recipiant colores ſudores ipſi.

Sed veniamus ad modum, quo colores in ſudoribus cognoſcantur. Gal.10.ſimpl.med.facult. veteres Medicos conſueuiſſe, ſcribit, in palęſtris à corporibus exercentiũ ſudores colligere, quos ad varios morborum vſus conſeruabant. Vtebantur ſtrigilibus, & linteaminibus ad illos excipiendos, quibus ſudorum colores apprimè contemplabãtur. Hinc Gal.4.de ſanit.tuen.cap.4. loquens de colorum cognitione in ſudoribus dicebat: Licèt autem hoc ſtrigili deprehendere cùm lauãtur, ſiquidem cum in balneis lauabantur, ſtrigilibus à corporibus corradebatur ſudor, & in vſum à Medicis, vt erat ſolitum, adhibetur. De hoc agemus diffuſiùs in lib.4. huius operis. Nunc verò temporis, quando apud Medicos ſudorum vſus in medendo non appetitur: in linteolis, induſijs, veſtibus, & operimentis, eorũ contemplamur colores: ſi poſt illorum eruptionem ad infirmos accedimus, quippe ab aſpectu, & tinctura in humorum in corpore peccantium, cognitionem deuenimus, hoc enim Auic. volebat inferre lib.3.fer.15.tract.1. loquens de ſudore in hicterico, dum dicebat, induſiam colorari humore peccante. Quibus cognitis vtique in præſagijs ingenioſus Medicus non aberrabit, neq; in morborum cura: nam ex bonitate, vel malitia humorum, morborum euentum, & naturam prædicet.

De ſudoribus à guſtu perceptis. Cap. XII.

SVdores à guſtu, in præſentiarum ſunt explicandi. Hi à ſaporibus deſumuntur, è quorum medio in humorũ peccantium cognitionẽ deuenimus: ſiquidẽ Gal. in lib.de ſympt. differ.c.5. ſudorem, ait, defluentẽ aliquando in os infirmi,

præbere eius naturæ ſaporem. & 4. de ſanit. tuen. c. 4. dicebat: Aliquãdo verò ipſum, qui afficitur, guſtare ſudorem ſuum, quo certiùs internoſcatur, iubemus. Et ſuperiùs. Hic nãq; partim acidus, partim ſalſus eſt, partim verò veluti lutum, aut virus planè olet, ſæpè amarus apparet, qualis vtique morbo regio laborantibus emittitur. Eius autem dignotio etiam citra guſtũ facilis eſt ex ſolo colore. Verùm ſicuti color viſus erat paſſio, ita in præſenti (nam agimus de guſtu) ſaporẽ eſſe linguæ paſſionem, & affectũ aſſerimus: ipſa enim omnium naturas (Galeni teſtimonio 4. de ſimpl. med. facul. cap. 1.) guſtabilium dignoſcere poteſt: hinc cap. 4. lib. cit. dicebat. Saporũ naturas à guſtu acquiri aſſiduo, plurimumq; dentibus mãdendo; nam ſi quis cupit acrimoniam, guſtet allia, & cæpas: ſi adſtrictionem eam inuenit, & in rho, & galla: ſi amaritatem, in nitro, in felle, & aloe: ſi dulcedinẽ, in melle: ſin verò inſipiditatem, in aqua: & non immeritò, nam lingua cunctos noſcit ſapores, ſiquidem ipſa medium guſtus eſt, atque à natura fuit fabricata ſaporis inſipidi, ne ad noſcendam ſaporum diuerſitatem impediretur. Inde dicebat Ariſt. 2. de anima, tex. 104. Ægrotantibus amara omnia videri, nam lingua fumo inficitur colerico, cuius materia erat in ſtomacho, quod non eueniret, niſi ægrotaret: lingua enim dum in ſalute corpus reperitur, omni ſapore eſt deſtituta, vt perinde omnes pernoſcat; cùm autem illud aliquo afficitur affectu, vtique peccantiũ humorũ recipit ſapores: vnde Gal. in lib. de officina Medici, com. 3. dicebat. Si guſtanti amari videntur, redundat in lingua bilis: ſi ſalſa, pituita ſalſa: ſi acida, acida ſimiliter pituita plurima eſt. Sicque hominem dicunt, qualitatem ſui ſudoris interdum in os diſtillantis percipere.

Gal. 4. de ſanit. tuen. c. 4. differens de colore, & ſapore in ſudoribus, dicebat. Aliquãdo verò ipſum, qui afficitur, guſtare ſudorem ſuũ, quo certius internoſcatur, iubemus, id quod aliquando ſua ſpontè accidere ſolet, dum ex fronte, & eius partibus in os ſæpè delabitur. Idem legitur, vt diximus in lib. de differ. ſympt. Ex quibus patientis relatu in peccantium humorem cognitionem nos poſſe deuenire colligimus. Si enim ſudor fuerit dulcis, pituitam dulcem, vel ſanguinem peccare pronunciabimus: ſi amarus, aliquam bilis ſpeciem: ſi ponticus, melancholiam, vel vitream pituitam, ſi quoquo pacto fuerit in venis. & ſic in alijs ſaporibus. Vt autem in his ritè procedamus, ſaporum ordines numerare neceſſe puto, atq; eos in humoribus noſtri corporis adaptare. Hi colliguntur ex Gal. in lib. de ſimpl. medic. facult. à Serapione in ſermone de ſimplic. & ab Auerr. 5. collig. c. 27. Acutus ſapor, amarus,

ſalſus, dulcis, vnctuoſus, acetoſus, inſipidus, & ponticus: ſiquidem alij numerantur, ad iſtos autem reducuntur. Datur enim ſapor nitroſus, qui ad ſalſum reducitur, acidus ad acetoſum, pinguis ad vnctuoſum, aſtringens, ſeu acerbus ad ponticum, acris ad acutum. De his Medici, & Philoſophi diuerſimodè loquuntur, primi enim ſaporum principia in calido, & frigido cōſtituūt: ſecundi verò in ſicco, & humido: nihilominus licèt Gal. & Ariſt. diſſentiant in principijs cōſtituendis, in hoc tamen conueniunt, quod ambo extremos ſapores, eſſe dulcē, & amarum decernunt. Sed audiamus hos diſputantes.

Ariſtoteles ſummus Philoſophus in lib. de ſenſ. & ſenſ. ſaporū principia intendens conſtituere, idcirco poſuit ſiccum, & humidum, quia operationem in guſtu ſaporum conſiderabat. Galenus verò ſaporem, quatenus ſit guſtabilis opinatus eſt, & perinde quid operabatur per tangibiles qualitates, ex quo calidum, & frigidū conſtituit. His conſiderationibus differentia prodit inter Medicos, & Philoſophos: nam hi ſaporem conſiderant, vt ipſius naturam intelligant: Medici verò in ordine ad actiones, quas in corpore humano exequi poſſunt, non quidem vt guſtabiles, ſed vt tangibiles qualitates, idcirco calidū, & frigidum conſiderant. Conſentiunt verò in amaro, & dulci ſapore, conſtituentes eſſe contrarios, & extremos: nam ambo alterationem, & modum, quem inferunt in guſtu opinantur: ſiquidem id dulce eſt, quod ſummè delectat, amarum, quod contriſtat. Hinc Medici actiuas qualitates, quę magis corpora queunt alterare opinantes, frigidū, & calidum eſſe principia ſtatuere: Philoſophi verò paſſiuas, quæ ſaporibus gignendis ſunt magis aptæ; ex quibus inter hos ſelectos viros nulla videtur eſſe contrarietas, cum vna, & res eadem diuerſimodè conſiderari queat.

Sed tempus eſt, ſapores cum humoribus iungere, vt ſudorū cognitionem ijs mediantibus adipiſcamur. Equidē in re hac non erit inutile memorię tenere, ſaporum alios naturam calidam, alios frigidam, alios humidam, vel ſiccam denotare, vel quodammodo temperatam, & in actiuis, vel in paſſiuis qualitatibus acquirere. Hoc ſit exemplū. Sapor acutus, amarus, & ſalſus, naturas calidas, & ſiccas, ſecūdum magis, & minus denotant, proinde ſenſibilitatis eorum ratione humoribus calidis, & ſiccis adaptantur. Hæ ſunt Bilis, & Pituitæ ſalſę differentiæ. Sapor dulcis, & pinguis in calido, & humido naturam temperatam arguunt: hinc ſanguini, pituitæ dulci, adipi, & pinguedini comparantur, ſiquidem partes hæ dum in limite naturæ exiſtunt, temperatæ ſunt:

ſecus verò ſi recedunt. Inſipidus naturam frigidam,& humidã,proinde inſipidæ pituitę aſſimilatur. Ponticus,Stipticus,Acidus,Acerbus, Acetoſus,naturas habẽt frigidas,& ſiccas,& melancholiæ, & pituitæ differentijs ſubiacet. De his nolui longiùs differere, ſed prout exigebat tantum præſentis loci adnotatio, quippe noſtra fuit intentio ad cognitionem ſudorum ex parte ſaporum ſtudioſi mentem pręparare: propterea veniamus ad ſcopum.

Sapores, qui in ſudoribus obſeruantur, vel ſeroſam materiam, vel humorum excretiones,vel nutrimentales humiditates deſignãt: propterea duplex conſideratur ſudor, alter in ſanis, alter verò in ægris. In ſanis ſudor vel à ſobole alimenti, vel à potu largiori, vel à ſero copioſo,alimenti vehiculo contingit: In ægris verò ſudor effluens vitioſorum humorum, vel proprij humidi partium propagatio eſt, quo fit, vt in ægris tria ſudorum genera liceat agnoſcere, vnum à vitioſis humoribus in venis, aut viſceribus, aut habitu corporis collectis prodiens; alterum ex colliquatione proprij alimenti partium; tertium ab expreſſione humidi natiui facta à dolore,aut agitatione ſpirituum: de quibus aliàs differuimus in 1.lib. huius operis.

In cap.de ſudoribus viſibilibus, de numero, & differentijs humorũ actum eſt,idcirco illud iterũ recenſere non opus eſt, ſed pro ut exigit locus ad illorum ſapores tantum deuenire.Incipiamus ab ipſa pituita è qua, & à ſuis differentijs, hi capiuntur ſapores: Inſipidus, Dulcis, Acidus,& Salſus,qui in ſudoribus percipiuntur,cum humor huiuſmodi,vel aliqua eius ſpecies excernitur. Equidẽ apud Scriptores noſtros plures pituitæ connumerantur differentiæ, quippe præter allatas & Vitrea,& Gipſea reperitur:tamen plures ſapores haud repræſentant: nam Vitrea ſub acido comprehenditur, & Gipſea tophis, & calculis veriùs,quã humoribus ineſſe conſueuit,ob id in ſudores non vertitur. Hæ pituitæ ſpecies cũ alijs ſi miſcentur humoribus, vtiq; varios congenerãt ſapores: ſi enim cũ bile iunguntur,veniunt ſapores ſubamari, ſubacidi, mordaces, & acuti: ſi cum melancholia, pontici, acerrimi, acerbi,auſteri,vt Auic.lib.1.fen.1.doct.4.cap.1.ſi cum ſanguine, dulciores,ſubacidi, ſubſalſi. Tu verò,Lector,ſi primarum ſpecierum ſcieris ſapores,proculdubio in miſcelis compoſitos habebis.

A bile capitur ſapor amarus, acris,acerrimus,& mordax,ſecũdum ſuas ſpecies,quippe naturalis amara eſt, fit autem mordax ſi miſcetur cum ſalſa pituita: pallida bilis,acris eſt,glaſtea verò acerrima:proinde faciunt ſudores amaros,acres,acerrimos,& mordaces in ſapore. Vnũ

autem

autem adnotandum volumus per acrem ſaporem in melancholię ſpeciebus per acerbum poſſe capi; in bilis verò differentijs per acutum; dicimus hoc, vt nonnullorum opinionem euertamus, qui in bile, ſolũ amarum eſſe ſaporem contendunt, minimè verò acutum; quorũ ratio vera eſt in naturali bile; ſed in ea, quæ contra eſt naturam falluntur; datur enim acutus, & acris ſapor, nam à feruenti, & acri calore ſuſcitatur. Hoc docemur ab Hipp. in lib. de veteri Medicina, vbi hęc affert. Et quos quidẽ acuta, acriſque, ac æruginoſa bilis affligit, quales mox rabies, & morbus viſcerum, ac pectoris deſperatio. In lib. de Dynamidijs vocantur humores acres. Ex his differentijs adaptandi ſunt ſapores: ſiquidem in miſcelis diuerſi fiunt, cum pituita enim præter ſalſam ſi miſcentur, temperantur bilis ſapores, cum ſalſa verò acuuntur, cum nigra melancholia, ſeu atra itidem: tu verò ſi exactius humorũ miſcelas, & ſapores exoptas, adeas Sanctorum Sanctorium lib. 7. Method. vitan. error.

Ab humore nigro capitur ſapor acidus, acerbus, ponticus, & auſterus: melãcholia enim naturalis acerba, & acida eſt, vt vomentibus non rarò noteſcit: præter naturam verò, quia fit à multis humoribus, ſolet quodammodo in ſaporibus variari. Exempli gratia, humor melancholicus naturalis ſi aduritur, & putreſcit, ex eo fit bilis atra exquiſitè, quę acida eſt: ſi aduritur bilis flaua, ex ea fit atra, quæ amara erit, & peſſima; nam hæc terram radit, & in altum attollitur, & feruet: ſi aduritur ſanguis, fit atra bilis, ſed ſapor erit minus amarus, nam orietur à benigniori ſucco: ſi aduritur pituita, vt multi tenent, ſapor alterabitur ad maiorem ſenſibilitatem, quàm in primis ſpeciebus. Hæ differentiæ, ſi cum alijs cõmiſcentur humoribus, miſtos excitabunt ſapores: ſi enim cum ſanguine à proprijs ſaporibus miteſcũt; ſi cum pituita acida, atra bilis fit acidior, ſi cum ſalſa acrior, ſi cum flaua acida cum amarore, ſi cum aduſta acida cum amarore, & acredine, cum pituita dulci, vel inſipida miteſcit ſapor acidus: ſi tamen plura cupis de humore hoc, lege Gal. 14. Method. med. 9. in lib. de atra bile 3. lib. 5. de ſimpl. med. facul. 21. & 22. ex quibus ſapores in ſudoribus noſcendos habebis.

Ex ſudoribus, nullus cognitu facilior eſt illo, qui à ſanguine procedit: hic enim ſuo colore, tanquam inuſitato, & admirabili exquiſitam aſtantibus affert cognitionem, etiam quod eius ſapor ab infirmo non ſentiatur; ideo paucis indigemus pro illius inquiſitione, vt enim notiſſimum eſt, ſanguis dulcis eſſe debet, & dulcis, & blãdus in ſapore ſentitur ſudor eius. Cùm autẽ ex eius ichore procedit, ſi fuerit inſipidus,

maximè

maximè fuerit crudus, vel dominium phlegmatis indicabit: ſi amarus, choleræ: ſi ponticus, vel acetoſus, melancholiæ, aut pituitæ acidæ: ſi ſalſus, ſalſæ pituitæ, vel aduſtionis humorũ. At ſi non ſereſcit, vt opus erat, pro ſudore hoc faciendo, ſed aduritur, vtique à propria degenerat natura, & in alios migrat humores; nam pars ſubtilior reuertitur in bilem, craſſa verò in atram bilem: ex quibus ſi ſudores fient, amari apparebunt.

Reſtat deuenire ad ſaporem oleoſum, pinguem, & vnctuoſum, qui ſapor proprius eſt adipis, pinguedinis, & humanorum viſcerũ, dicitur talis potius ſubſtantiæ, quàm ſaporis ratione, eo quod ſua craſſitie, & oleoſitate oleo, & rebus pinguibus aſſimilatur. Ab his ſudor oleoſus, qui in colliquatiuis videtur febribus, originem habet. Contingit in viuentibus corporibus adipes, pinguedines, & carnes ab igneo febricitantium calore, adeò colliquari, vt carnibus animalium, quando flãma, & feruido igne in craticula, vel venę colliqueſcunt, aſſimilari poſſint: tanta enim eſt illius caloris potentia, dum humidum ſolidarũ partium depaſcitur. Intelligimus hic ſolidas partes, non eas tantum, quæ à ſolo ſemine facta ſunt, ſed etiam quę à ſanguine generãtur, vt adeps, pinguedo, & caro, de quibus vide Gal. 10. Method. med. Licèt autem de ſudore tãtum inſtituatur oratio, minimè verò de huiuſmodi febribus, in gratiam tamen Lectorum, & ad maiorem ſudoris cognitionẽ, aliqua de ijs verba faciemus. Profectò ex colliquatiuis febribus, quaſdam ſenſibilem, quaſdam verò inſenſibilem habere colliquationem alias demonſtrauimus. Senſibilis contingit in quibuſdam peſtilẽtibus, & nonnullis hecticis, nõ ſunt enim omnes febres peſtilentes colliquatiuæ, quia ſumma putredo colliquationem aliquãdo impedit, propter naturæ impetum ad varias corporis partes. Inſuper partium ſolidarũ colliquatio, non à quolibet præter naturali calore efficitur, ſed ab eo potiſſimũ, qui magis ignea qualitate, quàm putredine operatur. Hinc tres in vniuerſum febres colliquatiuæ ab auctoribus adnotantur. Ardentes, quæ inſenſibilem habent colliquationem: ſiquidem tunc inſenſibilis ſuccedit, cum corpus abundat tenuibus humoribus, à quibus ſolidæ partes enutritæ facilè patiuntur diſſolutionem ad inſtar halitus, vt 1. Progn. Hipp. loquutus eſt. Aliæ ſunt ardentes verè colliquatiuę, nã in ijs adipis, pinguedinis, & carniũ ſenſibilis fit colliquatio. Euenit hoc ſi carnes humidæ, ac molles cum adipis copia fuerint, nam ſi ſine adipe, & ſiccæ ſint, in maraſmodes febres trãſeunt; nec aliqua ſenſibilis videtur colliquatio: quicquid enim liquatur, in halitum digeritur:

ſecus

ſecus autē fit in corporibus molli carne, & humida præditis, & in quibus adipis, & pinguedinis fuerit copia, ſiquidem hæc ſi à tali tentātur febre, viſibilis ſuccedit colliquatio, eaque, teſtimonio Gal. 3.de cauſ. ſympt. vel per ventrem, vel per vrinam, vel per ſudores excernitur, prout fuerit materia colliquata: ſi enim ſucci, qui in venis habentur, in ſeroſam ſoluentur ſaniem, in renes potiſſimū confluent: quod ſi renes trahere nequibunt, in ventrem mittuntur: ſi verò quod liquatum eſt, craſſum ſit, qualeq; renes (dicebat Gal.) trahere non poſſunt, totum in ventrem neceſſariò confluit. Carnoſo verò generi ita colliquato, tum venter fluxionem eius recipit, vbi ſcilicet ea eſt craſſior, tum ſudores multi ſuperueniūt, vbi in halitus eſt reſoluta. Tertia ſpecies colliquatiuarum febrium erit hectica, non quælibet, ſed maraſmo complicata, nec cuilibet profecto maraſmo, ſed ſolum incipienti, in hoc adeps, & pinguedo colliqueſcunt, atque ſenſibilis colliquatio videtur: ſiquidē in abſoluto, & confirmato maraſmo fibroſum, & membranoſum genus maximè exiccantur, & in halitum colliquatio diſſoluitur. Hæc, & alia diximus in cap. de cau. ſudorum.

Vt autem ad ſaporum, & colorum huiuſmodi colliquationū intelligētiam deueniamus, ſciendum volumus, carnis, & adipis colliquationem, aliquando repręſentare bilem flauam, aliquando verò pituitam; ita capitur à Gal. 8. de Hipp. & Plat. plac. c. 6. quando dicebat. At colliquata caro, ſimilem colore habet colliquationem pallidæ bili, ad albedinem magis tendentem, ita vt afficiatur, quod ſubpallidū, fuluum appellant: eſt præterea craſſior etiam colliquatio hæc, quàm pallidæ bilis, peiuſq; olet, & quandam ſæpenumero tenacitatē, pinguedinēq; in ſe habet. Pro iſtorum intelligentia coniecturandum eſt, aliud eſſe carnem ſimpliciter dictam, aliud eſſe bilioſam pituitoſam, & melancholicam carnem, vt Gal. 3. de cau. ſympt. c. 2. Hoc etiam ſentiendum de pinguedine, nam aliud eſt pinguedo, vt pinguedo, aliud pinguedo bilioſa, pituitoſa, & melancholica. Colliquatio fit adipis, & carnis, à calore igneo, qui ſi fuerit in bilioſis corporibus, rationabile eſt partes colliquatas bilioſas eſſe, eo quia tali alebātur proportionato humore: ſic in corporibus pituitoſis, ſi febre ardentiſſima corripiuntur, quod enim colliquabitur, non bilis colorem repræſentabit, ſed pituitæ colorem, & ſubſtantiā, quia viſcidius erit. Sed videtur Gal. dū 3. Epidem. com. 3. com. 34. & 3. acut. 13. & 3. Prognoſt. 21. de colliquatiuis loquitur deiectionibus, quaſi nō ſolidas partes colliquari, ſed humores potius indicare; ait enim illas bilioſas eſſe, meras croceas, nonnunquam

albas.

albas. Huic cũ eodem Gal. dicimus. Deiectionem bilioſam, ac pituitoſam duobus modis appellari, vno, vt tales realiter ſint, quales in vomitibus, & fluxibus obſeruamus: altero modo, vt per ſimilitudinẽ ex colore humores referant: ſiquidẽ Medici bilioſas deiectiones pallidas, aut virides, pituitoſas verò albas vocant. Colliquationes itaque ſæpè albæ, & glutinoſæ apparent, eo quia (teſtimonio Hipp. 2. Progn. 21.) recẽs pinguedo diſſoluitur, quia autem illa alba, & glutinoſa eſt, propterea quod excernitur per aluum vrinas, aut ſudores, album, & glutinoſum eſt: in cuius opera calor moderatus ſufficit. Sin verò pinguedo antiqua, & putredinoſa diſſoluitur, colorẽ mutat, & fit ſubcrocea, & ſubuiridis, & croceũ, ac ſubuiride eſt, quod excernitur; requiritur in hoc opere malignus, & vehementior calor, nam antiqua difficiliùs, quàm recens colliquatur pinguedo. Ex coloris ſimilitudine ad humores, vocantur hæ colliquationes bilioſæ croceæ, albæ, &c. Afferã verba Gal. 2. Progn. com. 21. Duplicem hoc loco deiectionum formulam docet, ambarum euenientium propter abſumptionem: diffidentium verò in quantum exigua, ac glutinoſa, candidaq; deiectio pinguedine abſumpta ab igneo calore, non tamen vehementer maligno efficitur. Subcrocea verò, ac leuis abſumpta quoque pinguedine conſiſtit, ſed aut propter caliditatem vehementiorem, aut quia pinguedo ipſa vetuſta, ac veluti ſemiputris exiſtat. Itaque exterior non ſolum pinguedo, ſed etiam ſæpum mutare ſpatio temporis priorem colorem, ac perſpicuè ſubcroceum reddi perſpicitur. Si verò ſubuiridis ſit, de rubiginoſa bile (id enim, vt antea dictum eſt, ſecundum voculæ chloras, ideſt viridis, ac croceæ ſignificatum eſt) vehementis conſumptionis indiciũ eſt. Hæc Gal. His ſtantibus, facilè erit in colliquationibus, ſudorum ſapores inuenire, ſi enim fuerint albi, apparebunt dulces: ſi crocei, & bilioſi amari: ſi cum humoribus erunt miſtæ cum bile erunt amari, cũ atra vel acidi, vel amari: ſi cum pituita, ſubdulces, ſubacidi, ſubſalſi, & amari: ſi cum hac fuerit, vetuſta colliquata pinguedo. Cęteros ſapores Lector coniecturabit.

Veniamus modò ad ſanorum ſudores, nam hucuſque de ſaporibus in humorum excretionibus, & colliquationibus differuimus. Hi ſalſi in ſapore iudicantur, quod volebat innuere Gal. 10. ſimpl. med. facult. dũ dicebat. Sudor ſalſæ, & ſalſuginoſæ qualitatis eſt particeps, guſtus teſtimonio probatur. Verùm quæ ſit cauſa talis ſaporis, videtur aliqua differentia inter Scriptores ineſſe. Ariſt. 2. Meteor. Veteres, ait, mare appellaſſe terræ ſudorem, hac moti ratione, quod ſicuti terra à Solis

radijs

radijs concalefacta, ſalſam aquam in mari generat: ſic pariter corpora noſtra aliquo modo calefacta ſudorem ſalſum emittant. Ipſe tamen 4 Probl. 13. & 5. Probl. 35. aliam aſſignat ſalſedinis rationem, imitatus forſan Teophraſtũ in lib. de ſudor. ait enim idcirco hos humores fieri ſalſos in corporibus noſtris, quia quod concoctum, & dulce alimentũ ineſt corporibus, id totum in partium nutritionẽ tranſit, pars verò terrea, & inconcocta conuertitur ad vrinam, lacrymas, & ſudores, quibus commiſta, vt cinis facit hos humores ſalſuginoſos, & ſalſos.

Diuus Auguſtinus 1. de mirab. ſac. ſcript. locis, naturaliter eſſe inſitam ſalſedinem humano corpori proponit, & ex hac cauſa vrinas, lacrymas, & ſudores eſſe ſalſos. Affert exemplũ de vxore Loth in ſtatuã ſalis conuerſa, cuius opus fuiſſe quidem ex parte rei miraculum, at aliqua ex parte ſecundum naturam extitiſſe demonſtrauit; nam pars illa tenuiſſima ſalis, quæ carni inerat, totum corpus infecit. Huiuſmodi opinionis videtur eſſe Hipp. in lib. de veteri Med. cũ dicat: Ineſt enim in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbũ, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque, ac robur. Atque hæc quidem iuxta, ac inter ſe temperata, neque conſpicua ſunt, neque hominem lædunt. Vbi verò quid horum ſecretum fuerit, atque ipſum in ſeipſo fuerit, tunc & cõſpicuum eſt, & hominem lędit. Alij Medici tenuerũt ſalſedinem in corporibus humanis modò ex putrefactione, modò ex ſeri cum pituita admiſtione, modò ab exhalationibus ſiccis humido cõmiſtis fieri: hinc Cælius Rodiginus 5. lib. antiq. lect. cap. 2. ſalſedinem à portionis aqueæ, terreſtribus miſcela oriri dicebat, ſequatur Lector quam opinionem voluerit. Ego equidem propterea ſeroſum excrementum, quod in ſanis ſudorum, vt plurimũ materia eſt, ſalſum videri exiſtimo; quia diù agitatum à calore, diuq; extenuatum, & cum aliqua bilis portione cõmiſtum, facilè ſalſedinem acquirit, nam vapores aliquot incinerantur huiuſmodi maſſæ, qui cũ ſero eliquati, illud ſalſum efficiunt, vel ſi hi deficiunt, bilis illa portio pro cinere deſeruit in ſero, vt ſalſuginoſum efficiatur. Sed veniamus ad aliqua ſudorum ſignificata ex ſaporum ratione percepta.

Sudores inſipidi calorem natiuum corporis debilem, morbi longitudinem, ſpiritus flatuoſos, febres quotidianas, crudorum humorum redundantiam, lethargum, & pituitoſos affectus demonſtrare ſolent.

Sudores acidi refrigerationem caloris natiui, virium imbecillitatẽ, morbos rebelles, dolores articulorum, hepatis, naturaliumq; partium debilitatem oſtendunt, ita pontici, & acerbi ſi dari contingunt.

Sudores dulces ſi à ſanguine fiunt, vitiatum corporis habitũ, venarum, & retentricis impotentiam, frigiditatem, & animi deliquia præſagiunt: ex pituita dulci morbos pituitoſos, & facultatis retentricis impotentiam aliquando ſolet arguere.

Sudores ſalſi materiam potulentam, vel humorum putrefactionem in corpore cum ſalſa pituita oriri præſagiunt, in malis affectibus ſitim, & animi anguſtias arguunt.

Sudores amari ebullitionem humorum, calidam hepatis intemperiem, febres magnas, hecteritiam, & billioſos morbos oſtendunt.

Sudores acres, ſiue acuti ardorem viſcerum, & morſum, febres ardentiſſimas, rabiem, animi deliquia, ſyncopim, ſalutis deſperationem, dolores intolerabiles, corporis colliquatio, & mortem, ita & mordaces, niſi fuerint critici, promittunt.

Sudores oleoſi, carnium viſcerum adipis, pinguedinis, & corporis colliquationes, febres ardentiſſimas, peſtilentes hecticas, incendia, calorem adurentem, & mortem deſignant. Hæc autem ſufficiant pro ſudoribus à ſapore deſumptis.

De ſudoribus ab odoratu perceptis. Cap. XIII.

ODoris ſenſum in ventriculis cerebri anterioribus fieri exiſtimauit Gal. in lib. de inſtrumento odoratus, c.4. ſiquidem demonſtrauit neque ipſum os naſi, neque interiorem eius tunicam, neque vllam ad nares attinentem partem odoratus eſſe inſtrumentum. Hęc omnia cap.5. contra Ariſt. diſputando probat, eo quod hic in 2. de anim. & in lib. de ſenſu, & ſenſil. in duabus carunculis, quæ ſunt intra nares, quas vocat organum olfactus, hanc potentiam ſitam eſſe aſſeruit. Verùm in re hac Galeno magis adhærendũ proculdubio cenſemus. Nares enim ad faciendam odoris ſenſationem, 4. ſimpl. med. facult. 22. vias eſſe demonſtrauit, vtique ipſis oppletis odores ſentiri impoſſibile eſt, nam ij ad anteriores cerebri ventriculos peruenire nequeunt. Etenim odorabilium vaporoſa eſt ſubſtantia, nam quæ à corporibus defluunt ambienti permiſta, ac deinde per narium inſpirationem in cerebrum delata, ſenſum mouent.

Odores ergo ſunt quædam euaporationes, ſeu exhalationes, quæ à corporibus odoriferis proueniunt, fiuntq; per tenuis vaporis reſolutionem, cuius ſignum eſt, quod tẽporis ſucceſſu minui videntur: Vnde

per diem, quando calor viget, flores experimur magis odorem diffundere, quàm per noctem, cauſa eſt, nã calor diei educit fumoſitates, aut vapores à corpore odorifero: frigus autem noctis quodãmodo condenſat, atque conſtringit odorabilia: hinc fumoſitates debiliter effunduntur. Ita thus, & ligna odorifera, cùm cremantur, à quibus per multam fumoſitatum exhalationem copioſiſſimũ odorem effundi comperimus. Corpora non odorata pauciſſimum, & quaſi nullum reddunt odorem; ratio eſt, nam eorum natura craſſa eſt, & terrea, & quod ab ijs defluit, paucum, craſſum, & mole terreum eſt, proinde per inſpirationem in cerebrum cum ſenſum non moueat, vix incidit: ideo talẽ odorem obtuſum, hebetem, & nullius operationis eſſe credẽdum eſt, quo propoſito Gal. 3. de rat. vict. in acut. odoris carentiam in vino, imbecillitatem ſignificare manifeſtauit.

Odores ſentiuntur in corporibus, in quibus ſapor eſt, proinde inſipida, vt Auerr. in lib. de ſenſ. & ſenſ. cap. 5. odore carent, in quo loco dicebat Ariſt. odores cum ſaporibus quadam conuenire proportione; hinc factum eſt, vt multi odores à ſaporibus nomina acceperint: dicitur enim odor acris, odor acidus, vt Gal. 4. ſimpl. med. facul. c. 22. odorem autem auſterum, acerbum, ſalſum, aut amarum dici nõ concedit: immo quoad amarum differt à Teophraſto, qui lib. 6. de cau. plant. initium boni odoris amarum exiſtere, odoratumq; quin amarum ſit, comperi, difficile eſſe aſſeruit. Cęterum Gal. in allegato loco oppoſitum innuere videtur: idcirco Alphonſus Lupeius Teophraſti contextum deprauatum eſſe, & emendandum fore declarauit. Quia odoribus omnibus, nomina impoſita non ſunt, vt in ſaporibus factum eſt, propterea aliqui dicuntur familiares, & ij ſunt, qui cerebro, & ſpiritibus grati, & ſuaues apparent. Aliqui verò non familiares, ſed ingrati, cũ ſuaues non ſint, appellantur. Hac de cauſa in duas differentias odorum ſymbolũ apud Medicos reductum eſt, teſtimonio Gal. in loc. cit. in Beneolentiam nimirum, & Graueolentiam. Beneolentia quidem proportione quadam ad ea, quæ linguæ ſunt dulcia; graueolentia verò ad ea, quæ amara, dicta eſt: hinc in ore habemus odorem ſuauem, delectabilem, amœnum, fœdum, grauem, & malũ, adeo quod nomina ſæpè fingere, propter multas differentias odorum, cum propria nõ habeamus oportet. Hinc iure Cardanus lib. 13. de rerum ſubtil. in olfactu proprias latere qualitates, & earum diſcrimina, eo quod in nobis ſenſus is imbecillimus eſt, demonſtrauit.

Particulares odorum differẽtiæ, propter ſubiecta in quibus verſan-

tur, innumeræ ſunt, propterea ſub duplici via Beneolentiæ, & Graueolentiæ, vt expeditiùs, & maiori certitudine Medici incederent, ſubiectorũ nomina nacti ſunt. Hinc dicitur odor Thuris,odor Rutæ, Abrotani,Cinnamomi,&c. ſic legimus paſſim in Galeno, odorẽ Hircinum,odorem Oppoponacis,Caſtorei,&c. Mirorq; admodum Ariſt. & Gal. ex colore,& odore nihil certi definiri prodidiſſe,cum ex odoribus forſitan certiùs, quàm ex ſaporibus fundamentum habere poſſimus. Afferunt pauca eſſe odorũ nomina,hoc tamen parum intereſt,nã nomina, ex ſubiectis, in quibus odores fuerint, elicere poſſumus,atq; ijs imponere,quod ſi veteres feciſſent,vtique apertiorẽ nobis de odoribus cognitionẽ reliquiſſent. Profectò ſi clauſis etiam oculis affertur, roſa,cinnamomum,allium,&c. pronũciabimus nobis afferri, odorem roſæ,cinnamomi,vel allij, & ita etiam eſſet in alijs odoribus cognitis. Verùm hoc veteres parum animaduertentes,odorata omnia in beneolentiam, & graueolentiam reduxerũt, circa quæ in ſcrutandis ſudoribus ex odore perceptis,ſimile cogimur habere inſtitutum; ſuſcitare enim nouam methodum de odorum cognitione,nõ eſt præſentis materiæ. Veniamus ergo ad iſtarum differentiarum declarationem. Primum,quod proponimus,ſudorum odores à corporis noſtri humoribus eſt,prouenire; ſiquidem hoc & in coloribus,& ſaporibus factum eſt: propterea ex ſudoribus alios eſſe odoratos, alios verò inodoratos credere oportet, & ex odoratis rurſum,alios benè olentes,alios verò graueolentes exiſtere: differamus de omnibus.

Sudores ſine odore, ex communi omnium Medicorum voce à duplici cauſa oriri poterunt, vel à perfecta coctione; vel quia ſudorificæ materiæ nullum odoratum fuerit commiſtũ;tertiam adiungimus nos, ab humoribus crudis, & frigidis nimirum tales ſudores etiam poſſe ſuſcitari. Prima cauſa ex perfecta coctione procedebat; ratio autem eſt hæc,quia coctio eſt opus naturæ, ſiquidem id blandè,& ſuauiter perficitur,caloreq, ęquali,& natiuo, inde perfectum,& optimum,quod eſt in corpore ab excrementis ſegregatur, quæ tantum opus forſan corrumpere,& inficere valerent: propterea peracta coctione,reſtãt ſucci depurati,& ſine odoris ſequela;quod ſi per ſudores,eorum ſerũ excernitur,vtique ſine odore percipitur,ſaltim ſenſibili:hoc adiungimus,nã in optima coctione,quidam odor amœnus,& remiſſus ſentitur, cuius vis,quia pauca eſt, ad inodoratum reducitur. Secunda cauſa erat,quia in humoribus,qui per ſudores erumpũt,nihil miſcebatur odoris:quippe putredo, fœtida corruptio,vel aliquod odoratum extraneum illa-

ſunt,

ſunt, quæ illos inficere poſſunt. De his autem inferius. Tertia à nobis adducta cauſa ſudores inodoratos manifeſtat à frigidis, craſſis, & crudis humoribus generari: ratio eſt, quia ſi corpora non odorata, propterea paucum, aut nullum reddũt odorem; nam craſſa, & terrea ſunt ſubſtantia, quo fit, vt terreum illud mole, & craſſum, quod defluit, ad cerebrum non aſcendat, nec ſenſum moueat: humores itaque crudi, craſſi, & frigidi, cùm talis ſint naturæ, odores mittere nequeunt, ſi abſoluti per ſudores excernuntur. Sed de his alibi apertiùs loquemur.

Sudores odorati, quia ſub beneolentia, & graueolentia reponuntur ob allatam diuiſionem, requirit inſtitutum, vt hos in duo capita reducamus, primum erit de beneolentibus, alterũ verò de graueolentibus. Primi ex teſtimonio Ariſt. 4. Probl. 14. ab inculpata fiunt coctione; cuius opinionis Ioannes Brauus eſſe videtur in lib. de ſapor. odorũq; differ. c. 19. dum affert exemplum de fructibus, qui dum matureſcunt, odoratiores fiunt. Sed altiùs negotium hoc perſcrutemur. Beneolẽtes, qui redolentes, ſeu odoriferi vocari ſudores merentur, vel à propria natura ſubiecti, vel accidentaliter prouenire conſueuerũt, ſi à propria natura procedũt, vtique ab optima ſymetria corporis, ex ſimilaribus, & organicis partibus, ex cõcinna corporis ſtructura, & valido calore, è quo optimæ fiant concoctiones, ſuſcitãtur. Hinc legimus in Plutarco, ſudorem Alexandri Magni odoriferum, & redolentẽ fuiſſe ex propria natura ſubiecti, quippe perfectiſſima erat, & longiſſimã ex temperamento habuiſſet vitam, niſi veneno interijſſet. Cardanus de Alexandri odore volens reddere rationẽ, lib. 8. de rer. ſubtil. quod corpus ſiccius haberet, & calorem vehementiſſimũ retulit: atque ea ratione multis diebus inter ſummos calores cadauer illius, abſque odore tetro ſeruatum eſſe, quanquam (ait Cardanus) non negauerim, aut arte ſeruatũ, aut veneni eadem vi, qua etiam extinctus fuiſſe creditur. Propterea ſi optima datur ſubiecti natura in humano corpore, vnde perfectæ oriãtur, optimæq; coctiones, credibile eſt, iucundos, & gratos poſſe ſuſcitari ſudores. Sed opinio hęc videtur lõgè diſſentire ab Ariſt. 13. Probl. 4. & à Teophraſto 6. de cauſ. plant. 16. dicentibus, nullũ animal iucundum de ſe mittere odorẽ, excepta Panthera. Huic dicimus, dupliciter odorem poſſe ſentiri, vel intensè, vt à cunctis percipiatur; vel remiſsè, & latenter; primus modus Pantheræ contingit; ſecundus homini, & nonnullis animalibus. Sed in difficilius incidimus quæſitum. Superius enim ſudores, ſine odore à perfecta coctione oriri dicebamus, modò odoratos, & redolentes ab eadem cauſa prouenire etiam aſſerimus: equi-

equidem dubium hoc non parui eſt momenti,& forſitan à paucis animaduerſum;quomodo autem in ſolutione ſit procedendũ audi. Equidem coctio quanto inculpatior fuerit in corpore, tanto gratiorem de ſe mittere odorem,nõ eſt dubitandum; nam propterea dicitur coctio, quia ad ſtatum naturæ,& iucundum,coctibilia reducũtur;& proinde odorem acquirere:hic autem in bona coctione modiciſſimæ ſenſibilitatis eſt; in perfectiſſima verò, & inculpata, maioris ſenſus,& gradus, proinde in bona coctione,propter odoris modicitatem,ſudores dicũtur ſine odore; in perfectiſſima verò redolentes,& grati. Hinc Horatius Augenius in lib de febrib.ſudorum beneolentiam excogitans,exiguam,illos ſignificare putredinem,retulit:ratio eſt,quia natura peccãtes humores dum ſuperauit, & concoxit, putredo ceſſat, à quo fœtor procedit,& odor ſubintrat,quod eſt opus naturę,& caloris cõcoquentis. Accidentaliter fiunt ſudores beneolentes ab alicuius rei odoriferę comeſtione, Ambræ nimirum, Moſchi, Therebinti, Cinnamomi,&c. Hæc ſua qualitate redolenti ſuccos inficiunt,& ſudores redolẽtes excitant,quod ſi fuerint acria,& fœtida,quæ comedũtur fœtidos,& graueolentes,vt inferius dicemus,facient ſudores. In pręſentiarum verò, quod attinet ad beneolentiam, nonnullas odoris ſpecies, quales ſunt odor amœnus, ſuauis, aromaticus,&c. formare poterimus, ex quibus ſudores amœnos,ſuaues,aromaticos,& naturæ gratos dari poſſe colligimus: vtique huiuſmodi commanſa, & humoribus,& ſero commiſta,iucundos generare ſudores conſueuere.

Sudores graueolentes, quia beneolentibus ſunt oppoſiti, à duplici etiam cauſa oriri poſſunt,à proprietate ſcilicet naturę ſubiecti,vel accidentaliter. A ſubiecto cum corpus malè fuerit formatum in ſua compoſitione, maliq; fuerit temperamenti, quales ſunt incuruorũ,& gibboſorum hominũ habitus,quibus (ex Ariſt. 13. Probl. 10.) ob anguſtiã, & partium ſpiritualium coarctationem, ſpiritus, & humores cohibiti putreſcunt: hinc fœtor,& grauis odor in ſudoribus. Ex ſubiecti etiam proprietate fœtidè nonnulli ſudant ſub axillis, in pudendis, & ſub pedibus:aliqui etiam ex malo corporis habitu,ſudoris habent graueolentiam,fœtorem Hircorum æmulantem,quod apud veteres ignominioſum erat. Hæc autem quibuſdã nationibus gentilitia eſt,vt Recutitis, ſiue Iudæis, eo quod Chriſtum Saluatorem noſtrum (credente Campeſio) non colunt, vel, vt ait Ioannes Hucherus lib. 1. de ſterilitate, quod à ſale,ſalſiſq; edulijs ex lege ſua abſtinere cogantur. Narrat etiã Antigonus in lib. de mirab. Lemnias mulieres vſque adeò fœtere con-

ſueuiſſe,

ſueuiſſe,vt viri illarũ congreſſum fugerent.Hi profectò in malo habitu materias habent, & corporis humiditates putrefactioni, & fœtori admodum diſpoſitas: ob id graueolentes, & fœtentes ſudores emittere poſſunt. Si accidentaliter fiunt ſudores graueolentes,à multis excitantur cauſis, aliæ enim ſunt internæ,aliæ verò externæ.

Internæ cauſæ,humores putridi ſunt,& corrupti: ſiquidem Galen. 5.ſimpl.med.facult.cap.15.putrefactionem eſſe cauſam fœtoris adeò, quòd fœtor nullus ſit,quin à putrefactione nõ ſuccedat,& nulla ſit putrefactio abſque fœtore,declarauit. Hinc Ariſt.13.Probl.4. fœtorem aſſeruit ab inconcoctione, ſiue à concoctionis fruſtratione prouenire, quod idem eſt,ac dixiſſet à putrefactione, quippe putredo immediata illius cauſa eſt;hęc autem vel carnis,vel humoris,vel ſpiritus eſt,è quibus omnibus ſudores graueolentes oriri poſſunt, vt maximè in peſtilẽtibus febribus obſeruamus. Cauſæ internæ, ſed mediatæ plures ſunt, complexio ſcilicet, ſexus, ætas, & morbus. Complexio, quæ ſudores graueolẽtes habere magis pòteſt, calida,& humida eſt,è quibus putredo maximè generatur,clarũ eſt hoc in habitu corporis pingui,vbi plura abundant excrementa, quæ putrefactionẽ recipere poſſunt. Sexus huic affectui diſpoſitus,muliebris eſt:ſolent enim mulieres ex humido temperamento ad fœtorem eſſe procliuiores,præcipuè villicæ;nobiliores enim propter corporis munditiam,minus tentantur.Inſuper hę vbi fluunt menſtrua,vel deficiunt, oris fœtore laborare ſolent,& propter commotos humores ſi in ſudores erumpunt,illos fœtidos,& graueolentes excitant.Ætas ad ſudores fœtidos procliuis,tum pubeſcentium,tum ſenilium corporũ eſt:pubeſcentes enim homines,Teophraſti teſtimonio, ad venerem concitantur, quo fit,vt ex magna corporis permutatione,putredines,& fętores oriantur; ſenes ſimiliter propter corruptos humores,in oris,& ſudorum fœtorem incurrunt;ſiquidem ex natiui caloris diminutione,cruditates,& putredines excitantur,& ex his fœtores,ob id,vt credo,Plautus in Moſtel.ſenem quendam,animam fętentem vocauit. Sed miror admodum,Mercurialem,virũ alioquin doctiſſimum,qui in ſuo tract.de ſudoribus,in ſenibus non fieri fętẽtes humores,aſſeruit, tum quia eorũ corporis rarus eſt habitus; tum quia cùm frigidi ſint temperamento,putredini minus ſubijciũtur: credo forſitan loqui de vltima parte ſenectutis, atq; in ſiccis corporibus. Ex morbis, multi fœtidè ſudare poſſunt, nam in corpore putrefactiones generantur; hinc ſi per ſudores excernuntur,malè olent. Legitur 2.Prorrhet.illis,qui lienes magnos habẽt, ſolere animam ſæpè fętere,

&ex

& ex hoc arguendum eſt, ſudores malè olentes poſſe habere. Sudor fœtidus ſub axillis, eſt morbus intolerabilis: proinde nonnulli exiſtimarunt, teſtimonio Auic.4.7.tract 3.cap.23.à veſtigijs ſeminis, quæ in generatione remanſerunt, & in cutis partes inciderunt, prouenire. Sed de hac re inferius loquemur cum Teophr. Sunt & alij morbi quamplurimi, qui ſudores fœtentes habent, vt leproſi, ſcabioſi, &c.

Externæ cauſæ fœtentium, ſiue graueolentium ſudorum, nõ paucę iudicantur. In primis, aeris eſt caliditas & humiditas, vel eius etiã proprietas, è quibus ſi corpora in fætorem inducũtur, neceſſe eſt ſudores etiam illorum male olere. De re hac loquens Pauſanias, in Phocis narrat, Oxolias populos indigenas locri, ſecundũ totum, fœtere, ex aeris proprietate. Et Plin.lib.11.c.63. Parthos habere oris graueolentiam, ex aeris proprietate aſſeruit: proinde ſudores etiam habere fœtentes credendum. Secundò eſt vſus nonnullorũ ciborum acrium, cęparum ſcilicet, porrorum, alliorum, &c. ſiquidẽ Gal. in lib. de attenuante vict. rat.cap.1. acria edulia manducata, aſſeruit, ſudores facere fętidos. Hoc volebat innuere, vt credo, Teophraſtus, dum rutam, & nonnulla alia pigmenta vrinam gignere fœtidam adnotauit. At ſunt cibi nonnulli, qui licèt acres nõ ſint, ſudores tamen fœtidos parturiunt: ſcribit enim Athenæus lib.9. carnes caprinas diù in cibo cõmanſas, ſudores facere graueolentes; idem credo facere aſparagos; licèt deinde corpus odoratum relinquant. Egeſander apud Athenæum lib.2. Rodiginus lib.6. antiq.lect.cap.4. dicit apud Elidem, Anchimolum, & Moſchum Sophiſtas, tota vita fuiſſe hydropotas narrat, ac ficis modò ſolitos veſci, & tamen robuſtos extitiſſe; ſed adeò fœtentes, vt propter abhominabilẽ ſudorem certatim in balneis ab omnibus excluderẽtur. De his credo loqui voluiſſe Cardanũ in lib. de rerum variet.cap.40. dum ait, nonnullos, qui ſolis ficubus, & aqua tota vita vſi, incolumes, & robuſtos ſemper fuiſſe; licèt ijs ſudor malè oleret. Tertiò, ſudores fiunt graueolentes ex ipſorummet putrefactione, niſi equidem fuerint abſterſi, facilè fit, vt putredinem, & fœtorẽ contrahant; inde ſuccedit ſeroſos humores circa cutem impactos, nec liberè, & perfectè diſcuſſos malè olere. Et Teophraſtus propterea ſudores axillarũ fœtere voluit, quia concauitatem, & non perſpirationẽ ille locus habet, ex quo putrefactio, & fętor contrahitur: ita in ſudoribus pudendorum aſſerendũ eſt, quando ex illuuie, & negligentia ſuſcitantur. Hinc legitur apud Demetrium Phalereum, Romanas meretrices, quaſdã concinnatas aquas habuiſſe, quibus poſt coitum pudenda colluebãt, ne ſudores, & fœtores fierent.

Eadem

Eadem cauſa eſt pedum fœtentium ſudorum: ſiquidē docet Ariſt.2.de hiſt.animal.c.1. excrementa craſſa, quæ à corpore ad pedes tranſmittuntur, ob impeditam exhalationem inſigniter putrefieri,& fœtorem acquirere. Poſſunt etiam eſſe in cauſa, vt corpora malè oleāt, nimium otium, longæ vigiliæ, nimia ſtudia, & alia, quæ putrefactionis excrementorum,& humorum originem procurarēt. De his autē ſudoribus, vt firmiorem habeamus cognitionem, rationabile eſt, ſub generica poſitione, quæ graueolentia eſt, nonnullas ſpecies,& nomina odoris formare: ſiquidē datur odor grauis, fœtidus, marcidus, rancidus, agreſtis, oleraceus,& terreus, ex quibus ſudores veniunt graues, fœtidi, marcidi, rancidi, agreſtes, oleracei, & terrei. Hi profectò ceu pictura ſudorum omnium graueolentium deſeruient.

Grauis ſudor, ſeu graueolens indicium putredinis in humoribus demonſtrat; habemus hoc ex Gal.2.Prognoſt.com.42.& in lib.de differ. ſympt. cap.4. vbi graueolentiam neceſſariò excrementorū ſequi corruptelam oſtendit. At in acutis morbis à duplici oriri cauſa comperimus, vel ratione ſcilicet excrementorum, in quibus fuerit corruptela, vel à colliquatione pinguedinis,& carnium ab igneo calore: in alijs verò ab excremētorum putredine, vt plurimum ſuccedit, ni fortè ex inquinamento odorati cibi euenerit. Hoc volebat Gal.inferre 2.Progn. 22. circa pernicioſas deiectiones, quando graueolentes ſunt: probat enim graueolentiam colliquationis eſſe ſignum, propterea Hipp.tex. 25.eiuſdem libri,& 4.Aphor.tales damnauit, tanquam malas deiectiones: proinde in continuis febribus, graueolentes ſudores à vi morbi producti, atque à carnium,& pinguedinum orti colliquatione, peſſimi cenſendi ſunt: ſiquidem à maximo incendio, & adurentiſſimo calore mouentur.

Sudores fœtidi in confinio iſtorum exiſtunt, oriuntur enim ex incōcoctione, cuius ratione inconcocta facilè putreſcunt,& fœtorē acquirunt, cum itaque à putreſcentibus humoribus oriātur, in humanis corporibus non ſunt paruę conſiderationis, neglectis enim his, poſſunt & alia,& peiora oriri mala: quippe legimus in lib.ſecret. Hipp.ſudorem fœtidum ſub axillis, continuò lepram indicare, & experimento comprobatum eſt, nōnullos (viſis fœtidis ſudoribus) praua ſcabie fuiſſe infectos, atque vlceribus cutaneis, & abſceſſibus laboraſſe. Profectò hi duplici via conſiderantur, vel in ſanis, vel in ægris corporibus. In ſanis licèt proueniant ab aliqua humorū corruptela, vel ab acribus edulijs, qui humores putridos, & fœtidos ſero commiſcent, tamen cū natura

ex ijs nullum patitur incommodum, eo quod talibus fœculentijs corpus exoneratur: mali non ſunt cenſendi, quod ex hoc cognoſcimus, ſi ipſis excretis, corpora in valetudine perſiſtunt: ſecus autem ſi non ab acribus edulijs olidè ſudant, & pluries, quippe corpora purganda fore cõſulerem, ne fœdæ illæ materiæ, aliqua retentæ occaſione, putridiores factæ, in morbos mali iudicij transferātur. At in ægris mali perpetuò cenſendi ſunt, præcipuè ſymptomatici, quippe Gal. 3. Epidem. 2. com. 9. fœtida ſemper exitioſa affirmat: ſunt porrò hæc putredinis indicia, vt pericula demonſtrent, propterea in talibus fętoris gradū ſemper fore ponderandum iudicaui: nam ſi ex ſe ſudores fœtidi mali ſunt, peiores eſſe ſuadeo, qui intensè fœtidi, & graueolentes ſunt: ſiquidem proueniunt, vel à conſumata putredine, vel à colliquatione carnium, adipis, & pinguedinis, vt in laborioſis, & peſtiferis ſuccedit febribus; quemadmodum in Alphano in lib. de peſte, cap. 21. videri poteſt: Hic inter alia, peſtiferæ febris indicia, excremēta fœtida, & graueolentia, propter magnam corruptionem, vt ex anhelitu teterrimi odoris, fœtorem cadauerum imitante aſpicitur, eſſe docet. Sed non eſt cū ſilentio pertranſeundum quæſitum illud ab Ariſt. 2. Probl. 6. citatum, Cur ſudor capitis aut nullum reddat malum odorem, aut minus, quàm reliqui corporis? An quia locus capitis opportunus ſpirationibus eſt, & quidem laxum ſeipſe demonſtrat, argumento exoriendi capilli. Loca autem, & quæ in locis tenentur, grauiter olent, ſi ſpirandi careāt libertate. At repetamus exorſa. Equidem non ſolum in ſudoribus grauis, & fœtidus odor mali nuncij iudicabitur, verum atq; in vrinis, ſputis, egeſtionibus, halitu, & alijs excrementis, vt Alphanus dicebat; denotat enim odor hic putrefactionem, humores indigeſtos, calorem natiuum debilem, & languidum: porrò ex caloris langueſcētia, cibum in ſtomacho non concoqui videmus, ſed crudeſcere, atq; multoties putrefieri, quòd patet ex fœtore in eructatione emiſſo. Inſuper quanti exitij in Tabidis ſputum fœtidum ſit, Gal. 5. Aphor. comm. 11. quanti etiam in vrinis, & deiectionibus, 2. Prognoſt. 22. & 32. & 4. Aphor. 47. & 81. expreſsè, & lucidè demonſtrauit.

His autem non obſtantibus, licèt fœtidi ſudores, reſpectu materiæ, è qua procedunt, mali cenſeantur: ſiquidem putrefactorum humorum ſoboles, & putredinis indicia ſunt, tamen reſpectu excretionis multoties ſalutares, & ſaluberrimi iudicantur. Dum enim magiſtræ naturæ opificio, cum ſignis prodeunt coctionis, fœtidi, & putrefacti humores ad corporis ſalutem excernuntur, quippe in ſummo morbi vigore,

ſucce-

ſuccedere cōſueuerunt;proinde boni,& critici,vt notat Lelius à Fonte conſ.95.eſſe dicuntur. Cùm verò ſine coctionis ſignis apparent, & cum labore,& detrimēto naturæ ſuccedunt,tantum abeſt,vt proſint, vt ij potius maximè obſint, ſymptomatica hercle excretio erit, prauitatiſq; morbi,& mali moris indicia præſtabit. A prædictis parū diſtant rancidi, & marcidi ſudores, qui etiam à diuerſis putredinis gradibus oriuntur, nam ſicut rancidus fœtoris ratione imperfectam arguit putrefactionem, ita marcidus cōpletam, & abhominabilem: à corruptis etenim humoribus,talis odor generatur, proinde ad puritatē amplius ij duci nequeunt.Hinc ex diuerſitate putredinis,& inquinatorum humorum miſcela alij, præter narratos,oriuntur odores. Agreſtis nimirum oleraceus,& terreus,à quibus ſudores agreſtes,oleracei,& terrei denominantur.

Agreſtes vocantur ij,qui agreſtium plantarum,vt abrotani,arthemiſiæ,mentaſtri, & ſimilium odorem habent: differunt hi à fœtentibus, quos ab edulijs etiam acribus fieri dicebamus, maiori,vel minori ſenſibilitatis gradus: cum fœtore enim maior eſt gradus, quàm ex graui, & agreſti odore:idcirco ſudores fœtidos(niſi ab edulijs acribus euenerint)ab intenſiori putredine fieri,quàm ij,qui agreſtes ſentiuntur,opinandum eſt. Cùm autem ambo ab edulijs prouenerint,ex acutiori,vel remiſſiori edulij potentia,acutior,vel remiſſior etiam odor reſultabit. Oleracei ab oleribus,lactuca,portulaca,attriplice ſcilicet, & alijs,ſimilis texturæ nomenclaturam accipiunt.Hi à putreſcentia humorū crudorum erumpunt, multoties verò ab humoribus adortis, & enutritis ab oleribus ipſis, vt pauperibus cōmunis eſt vſus annonę temporibus, quando ratio viuendi eis deficit: quippe tunc,vt inſidioſæ fami ſuccurrant,& plātas agreſtes, & olera pro victu concinnunt, & ſępè peiora, quod Deus Maximus auertat. Conſimili induſtria ſudores agreſtes,& oleraceos obſeruamus,niſi ab humoribus crudis,& eorum putreſcentia,vt diximus, acciderint. Terrei oleraceis ſudoribus cognati ſunt, aſſimilantur enim fabarum, lentium, & leguminum odoribus. Hi vel ab eſu talium, vel ab humoribus viſcidis, & crudis, qui putrefieri incipiant,fieri conſueuerūt,repræſentant enim terreum,& obtuſum odorem cum remiſſa fœtiditate;hęc autem in cunctis ſub graueolentia poſitis ſudoribus comitatur, ex diuerſitate tamen vel humorum, vel putredinis, vel eduliorum odorem, vel plantarum agreſtium, vel olerū, vel leguminum ſudores ipſi repræſentant. Aſſequetur hæc omnia doctus Medicus, ſi diligentiam rei adhibebit.

Ad ſummum probatum eſt, graueolẽtes ſudores ab humoribus putrefactis,& à materijs indigeſtis,vel acribus edulijs originem habere: ſiquidem hæc ſero, & ſanguine commiſta tales apta ſunt odores procreare. Sed quanto hoc clarius eſt,tanto obſcurius ſe offert dubium, An ſudores nõ graueolentes,ſeu inodorati perpetuò indicent,vt probauimus, humores putreſcentes in venis non adeſſe? Hæc difficultas magni eſt momenti,& multos contorxit: ratio eſt,quia ſudores ex venis excernuntur, & humorum peccantium odorem, vel fœtiditatem indicare debent: at in febribus multis;quales ſunt prauæ,peſtiferæ,& malignæ,quæ proculdubio intenſam habent in venis putredinẽ, vt ex excrementis obſeruatur, minimè fœtentes apparent,quo experimento, graueolentiam non neceſſario putredinem indicare veriſimile videtur.Huic obiectioni ſic poſſet reſponderi:Sudores vel ſuccedere in bonis,vel in malis criſibus:in bonis,ſemper oſtendere naturã,& qualitatem humorum, qui ſunt in venis: ratio eſt, quia ij excernuntur, qui morbum faciunt,propterea ſi hi fœtentes fuerint, corruptelã in venis adeſſe;ſin odorati, nequaquam exiſtere indicabunt. In malis verò criſibus neceſſariò hoc non pręſagiunt,eo quod licèt homines ſudent,nõ ij excernuntur humores,qui morbum faciunt,ſed alij,quippe ex eo videri poteſt,quia nihil è ſudoribus iuuãtur: ratio ergo eſt,quia intus remanet putris materia: propterea ſicut in bonis,vera eſt aſſertio,ita in malis,non perpetuò certa iudicatur. Mercurialis doctiſſimus in lib.de ſudor.ita hoc dubium ſoluit: Putredinem ſanguinis,vel aliorũ humorum venarum, aut eſſe paucam, & in venis extimis; aut magnam,& in venis intimis, & cordi proximis. Si putredo ſit magna, & ſit in venis extimis, neceſſariò ſemper ſudores eſſe fœtentes, ſi magna, & in intimis,non neceſſariò eſſe fœtidos, eo quia (ait Mercur.) ſudores iſti non excernuntur ab intimis his partibus;ſed potius ab extimis. Quod ſi putredo etiam ſit in extimis partibus,ſed ſit exigua,ſudores non neceſſariò effici fœtentes,hic auctor declarauit. Sequatur Lector quam opinionem voluerit.

Reſtat alia difficultas pro vltimando capite hoc, quid velit aſſerere Auic.4.2.tract.1.cap.70.vbi ait,& ſignificat per odorem ſuum ſi eſt fętidus,aut acetoſus, aut dulcis,aut alius. Vidit hoc dubiũ Mercurialis, & aſſeruit, Auicennã fuiſſe deceptum,vel eius interpretem,atque pro acido,acutum interpretari debere: tamẽ vir hic, alioquin doctiſſimus, non viderat forſitan Gal.4.ſimpl.med.facul.cap.22. qui odorem acrẽ, & acidum diſtinctè dari edocet:à quo loco Auicennã id accepiſſe credibile

dibile

dibile eſt: quare diù anceps dubium ruminaui, & vltimò cum Ariſt. in lib. de ſenſ. & ſenſili, talem ſolutionem arripui. Odores ſcilicet cũ ſaporibus quandam habere proportionem (ita allegato loco dicebat etiam Gal.) qua via à ſaporibus, odores ipſi multa nomina acceperunt, nec aliam ob cauſam, quàm ex familiaritate, vel inimicitia cum ſenſitorio; nam dulcis ſapor amicus eſt naturæ, quia linguã delectat; amarus verò ingratus, quia cõtriſtat: medij ſapores vel amici, vel ingrati ſunt, prout vni, vel alteri extremorum hærebunt. Itidem in odoribus dicendum. Beneolentes enim dulcibus comparantur, ſuntq; ſenſitorio odoratus, & cerebro gratiſſimi, hi ſi admodũ fuerint moleſti, graueolentes erũt, & amaris ſaporibus cõparantur: quod ſi parum moleſti, acidi ſeu acetoſi vocari poſſunt; huius credo fuiſſe opinionis Auicennam. Inueniat meliorem ſolutionem, qui noſtra non eſt contentus.

Sudores ſonori, & ſilentes. Cap. XIV.

SOnum in auribus ſentiri nulli dubium eſt, ſiquidem hę à natura, vt auditus eſſent inſtrumẽta, fuerunt fabricatæ: his fuit incluſus, congenitus, ac complantatus aer, vt externus per continuitatem ad illum vſque pertingeret, ſonumq; deferendo, auditum cauſaret: pro cuius ſtructura, maximo vſa eſt artificio in fabricandis tot aurium inuolucris natura, ne quid ipſarum meatui, quo aer intromittitur, incideret, ipſumq; impediret. Inſuper ijs exquiſitiſſimus datus eſt ſenſus, tum propter quintum neruorum par, quod à cerebro ad auditus foramen immittitur, tum etiam propter membranã à dura cerebri ortam meninge, villis, neruiſq; cõtentã, vt Gal. in lib. de neru. diſſect. ſapientiſſimè explicauit. Ad auditum profectò efficiendum, neceſſe eſt, vt ex colliſione, & percuſſione duorum corporum, ita percutiatur aer, vt ſonus excitetur, qui poſtea per mediũ aerem debet agere in ſenſoriũ, quouſque fuerit acceptus, vt deinde ab auditrice facultate iudicetur: propterea à ſonibus, & vocibus multæ corraduntur differẽtiæ: hę autem in præſentiarum pro pingendo ſudore ſonoro, & ſilenti minimè opus ſunt, ſufficit enim deſcribere tantum, Num ſudor in exitu à cutaneis partibus ſonum pariat, vel ſilentium, & quid iſtę indicent differentiæ?

Porrò ſudores ſonori dari poſſunt: hæc autẽ qualitas in ſudoribus noua videtur, cùm Doctores noſtri haud animo, vt dicã, conceperint:

caſus tamen ſucceſſit, vt Petrus Paulus Simoneta in compend. Med. refert in cap.de ſudore.Ipſe equidem in eruptione ſudoris in quadam ægrotante interfuit, è cuius corpore ſudor eo impetu erumpebat, vt perciperetur quidam ſonus, veluti obtuſus, quiq; ſibilum præferebat, ad ſimilitudinem vndarũ,quarũ colliſione emergit ſpuma. Propterea videamus, cùm tales ſuccedunt, à quibus oriantur cauſis, huius enim quæſiti abſtruſa videtur ratio. Equidem,vt ſonus fiat,neceſſe eſt,vt ab aere percuſſo excitetur:modò ſpeculemur in ſudoribus,quid eſt,quod talem efficiat percuſſionem,vt inde ſonus oriatur. Idem Paulus,ſudores cum ſono erumpentes, ab humorum multitudine,& caloris vehemẽtia fieri aſſeruit;ſed iſta ratio haud eſt ſufficiens, ſiquidem ſonus extra cutim fit,& neceſſe eſſet,vt ſudorifica materia impetu ad aerẽ ſtillaret,& percuteret,quòd arduum eſt,idcirco noua eſt cauſa indagãda. Hæc,vt credo,eſſe poteſt. Vehementia caloris agens in humidum copioſum,flatus generat,qui ſi in exitu ſudorum,cum ſudorifica materia miſti fuerint, ſpumoſum ſonum excitabunt: eo magis ſi in cute aliqua fuerit reſiſtentia,illi enim ſpumãtes à calore,& vi expultrice extruſi, ac quodammodo repercuſſi à cute,vel ab aere,quandã excitabunt ſonitus ſpeciem, non ſecus atque in vrinis, propter natantem ſpumam ſentitur in febribus ardentibus,& colliquatiuis, cum viſcerum,& carnium fiunt colliquationes. Huius naturæ fuiſſe credo,ſudorem à Gal. in lib.de ſectis,ad eos,qui introducuntur,cap.9.obſeruatum,qui tã copioſus effluxit,vt plumas madefaceret: ſiquidem cũ immodica eſt copia ſudorũ,& caloris vrget vehementia,ſpumoſus ſonitus,vt diximus, accidere poteſt: ſolent hi apparere,Gal.teſtimonio 2.de diff.feb.c.11. in acceſſionum conſiſtentia, quando humores accenſi ad ſummum feruoris deuenerint, tunc enim vniuerſum laborantis corpus igneum videtur, extenſa per totum animalis corpus æqualiter caliditate. Hinc verò ſi humores fuerint tenuiores, potentia robuſta, corpus rarum, maxima humorum putreſcẽtium pars in ſudorẽ reſoluta euacuatur: ſi verò hi craſſi fuerint, vis autem expulſoria imbecillis,& viæ anguſtæ ſint,nihil quidem defluit ſenſui manifeſtum: ſed id ſolũ,quod ita eſt extenuatum,vt in ſubtilioris vaporis naturam tranſierit.Hæc Gal. E quibus conieƈturare poſſumus, in ſudorũ multitudine poſſe aliquid ſoni exaudiri,nam vbi multitudo,ibi aliqua datur colliſio partiũ: ſecus in paucis ſudoribus ex ratione adduƈta. Poſſet forſitan ſonus etiã fieri in ijs ſudoribus, qui à mordacibus humoribus cutim pruriẽtibus fiũt; vel ab ijs,qui adeò ſunt ardẽtes, vt cutaneas veluti colliquãtes partes,
exeant

exeant ſpumanti ſonitu è corpore. Vtcunque tamen ſit, tanquã caſus nouus, à magnis cauſis opus eſt vt veniat, propterea magna indiget prouidentia. Silentes verò licèt ab eiſdẽ cauſis oriri poſſint, nequeunt tamen tantam habere vrgentiam, quanta in prioribus requiritur, vbi prçter humorum multitudinem, & caloris vehementiam, flatus etiam erant opus, vt ſpumę ratione ſonus excitaretur, idcirco his ceſſantibus conditionibus, ſilentes fiunt, vel naturales ſint, vel præter naturam. Et hæc pro ſudoribus à Qualitate deſumptis.

Sudores ex Habitu deſumpti. Cap. XV.

HAbitus multis modis, tum in philoſophica, tum in medica facultate capitur: pro noſtro autem ſudorifico inſtituto capiatur habitus, prout eſt qualitas ſtabilis, vel mobilis in corporis tẽperamento, reſpectu cuius varij generentur ſudores: aliqua enim ſunt habitu cholerico, aliqua phlegmatico, nonnulla melancholico, ſanguineo, vel miſto; quæ omnia humorũ prædominantium ratione, à quibus habitus reſultat, ex natura ſucci redundantis, ſudores patiuntur. Profectò cholerici patiuntur febres, & morbos calidos ex bile, & eius ſpeciebus ſuccedentes, vt plurimũ; proinde in ſudores bilioſos, & tenues ex ichoribus, & bilis ſero ſuſcitatis incidunt. Pituitoſi itidem ex pituita, & eius ſero, cum morbos frigidos, & pituitoſos facilè recipiant. Melancholici ex bili atræ differentijs; ſanguinei, ex ſanguinis ſero; miſta corpora in habitu, miſtos ex humoribus ſudores patiuntur. Si habitus autem mutatur, vt reſpectu ætatis, loci, regiminis, vel morbi contingit, mutatur & ſudor, ſequiturq; continuò humorum peccantium in venis naturam, ſi eorum ſit excretio. Inſuper præter habitum à natura ex temperamento conſtitutum, datur corporis habitus ex textura eius deſumptus: ex hoc veniunt conſiderandi pauci, & multi ſudores; in rara enim textura plurimi, in denſa verò pauci ſuccedunt. Alij habitus conſiderari poſſunt, quia tamen parum proficiunt, idcirco omittimus.

Sudores ex Relatione conſiderati. Cap. XVI.

PEr modum Relationis conſiderantur ſudores, eo quod ipſi ad aliud referri poſſunt: nãq; ex decreto Ariſt. in Prædic. Relatiua ſecundum eſſe, quod habent, referuntur ad alia, & licèt illa duplicia ſint, & ſecundùm eſſe, & ſecundũ dici, tamen

tamen de more Relationis, omnia ad aliud conuenienti aſſignatione referuntur. Hinc in propoſito breuiter aſſerimus, quot ſunt ſudoris conſiderationes, ſiue ſecundùm eſſe, ſiue ſecundùm dici, tot eſſe relationes: quæ conſiderationes cum infinitæ ferè ſint,& parum hic proficuæ, præſtabit deſerere, & paucis exemplis caput hoc conſtituere: non enim ex neceſſitate, ſed vt nihil de ſudore, in inſtituto appetendũ deeſſet, hoc compilauimus. Relationes ergo ſint hæ. Sudor craſſus dicatur reſpectu tenuis, ad quem habet reſpectum. Tenuis ad craſſum referatur. Multus ad paucum. Calidus ad frigidum. Longus ad breuẽ. Albus ad nigrum. Diurnus ad nocturnum, & è contra. Ita in compoſitis conſiderationibus, vt ſudor multus calidus albus, ad paucum frigidum, & nigrum. Craſſus matutinus frigidus, ad tenuem veſpertinum calidum. Craſſus pituitoſus paucus, ad tenuem cholericum multum. Sufficiant hæc tantum exempla, inſtitutionis gratia.

De ſudoribus à tempore captis. Cap. XVII.

TEmpus, vt voluit Ariſt. 4. Phyſ. menſura motus eſt ſecundum prius, & poſterius: ipſum enim quantitates, & ſpatia ignota per cognita nobis notificat; nam ſi quis, ſudorem aliquẽ quatuor horas duraſſe diceret, vtique tale ſpatium pertranſiſſe, & tantum motum feciſſe inferret: hinc ex motus menſura, ad multas ſudorum differẽtias peruenire poſſumus. Nos autem, quę à tempore deſumi poſſunt, non omnes ſcribemus, tum quia in immenſum traheretur opus; tum etiam, quia multę parum vtilitatis à me eſſe iudicantur; paucioribus ergo contenti erimus, & ijs quidem, quæ magis vſuales eſſe penſitabimus.

Sudores ſumpti à tempore has tenent menſuras, Diurnus, Nocturnus, Matutinus, Meridialis, Veſpertinus. Quoad anni tempora, Vernalis, Æſtiualis, Autumnalis, Hyemalis. Quoad tempora morborum, Sudor in principio, aſcenſu, ſtatu, & declinatione morborũ, & acceſſionum factus. Diuerſi, Sudor ante, vel poſt cibum apparens. Sudor à motu, vel poſt motum erumpens. In curſu, deambulatione, palæſtra, exercitatione, coitu, Sole, balneis, laconicis, vmbra ſeu quiete factus. Inſuper incipiens, perſeuerans, & deſinẽs, vt volebat Diotimus Gymnaſtes, teſtimonio Teophraſti. Longus itidem, & breuis: quæ omnia ſi enodauerimus, nullam ſudoribus à tempore deſumptis difficultatem, obſcuritatemque ineſſe profitebimur.

De

De ſudore diurno. Cap. XVIII.

SVdores diurni à duplici oriuntur cauſa, procatartica ſcilicet, & interna. Procatartica calor ambientis, aeris tepiditas, indumenta calida, & vnumquodque è quo cutis rarefiat, humoreſq; fundantur, eſſe iudicatur. Interna autem copioſa humorum, excrementorumq; humiditas, corporis diſpoſitio, & facultas. Equidem calor ambientis potiſſimum cutim rarefaciẽdi, propter eius potentiam erit inſtrumentum: ſiquidem vis eius aperiendi, & fundẽdi humores apta exiſtimatur: recipit autem hoc à Solis natura, qui dum ſuper terram mouetur (loquor de die artificiali) facit diem noctibus calidiorem, corporaq; magis ad ſudores diſpoſita: dum etenim calor ambiens in corpora agit, internus calor ad calidum magis excitatur: hinc magis funduntur, & ſubtiliantur humorũ, & corporis excrementitiæ humiditates, & in ſudores vertuntur. Hoc item ab aeris tepiditate ſuccedit, idq; ex laxata, & humectata cute. Id etiam à calidis indumentis, & ab omni eo, quod cutim rarefaciat, & fundat humores. Interna cauſa copioſa, erat materia ſudorifica, corporis diſpoſitio, & facultas. Quoad primum materia ſudorifica poteſt conſiderari dupliciter, vel in ſanis, vel in ęgris corporibus: in ſanis erit materia potulenta, & cibalis humiditas: propterea hi ſudores cibi copioſam aſſumptionem, potuſq; præcipuè vini potentis præceſſiſſe indicant: ſiquidem ex his copioſa ſudoris generatur materia. In ægris verò ſeroſæ, humorales, & alimentales humiditates ſudorum cauſa eſſe poſſunt. Corporis diſpoſitio vel erit rara, vel denſa; cum rara copioſi fiunt ſudores; cum denſa verò nequaquam, ſed pauciores. Facultas, quæ ad ſudoris concurrit generationem duplex eſt, expulſtrix, & retentrix: ſi expulſtrix erit fortis, & retentrix imbecilla, copioſi ſuccedent; ſin è contra pauciores. Quibus narratis, facillimè cognoſcimus, quomodo diurni ſudores generari queant; ſi enim allatæ cauſæ fuerint intẽſæ, plures, ſiue copioſos ſuſcitabunt: ſin remiſſæ, pauciores: ſiquidem in ſanis, ſi potulenta, cibaliſq; humiditas ſuppeditabit: textura corporis fuerit rara, & expulſiua facultas valida, vtique aeris caliditas, ex diſpoſitione corporum ad ſudores quamplurimos mouebit: ſecus vbi pauca redundabit in corpore ſudoris materia propter cibi, potuſq; inopiam, vel præcedens ieiunium, aut longas paſſas vigilias: ſi cutis erit denſa, & retẽtrix

robuſta, ſeu expulſtrix languida. In ægris dum corpora parata ad ſudores reperiuntur, vtique in maxima copia ſudores ex aeris calentis auxilio erumpũt: in minori autem, ſi malè diſpoſita fuerint. Hi omnes cum lege naturæ fiunt ſalutares; exitioſi verò ſi morbi alicuius viribus eueniunt, iudicantur, cuius rei inquiſitio alibi tacta eſt. In præſentiarũ autem (quod maximè pro indagando ſudore diurno neceſſarium eſt) ſatis ſit à calore ambientis, facultate, & materia copioſa produci poſſe narratos ſudores: requiritur tamen ad eruptionem illorum aliquid ſtimuli, vt quod erat in potentia, reducatur ad actum, inter quæ motus, deambulatio, & aliquod exercitationis genus in ſanis corporibus prçſtabit; in ægris verò naturæ, vel morbi ob pugnas, vel irritationes prçcedentes criſes, & iudicia. Dies habet quatuor partes, Auroram ſcilicet, quæ ſecundùm Conſtan. ſimilis eſt Veri: Meridiem, qui ſimilis eſt Æſtati: Veſperam, quæ ſimilis eſt Autumno: Noctem, quæ ſimilis eſt Hyemi; ſecũdùm quas partes, correſpondentes Veri, Æſtati, Autumno, vel Hyemi ſudores oriri poſſunt, de quibus inferius agemus.

Sudores nocturni. Cap. XIX.

SVdores nocturnos à ſuperfluo cibo ingeſto, vel ab humoribus in corpore ſuperfluè redundantibus fieri ſcripſit Hipp. 4. Aph. 41. Hæc ſunt eius verba: Sudor multus ex ſomno factus abſq; occaſione manifeſta, corpus vti plurimo cibo ſignificat, quod ſi non aſſumẽti cibum hoc accidat, ſcire oportet, quod euacuatione indiget. Ex quo Aphoriſmo duas proponi concluſiones comperimus: vna eſt ſudoris multitudinem ex ſomno eruptam, multam cibi copiam indicare, ſiquidem natura noctu ſi illius onere grauabitur, per ſudorem humidiorem eius partem excernere conabitur. Secunda eſt: Corpora ex ſomno ſudantia, euacuatione indigere, niſi plurimus ſucceſſerit cibus, ratus forſitan Hipp. cibo moderato nullatenus grauari naturam, & perinde in ſudores non moueri; ita equidẽ ſunt eius verba interpretanda: ſi etenim quis, nullo prius ingeſto cibo, noctu ſudaret, quia forſitan defeciſſet, ſudorem à corporis labore inedia, & virtute debili euenire certiſſimum eſt, propterea non euacuatione, ſed refectione, & nutrimento corpus indigere, ne in peius ruat, coniecturandum puto. Idcirco Hippoc. verba ſano conſilio examinanda veniunt, quandoquidem enim ſudorem expanſum ex ſomno non à natura grauata

uata propter cibi ingeſti immoderãtiam, neque à virtute debili, neque vltimo ex humorum peccãtium ſuperfluitate cauſari, vt ex Hipp. ſcribitur, experimur: ſed ex alijs occaſionibus, ex exercitio nimirum prius facto, ex ſudorificis remedijs, ex calido, vel humido thalamo, vel calorificis operimentis: quippe omnia hæc, & ſimilia in cauſa eſſe poſſunt, vt corpora in ſomno exudent, licèt antea cibi, vel abundãtium humorum nulla interfuerit occaſio. Propterea Hipp. ſententia meliorē habet expoſitionem, dum Aphoriſmo adiunxit, ſudorem cauſari ex his, niſi ex alia euidēti cauſa fiat: ſiquidem à cauſis, quas adduximus, humores eliquantur, cutis rareſcit, pori aperiuntur, atque ſeroſa excernitur materia, profundato in ſomno naturali calore, & motum ſudoris adiuuante.

Sed conceſſo, quod ſudores nocturni non à cauſis euidentibus eueniant, ſed ab ingeſto cibo, veniamus ad verã ſapientiſſimi ſenis opinionis explicationem, & dicamus quid per hęc indicare voluerit. Equidē ſi benè noſcimus, ſudores nocturnos nõ ſolùm à copioſiori alimento: verum atque à copioſiori potu fieri perpendimus, immo promptiùs, & certiùs; eo quia ſudoris, naturalis materia, potulenta eſt, & ſeroſa, & quæ à potu capit originem: idcirco de vtroque in Aphoriſmo intellexiſſe Hipp. credibile eſt: ſiquidem ſudor à liquidioribus, ſeu aquoſioribus cibi, potuſq; humiditatibus producitur, vnde ſub nomine cibi, potum etiam intellexit; nam potus, cibus quodammodo eſt. Sed veniamus modò ad ſecundam concluſionem, quæ corporibus, propter ſudores nocturnos, euacuationem fore neceſſariã non ob aliud, niſi quia ij à peccantibus humoribus fiebant, indicabat: ſiquidem veriſimile eſt, niſi euenerint à ſuperfluo cibo, fieri ab humoribus, & proinde corpora euacuatione indigere: quæ autem hæc euacuatio intelligatur, & quibus perficiatur inſtrumentis non adhuc diſcuſſum eſt. Equidē mira eſt Hippocr. ſubtilitas, & ſapientia in omnibus ſuis ſcriptis, non dixit hìc corpora indigere phlobotomia, nec dixit egere pharmaco, ſed euacuatione; quia vtrumque ſub nomine hoc voluit amplecti auxiliũ: quapropter ſciendũ humores copia peccantes, in duplici verſari differentia, vel enim peccant plenitudine, vel cachochimia, ambo egent euacuatione, quo vocabulo vtens Hipp. ſudores nocturnos fieri vel à plectoria, vel cachochimia, & proinde euacuationē requirere, vel per ſanguinis miſſionem, qua curatur plenitudo, vel per medicamentum purgans, quo curatur cachochimia, aſſeruit: & hæc eſt genuina verborum Hippocratis interpretatio.

Sed adhuc reſtat difficultas in Hipp. ſententia: dantur enim aliqui ſudores nocturni, qui non à cibo, nec potu fiunt, ſed ab humoribus; nihilominus tamen euacuatione non egent, ſed alio præſidio. Hi ſunt ſudores critici, qui iudicant morbos, vel ſymptomatici, & colliquatiui, primi ſunt ſalutares, & nõ egent euacuatione, reliqui verò maligni, & reſtrictione potius egent, & virium reſtauratione. Profectò Hippocratis Aphoriſmus locum habet in ſanis corporibus, vel ſaltem morbis actu non laborantibus, quare non eſt, vt in præſentiarum loquamur de criticis, & ſymptomaticis ſudoribus, qui in ægris ſuccedunt corporibus, quorum inquiſitio alia indiget diſputatione.

Ariſtoteles aliam in ſudoribus nocturnis cauſam attulit 2. Probl. 16. & 28. dum dicebat: Ideo dormientes magis ſudare, quoniam calor internus auctus humidum colliquat, & per cutim expellit. Nec ſine ratione calorem iuternum in nocte augeri ſupponit; quippe is ex noctis aere frigidiori vnitur, & in ſomno internatur; quo pacto calidiora fiũt interiora, & in concoquendo, & eliquãdo calor fortiùs operatur, inde ſudores erumpũt. Huius opinionis videtur fuiſſe etiam Gal. 1. Aphor. com. 15. In ſomnis longioribus ſuperfluitates expurgantur: quæ quidẽ exquiſitè extenuantur per cutim, quæ verò in vapores conuertuntur per expirationem, quæ verò ſufficientem habent craſſitudinẽ per vrinas. Iſti autem ſapientiſſimi viri facillimè conciliantur: Hippocrates enim ſudores nocturnos quoad materiam, Ariſt. verò, & Gal. quoad cauſam efficientem conſiderauit. Sed non eſt prætermittenda dubitatio Ariſt. 2. Probl. 15. Cur ea parte, qua iacemus, ſudare nõ poſſumus? An quoniam (ait) pars, quam tangimus, cum plus quàm modicum ſit, incaleſcens prohibet, ne permeet ſudor, reſiccat enim, atque abſumit, item comprimi eam partem, ſic euenit; hæc verò ſanguinem cõpreſſa diffundit, quo diffuſo, ſatis refrigeratur. Et Probl. 4. aliud affert quæſitum in hoc propoſito: Cur magis ſuperiori corporis, quàm inferiori parte ſudemus? Vtrum quoniam (ait) calor ſurſum tendit, ſuperq; manet, propterea humorem ſecum trahere poteſt. An quoniam ſudorem ſpiritus moueat, qui ſedem habet ſuperiorem, an quia ſudor nonniſi humor eſt incoctus, quo certè humore pars humet ſuperior, habitus etenim corporis ſupra potius innoteſcit. Sed de hac vltima ſolutione alibi nonnulla dicta ſunt.

Princeps Auicenna 4. 2. tract. 1. cap. 68. ſudori nocturno diuerſam ab Hippoc. Ariſt. & Gal. cauſam videtur aſſignare, anhelitus videlicet magnitudinem, qui moueat materias ad exteriora, dicebat enim: Somnus

nus plus facit ſudare, quàm vigilia, quoniam calor innatus in eo plus agit in humiditate, & quia nocumentũ anhelitus in ipſo eſt difficilius, & illud mouet materias ad exteriora: at in hoc nulla eſt contradictio, quia anhelitus difficultas à calore intus contracto euenit, qui indiget maiori aere, ad corporis euentilationem, cuius cauſa anhelitus fit difficilior; quod autem non differat ab Hipp. cognoſcitur ex his, quæ inferius adduxit. Sudor plurimus cum ſanitate virtutis non fit niſi propter multitudinem materiei, cui pertinet, vt expellat eã natura, & illa multitudo aut fit per cauſam propinquã, quæ eſt repletio propinqua, & repletio propinqua, eſt cibis ſumptis tunc, & hanc repletionem expellunt fames, & exercitium, & ſudor, qui expellitur per naturam, aut fit per cauſam antecedentem longinquam, quę eſt ex ſuperfluitatibus antecedentibus, & non excuſat in huiuſmodi, niſi euacuatio mundificans corpus ex eis, per ſudorem verò fortaſſe nõ egreditur de ea, niſi illud, quod ſubtile eſt, tenue, paruum, &c. Hæc Auic. Tu verò ſi alia cupis, lege Rodiginum lib. 6. antiq. lect. cap. 4. qui multa recitat huic capiti conferentia.

Sudores matutini, meridiales, & veſpertini. *Cap. XX.*

SVdores matutini licèt ſapiant nocturni naturam, eo quod tempus matutinum noctis pars extrema ſit, ex quo à cauſis prænarratis fieri poſſe veriſimile eſt: veruntamen, quia aliæ ad horum concurrunt generationem, noluimus caput hoc ſine inquiſitione relinquere; ſiquidẽ nox, in qua ſomni exercentur, in principium, medium, & vltimum ſecatur: vtitur hoc ordine natura ad ea reparãda in corpore, quæ laboribus, vigilijs, & exercitijs penè conſumpta ſubſidio indigebant. Somnus profectò ad duo naturaliter conſtituitur, ad ſubſidium vegetatiuarum potentiarũ, quę in animalibus (vt vtar verbis Frãciſci Titelmanni lib. 10. Philoſ. c. 22.) per virtutum animalium vſum, & exercitium impediuntur, & ad reparationem virtutum animalium, quæ in ſuis exercitijs fatigantur continuo labore. Hinc plurium horarum ſpatium ad ſomnum exigitur, maximè autem propter vegetatiuas potẽtias: ſiquidem in ſomni principio nutritionem pręſertim adiuuari; minimè autem ſenſuum fieri reparationem perpendimus. Experientia docet in ijs, qui in principio, vel paulò poſt ſomni principium excitantur, ſeu ante ſomni medium aſſur-

aſſurgunt, quippe animalibus viribus multo magis eſſe proſtratos, quã ſi nullatenus prius dormiuiſſent cognoſcimus. Hic autem labor non per horam, ſed per ſpatium ſequẽtis diei ſentitur, quo tempore, quaſi ebrij, nullo ſenſu, nulloq; motu ordinatè incedunt, perturbatis animalibus viribus, quibus nulla ſentitur reparatio. Cęterum ipſa ſenſuum reparatio, maximè videtur circa finem ſomni poſt medium eius fieri: tendit enim natura prius ad id, quod animali eſt neceſſarium; ſecundò ad id, quod vtile eſt: idcirco prior eſt nutritio, quàm ſenſuũ reparatio. His peractis, inſurgit natura in vltima ſomni parte, quæ matutina eſt, ſeu aurora, ad potentiam generatiuam adiuuandã, conuertẽs id, quod ſuperfluerat alimenti, in ſeminis naturam, vt pronior, & paratior ſit homo ad generationis effectũ: quo tempore niſi excitati aſſurgimus, illuſiones fœdarum imaginum, pollutiones, & ſpurcitias experimur: ſuos enim exercet actus generatiua potentia, periculoſumq; iudico ſomnum matutinum religioſis hominibus, & ijs, qui mentis, & corporis caſtitatem incontaminatam ſeruare queunt.

Ex narratis itaque aſpicimus, in ſomni principio fieri partiũ corporis nutritionem, poſt medium vigorari ſenſus animales, in fine verò ſomni, & in hora matutina excitari potentiam generatiuam: quibus ſtantibus, veniamus ad incœptum. Sudores nocturnos, qui, ſecundùm Hipp. vel à ciborum, vel ab humorũ redundantium copia oriebantur, vtique in principio, & in medio ſomni ſuccedere par eſt, atq; tunc maximè cùm attenditur nutritioni, & augmẽtationi, ſenſuumq; à natura reparationi, quo tempore ſuperfluitates extenuatæ à calore facillimè per cutim excerni poſſunt: quod ſi concluſio hæc locũ habet in Hipp. ſententia, dubios nos reddit de inquirenda matutini ſudoris materia, cùm natura ad opus diuerſum à primo petranſeat, quippe ad generatiuas materias. Eſt equidẽ magnæ ſpeculationis negotium, num ſemen, quod eſt excrementum vtile, & ſuperfluitas vltimi alimenti, poſſit excerni per ſudorem, & ſit materia illius in matutina hora? Profectò videmus pueros ſæpè in aurora exudare, his autem generatiua potẽtia adhuc neceſſaria haud eſt, proinde dato, & conceſſo, quod totũ natura ad nutritionẽ, & augmentum dirigat, quod ex cibis, & potu pro alimento acceperint, tamen quia tanta eſt eorum voracitas, atque tanta ciborum copia, quam exhauriunt, vt grandis ſuperfluitas renaſcatur continuo: eam autem cum in ſeminis naturam vertere nequeant, in ſudores, & in alias excretiones commutant. Quare coniecturandũ proponitur materiam, quæ pro ſeminis generatione inerat, per ſudores

forſitan

forſitan totam excerni poſſe? In grandioribus verò alia vtitur cautela natura ipſa; peracta enim nutritione, augmentu, & ſenſuum reparatione, ſuperfluum alimenti in ſeminis naturā tranſmutat: tamen ſi copioſa fuerit materia, videtur illud forſitan ſuperfluum, niſi pollutione in ſomno, vel coitu excernatur, per ſudores hora matutina erūpi poſſe, vt dicebamus in pueris: namq; ſi in principio, & medio ſomno ſudoris nocturni materia ſuperfluitas erat ciborum, vel humorum, in vltimo ſomno, quia inſurgit noua ſuperfluitas, quæ ſeminalis eſt, ergo illa videtur excerni tempore matutino.

Sed aliter res ſe habet, & digreſſiones noſtrę intimiùs ſunt perſcrutandæ, ſi materiā matutini ſudoris inuenire cupimus. Hanc nulli dubium eſt portionem quandam ſuperflui alimenti, quod in ſeminis naturam erat reducendum, ineſſe: ſed attende, quòd portio hæc non ſeminalis eſt, quia eſſet ſanguis, ſed ſeroſa illa materia, quæ in maſſa ſanguinis prius erat, procedens à potus, cibiq; miſcela, nulla differentia diſtans ab ea, quæ in principio, & medio ſomno per ſudorem poterat euocari, niſi quod aliquātulum fuerit magis elaborata, eo quia portio hæc ab habitu corporis, illa verò à profundioribus venis excernitur. Ita dicendum eſt in ſudoribus puerorum tempore matutino, quippe materia, quæ euacuatur, vel ſeroſa, vel humoralis eſt, minimè autem ſeminalis, quia ſanguinea eſſet, & ad corporis excidium erumperet. Pars verò, quę in grādioribus in ſemen cōuertitur, perpurgatur prius, deinde immiſſa ad vaſa præparantia, ad teſtes conducitur, vbi vltimò ſeminis, & naturam, & ſtructuram acquirit: nec per ſudores euocatur, tum quia regreſſus iterum ad venas per varios anfractus perdifficilis eſſet, tum quia conſeruat illud natura, pro generationis actu; in copioſa autem materia ad exonerandum animal, pollutiones producit, niſi illud minori victu, vigilijs, vel ieiunijs prius fuerit reſiccatū, vel coitu excretum, dum matrimonio homo fuerit coniunctus. Vnde perbellè Ioannes de Vito lib. 1. de cau. calamit. cū demonſtraſſet ſemen retentum in viris timoratis minimè fieri venenū, illud aſſeruit per diuerſas corporis partes poſſe expelli, dum aliqua ſeminis portio gignitur, per meatus ſcilicet vrinarios, per poros, per aures, per oculos, per canales excrementorum, per ſuturas, per nocturnas pollutiones, & per quaſcunq; partes natura congruas inuenire potuerit. Et ſi Gal. in 6. de loc. aff. adducit exemplum de noxa ſeminis in hyſtericis mulieribus, & viduis, hoc ſubaudire licet, quia intēperatè, & licentiosè vixerant olim, & adhuc viuebant abſque bonis Religionis moribus. At non ex hoc, quod

quod natura ſeminales materias pèr aliquas poſſit excernere partes, ſudores ex ſemine fieri arguendũ eſt: hoc enim intelligitur quoad minimas portiones, quippe in copioſa ſeminali materia natura conſueuit ad pollutionis auxilium deuenire, vel per vrinarios meatus eius abũdantiam excernere: idcirco ſudores matutini non ex ſemine peracto fieri poſſunt, ſed ex ſeroſa humiditate, quæ erat in venis, vel ab humoribus ipſis ſuperfluentibus, calor enim naturalis ex ſomno auctus hæc omnia poterit eliquare, & in ſudores vertere.

Sudores meridiales diurni ſapiũt naturam, ſiquidem in die ratione ambientis caliditatis, rarior fit cutis, proinde humiditates corporis facilius foras euocantur: de ſudore hoc Hipp. mentionem fecit in Epid. dum narrat, Periclem in Abderis ægrotaſſe, & tertia die circa meridiem ſudaſſe multo calido: in huius expoſitione ſcriptores, ſudorem potiſſimum (aiunt) circa meridiem eſſe factũ; quia ea pars diei omniũ eſt calidiſſima, & maximè ſudoris generationi accõmodata, eo quod corpora tũc maximè rara, & aperta sũt: propterea iure videtur Hipp. 2. Epidem. meridiem aſſimilaſſe Æſtati, & veſperã Autumno, eo quia magis Æſtate, quàm Autũno ſudamus. De materia huius ſudoris, paucis pro ſpeculatione indigemus: ſiquidem in ægris à materijs humorũ peccantium, atque excrementis cum ſero miſtis ſudores produci poſſunt: in ſanis verò à potulenta materia, ſeroſiſq; humiditatibus; calor enim in meridie in humiditates, & excremẽta agens tertię coctionis, ſerum eligit, & propter cutis raritatem in ſudores euocat. Veſpertini ſudores, quia nocti proximi ſunt, ſudoribus nocturnis aſſimilantur: quapropter fieri poſſunt à cibo ſuperfluo, & largiori potu, & vini prę cipuè potentis, quod corpus calefaciens, calorem naturalem ſtimulet ad pororum cutis apertionẽ, è quibus humiditates extenuatæ excernuntur. Vel forſitan à circumſtanti frigore veſpertino, quod vigorans calorem ex vnione fugæ, cogat extenuare humiditates, & ſudores cauſare. De quibus hæc pauca ſufficiunt.

Sudores circa anni tempora, & primò Vernales. Cap. XXI.

QVatuor ſunt anni tempora, quę duobus Æquinoctijs, duobuſq; Solſtitijs terminantur: fiunt Æquinoctia in Ariete, & Libra: Solſtitia verò in Cãcro, & Capricorno, è quibus Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems reſultant. De ijs ſudoribus verba facturi ſumus, qui in huiuſmodi temporibus

eue-

euenire poſſunt, primùm autem de vernalibus: ſiquidem Ver, ſecundũ Aſtronomos, qui Arietem primum è cœleſtibus ſignis conſtituunt, prima anni pars eſſe iudicatur.

Veris principium, vt Gal.3.Aphor.com.14. Æquinoctium eſt poſt Hyemem, atque ad ortum Pleiadum prima hęc anni pars extenditur: à Gal.1.de temperam.cap.3.calida, & humida, ſeu temperata appellatur. Verum quia in cap.4.omniũ aeris temperamentorum peſſimum id exiſtimauit, quod calidum eſt, & humidum, videtur à multis quaſi inconſtans, eo quia in lib.de nat.hum.comm.1.tex.36.Ver tempus ſalubre, & temperatũ eſſe voluit. Equidem in hiſce locis videtur quędã diſparitas, eo quod modò calidum, & humidum, modò verò temperatum, Ver appellatur: ſed cum eodẽ Gal.in 1.Epid.com.1.com.6.tota dubitatio diſſoluitur; ita enim Ver deſcripſit. Humiditate, calore, frigore, & ſiccitate, tempora anni mutuo diſtant, nam hyems quidẽ humiditate alijs, frigoreq; pręſtat; æſtas item calore, ac ſiccitate; Ver planè in medio eſt vtriuſque, nam in vtraque oppoſitione neutrum alteri illic præſtat, neque ſicco humidum, neque calido frigidum, verùm eſt quaſi ambarum æquilibrium oppoſitionum, ęquabilitaſq; horarũ omnium totius prope diei, & noctis, atque nulla in illis fit magna immutatio, aut exuperantia, cuiuſmodi conſpicias in Autumno. Ecce modò quomodo Gal.intelligitur, & quomodo vernale tempus deſcribatur; illud enim ſi eſt calidum, & humidum, non eſt vnumquodque tale, ſed quod eſt temperatũ in ſuis qualitatibus, & ſic ceſſat omnis diſparitas. Verùm vt materia hæc lucidiùs capiatur, ſciendum exiſtimo, vernale tempus tribus ſignis cœleſtibus conſtitui, Ariete ſcilicet, Tauro, & Gemini, quorum primum eſt mobile, ſecundum eſt fixum, tertium eſt commune, facilè intelligor ab Aſtronomis: propterea Ver ipſum tres habet partes, prima aſſimilatur quodammodo hyemi, ſecunda eſt tẽperata, tertia aſſimilatur ęſtati; idcirco cum Ver temperatũ eſſe aſſerimus, de ſecunda eius parte intelligere oportet, cùm extremæ deflectant ad vicinarum partium naturam, quod non facit ſecunda in ſigno fixo, vbi Sol dicitur fixus ſtare.

Hæc omnia pro indagandis ſudoribus, Vernali tempore ſuccedentibus exiſtimaui neceſſaria: veniamus ergo ad illos. Equidẽ Vere magni ſuccedunt ſudores vel ratione materiæ ſuperabundantis, vel caloris, vel raritatis, & laxitatis corporum, de quibus omnibus diſputabimus. Contingunt ſudores vernales primò ratione materiæ, quę illic temporis admodum ſuppeditat: ſiquidem ex duplici oritur cauſa, ex

 reple-

repletione nimirum ciborum, qui propter ventres calidos, & ſomnos longiores ingeruntur, quorum ratione grandis ſuſcitatur famis, atque ex ſuperuacua humiditate, quæ per pręcedentē hyemē fuerat coacervata; nec mirum, conſtat enim hyemem eſſe humidam, & ex eius origine vernali tempore multos ſuſcitari morbos: hinc Hipp. 3. Aph. 20. dicebat, verè dolores podagricos, articulares, dyſſenterias, & alios moueri morbos, nec ob aliam cauſam, vt multi exponūt, quàm ex aggregata materia in hyeme, à qua illi producūtur, ſuccedente noua veris conſtitutione: de qua re Gal. doctiſſime ſcripſit 6. Aphor. com. 55. vbi in vere longas excitari ægritudines propter hyemem tranſactam demonſtrauit. Propterea cùm vere copioſa ſuppetat materia, & humiditas cibalis, humoralis, & excrementitia, vt ex adductis manifeſtatur cauſis, nulli dubium eſt, copioſos poſſe moueri ſudores.

Procedunt etiam à duplici calore, interno ſcilicet, & externo, ſiquidem hi coaceruatam materiam, vel ex hyeme, vel ex cibis ſubtiliare, & extenuare valebunt, & in ſudores vertere. Profectò quoad internū, & naturalem calorem ex Gal. 1. Aphor. com. 15. vere magnū, & validū eſſe percipimus: huius rei indicium eſt coctiones, ſanguificationes, & nutritiones illic temporis perfectas fieri: hæc ſunt verba Hipp. in Aphor. Vētres hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, quare per ea tēpora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus eſt, &c. Si ergo validus, & potens ex rationibus antedictis calor eſt; ſudores (extenuatis prius corporis ſuperfluitatibus) ſuſcitabit. Ab ambienti calore actio hæc etiam adiuuatur, namq; ſi Gal. credimus 3. Aphor. comm. 20. Ver moderato ſuo calore corporis humiditates, & humores, qui ſunt in profundo, ad circūferentiam trahit, & magnos ſuſcitat ſudores: ratio eſt, quia ij per modū vaporis, vt in calidiſſimis temporibus fieri ſolet, minimè diſcutiuntur: hinc motus Hipp. 3. Aphor. 6. dicebat. Quando æſtas fit veri ſimilis, ſudores in febribus multos expectare oportet: qua ſententia propterea plurimos ſuccedere ſudores, quia materia eſt copioſa, & agens eſt validum ad mouendos, manifeſtauit. Hoc volebat etiam inferre Gal. 1. Aphor. comm. 15. cùm aiebat, verè humores internos colliquari, & magis extra compelli.

Sed occurrit dubium in dictis Hipp. ipſe enim comparans æſtatem vernali tempori videtur aſſerere, plures fieri ſudores in vere, quàm æſtate; quod tamen oppoſitum eſt. Multi volentes hoc ſoluere, dicūt, vere plures fieri ſudores, quia in ęſtate ſudores moti in halitū ex vehementi

menti calido diſſoluuntur, quod vere non contingit. At quæſitũ hoc aliter ſoluitur; ideo dicimus in æſtate plures eſſe ſudores numero, quã in vere, non tamen quantitate; intelligitur autem hoc, quando æſtas propriam ſeruat naturã, quam niſi ſeruauerit, fueritq; veri ſimilis, tunc numero, & quãtitate plures, quàm in vere videãtur, ſudores ſuſcitabit.

Sed inſurgunt noua problemata. Primum eſt: Cùm in hoc Aphoriſmo de ſudore in febribus mentio fiat, dubitatur, An quando æſtas ſit veri ſimilis, expectãdi ſint ſudores in febribus ſolũ, an in alijs morbis? & ſi ſic, cur tantùm febribus ſuccedere Hipp. dixit? Secundum. Si ſudores ſunt expectandi, cum hi, & critici, & ſymptomatici reperiãtur, de quibus loquatur Hippocrates? Ad primum dicimus cum Gal. in com. non ſolùm expectandos fore ſudores in febrium iudicationibus, verùm atq; in alijs morbis, qui ſudoribus finiri poſſunt: in febribus verò tantùm meminiſſe Hippocratem, namque illarum proprium eſt, vt Gal. 3. de criſib. c. 3. niſi defecerit materia, poſſe ſudoribus terminari. Ad ſecundum dicimus de vtroque ſudore, ſecundùm Hipp. mentem, nos poſſe intelligere, principaliter tamen de critico: ſiquidem ambo in febribus contingunt; hæ ſiquidem frequentiores in æſtate, quàm vere videntur, & frequentius ſudoribus iudicantur.

Vltima cauſa ſudoris vernalis laxitas, & raritas erat corporum; de hac loquebatur Gal. 1. Aphor. comm. 18. cùm dicebat. Nam refrigerari, & cogi in vnum, atque denſari corpora autumno, laxari verò, & rara fieri verno tempore, cuius ratio tanquam aperta, & clara, non eſt pluribus deſcribenda: bene enim experimur vere ex caloris, humiditatiſq; moderantia corpora rara, & laxa fieri. Ex alijs etiã produci poterunt verni ſudores: ex his autem cauſis potiſſimum, cum principaliores exiſtant, vt Gal. 3. de cau. ſymptom. cap. 2. Idcirco ſufficiãt hæc.

Sudores æſtiui. Cap. XXII.

IN æſtate pluribus de cauſis ſudores hominibus eueniunt, etenim à corporum raritate, & laxitate, ab aeris calore, humorũ ſubtilitate, & à materia ſudorifica admodum ſuppeditante erumpunt; ab alijs etiã minus principalibus eueniunt, hæ autem, quia ſunt paucæ conſiderationis, omittũtur. In æſtate magna oritur aeris caliditas, & ſiccitas, propter maiorem Solis ad nos vicinitatem; ipſa enim principium habet ab ortu Pleiadũ,

quæ ſeptem ſunt ſtellæ,ſiue ſex, ſecundùm aliquos, in dorſo Tauri, & deſinit oriente Arcturo, qui principium facit autumni. In eius medio Canicula,& Syrius oriuntur, quæ duæ ſunt ſtellæ calidiſſimæ, vna in lingua, altera in Canis capite conſtitutæ, vt Higinius in lib.3.de ſtell. in cap. de Cane maiori, tantamq; aeris hæ producunt incendium, vt corpora humana, præ ardore, à quo diſſipatur innatus calor, langueſcant. Canes in rabiem trahuntur; furiunt viperæ,& ſerpentes, vt Gal. 2. de loc.aff. æſtuant maria, aer occultam nocendi qualitatem cõcipit, & ſemina, vt 5.Aph.com.62.habemus, iacta ſub Syrio non naſcuntur. Qua occaſione motus Hipp.4.Aphor.5. ſub Cane,& ante Canem decretauit, difficiles eſſe medicationes: tũc etenim noſtra natura exuſta, quæ à medicamentis ſoluentibus prouenit, non ſuſtinet acrimoniam, quod ſi in morbis turgentia materiæ ad euacuationes moliendas Medicos cogit, vtique ad mitiſſima (qualis eſt caſſia, manna, ſerapia, & roſis ſolut. vel violis, rabarbarum correctum,& ſimilia cum exquiſita cautela) pharmaca deueniũt, ne corpora à præcellẽti caliditate labefactata penitus langueſcant, vel forſitan hoc nouo ſtimulo moriãtur.

Cùm ergo æſtas calida ſit,& ſicca, corporibus hãc diſſeminare qualitatem, credere non arduum eſt: propterea cutim rarefacit, poros aperit, & ſudores elicit: ſiquidem humores quadam lubricitate, vt ita loquar, fluunt, & in tales excretiones vertuntur. Huius rei volens Ariſt. reddere rationem 2.Probl.40. dicebat: An quod per æſtatem, propter corporũ laxitatẽ, non multus naturę calor continetur, humoreſq; proinde reſoluere in ſpiritum poteſt:& Probl.33.idem repetens dicebat, ex rara, ſolutaq; carne, calorẽ debilitari, humoreſq; minus cõcoqui, ex qua cauſa exhauriendũ conſulit ſudorem, quoniã ſi permanſerint, temporis eius qualitate, putreſcent, morboſq; contrahent: nam quod ſuo calore cõcoquitur, externo putreſcit. Laxitas ergo non ſolùm æſtiuo tẽpore ex calidi natiui imbecillitate corporibus contrahitur, verũ atq; raritas ab illius feruido aeris calore: hinc facilior & ſanis, & infirmis corporibus ad ſudores datur aditus; debilitato enim naturali calore, delaxatur corpus, & facultas retentrix minus ſolito eſt viuacior, expulctrix autẽ robuſtior, hinc ad ſudores ſuſcitãdos inſurgit.

Sudores itaque æſtiui, ex raritate, & laxitate corporum fiunt, & à potẽti aeris calore, quippe calidum illud balneo trahenti aſſimilatur, à quo corporis humiditates à centro ad circumferentiam extrahuntur: quapropter calidiores cùm fuerint æſtates, plures hauriuntur ſudores, ſin autem mitiores, quale eſt tempus vernale, pauciores nume-

ro,ſed quantitate copioſi,vt alias tetigimus,erūpere ſolent. Ego quidem calidam æſtatem domibus cameratis, in quibus artificio, vel natura aer ſit concalefactus comparo ; ſiquidem homines illas ingrediētes,in ſudores profundi experimur;à vi enim caloris,veluti à cucurbitula eorum corporum humiditates trahuntur. Ipſe profectò dū eſſem Ænariæ,& Puteolis in huiuſmodi ingrediens domus, copioſos paſſus ſum ſudores. Credo Romanorum Thermas tali conditas fuiſſe artificio, vt ſudores elicerent, ſiquidem illarum reliquiæ iam Romæ clarè demonſtrant. Harum veſtigia cùm viderim(iam multi ſunt anni)inter Mineruā,& templum Diuæ Mariȩ Rotundæ, antiquitùs dicta Agrippinæ, non potui non mirari Romanorum luxus & in balneis, & in talibus ædificijs impenſas. Thermæ enim Antonianæ in monte Auentino,licèt temporis iniuria dirutæ videantur,de earum ſtructura marmoreis lapidibus conſtructa, ſuperbiſq; ornata columnis non eſt qui non maximopere admiretur. Multa de his ſcribit Polidorus Virgilius lib.3.de inuent.rerum, cap.13. Quid dicam de Puteolanis Thermis,in quibus Romani maximè in luxu,& epulis effuſi, non paruam anni partem conſumebant? Hodie luxus hic in Ægypto exercetur,vt Proſper Alpinus 3.lib.de Medic.Ægypt. Sed redeuntes ad inſtitutū de ſudore ȩſtiuo,videamus Ariſt.2.Probl.9.de negotio hoc ita loquētem : Quare Sol cū nuda magis,quā induta calefaciat corpora, induta magis ſudare ſoleant? Equidem dubiū hoc videtur quodāmodo diſſentire à fundamentis noſtris: ratio eſt,nā corpora nuda ſi magis calefiūt, magis etiā exudare deberent: oppoſitum tamen cernitur. Reſpondet Ariſt. obiectioni: Ideo potius induta corpora ſudare, quàm nuda, quia Sol corporis deurendo, foramina comprimat, vel quia vapores exiccet, quȩ indutis accidere minus poſsunt: hinc Probl.19.dicebat, capite,& pedibus caleſcentibus, ſudores maximos excitari, nam humorem ad ſe membra incaleſcentia trahunt: in quo problemate, maniſeſtiſſimè ſudores à calido trahi, & excitari, dummodo obſtaculum non fiat,vt erat in nudis corporibus,conſpicitur. Quia autē loquimur de æſtate quoad aeris calorem,ſciendū volo,cōparari poſſe æſtatē ad reliqua anni tēpora duobus modis,primò abſolutè, & quatenus eſt in ꝓpria natura,& tūc plures numero in ea fieri ſudores,reliquis tēporibus dicimus:ratio eſt,nam calidior eſt omnibus. Secūdo cū mutauerit naturā,& tunc naturis aliorū temporū aſſimilari cognoſcimus: poterit enim ipſa humidior eſſe conſueto,vel minus calida:cùm autē ipſa in ſuis fuerit confinibus,ſudores ſuſcitabit,& eos quippe non moleſtos;

ſi nos

ſi nos moderatè eius vires experiri procuramus, ſiquidem tales ſudores, criticis comparantur; ſecus autem ſi nos aperto aere diutiùs, & cũ labore incendium, & ſudores cõpatimur. De his ita loquutus eſt Gal. 3. de cau. ſympt. 2. Vt verò ad ſudores tranſeamus, vbi ij reſoluto corporis habitu eueniunt, affectus vocatur ſyncope, cuius ſanè rei cõtrarium per ſudores criticos accidit, quippe qui robuſtas vires annunciant. Eis autem ſudores ſunt ſimiles, quos modica exercitatio, & balneum, & calor æſtiuus euocat.

Altera in æſtate ſudorum occaſio humorum eſt ſubtilitas, hæc autẽ ab eius calore etiam prouenit, illius enim potentia tales extenuare, & ſubtiliare, vt Ariſt. 2. Probl. 21. exiſtimatur. Equidem vt calor natiuus, ad animæ imperium corpus tuetur, & conſeruat, quod vt hoc faciat, modò cõſumit excrementa, modò ſubtiliat humores, modò incraſſat, concoquit crudum, digeſtũ in alimẽtum dimittit, placidaq; methodo ad indiuidui ſalutem cuncta operatur: ſic aereus, qui licèt quodãmodo coadiuuare naturalem videatur, ex hoc, quia illum à torpore excitat à frigore contracto; nihilominus, quia in ęſtate magnus eſt, non excrementa conſumit, ſed eſt in cauſa, vt in copia generentur: non ſubtiliat humores, nec incraſſat ad corporis tuitionem, ſed potius ſua caliditate extenuat, & fluxibiliores ad eius reddit detrimentum; ratio eſt, nam illic tẽporis naturalis minor eſt, adſcititius verò maior: ita diſputabat Gal. 2. de temperamentis; idcirco eius vigent opera, quæ ſunt calefacere, extenuare, aperire, & ſubtiliare humores corporis. Hoc totũ videns Hipp. 4. Aphor. 4. æſtate decretauit per ſuperiora, hyeme verò corpora per inferiora purganda fore: nec aliud hic admirandus ſenex inferre volebat, quam humorum ſubtilitatem, & craſſitiẽ, quarũ prima viget in æſtate, propterea natura per ſuperiora ab ingẽti calido extenuatos, & rarefactos eleuat humores, & vomitu purgat: vltima hyeme redundat, & per ſedem faciliùs eijcitur. Si ergo ſubtiles, & rarefacti æſtiuo tempore ſunt humores, breui tractu ad cutim, tum in ſanis, tum in ægris corporibus trahuntur, & in ſudores erumpunt: quod forſitan volens demonſtrare Alexander Aphrodiſeus 2. Probl. 7. ſic dicebat: Igitur natura cùm variè materiam noxiam reijcere tentet, ſi tenuis materia ſit, & vires ſuppetant, & tempus calidum iuuet, per ſudorem cauſam morbi exhaurit.

Vltima cauſa æſtiui ſudoris ſuppeditans, & ſuperabundans eſt materia, adeò quod humores tum ſubtiles, tum copioſi eſſe poſſunt: illic enim temporis magis ſitire, & magis potare homines, quàm in alijs tempo-

temporibus cognoſcimus, nam eorum corpora, quia ſicciora fiũt, largiori indigent potu, vt humectari queant, quo deficiente, in calidas, & ardentes febres ſæpiſſimè incidunt, vt Hipp. 4. de rat. vict. in acut. c. 1. de longa ſiti in æſtate paſſa adnotauit: qua occaſione idẽ motus in lib. de ſalubri dieta dicebat: Hyeme bibendum, quam parciſſimè, ſed meraciſſimum vinum, æſtate verò multum, & dilutè, eo quia illa tẽpeſtate, quammaximè redundat bilis calida, & ſicca, pro qua temperanda potus largus opus eſt: proinde copioſa humiditas ſeroſa innaſcitur, quæ ſudoris cauſa eſt: nam ſi copioſior eſt potus, veriſimile eſt ſudoris largiorem materiam generari, namque manifeſtum eſt, ſudorẽ à potus oriri materia præcipuè in ſanis: inde experimento certi ſimus ex hac copioſa materia quamplurimos in æſtate produci ſudores. In ægris etiam breui tractu ab humorum peccantium copia, multos perpendimus fieri ſudores: idq; volebat Hipp. innuere, vt credo, 4. Aphor. Vbi ſudor, ibi morbus, ſiquidẽ illic adnotabat morbi adeſſe materiam vbi erat ſudor; quo pacto nos inferre poſſumus, tunc ſudores fieri, cũ ſuppeditat materia, at in æſtate multos fieri videmus, ergo in æſtate magis ſuperfluit materia. De hac copioſa materia volens Ariſt. loqui 2. Probl. 10. faciem probauit maximè ſudare; nã illa in capite exiſtens, quod eſt fons humiditatis, humoris recipit magnã copiam, quæ ſudore euocatur, & Probl. 14. diſputauit; idcirco tergo, quam priori parte homines ſudare, nam pars illa ſpinæ inhæret, quæ ratione medullæ multum humiditatis excernit. Ecce modò, quod in æſtate plurimi ſuccedunt ſudores: nullum enim tempus adeò ſudoribus euocãdis diſpoſitum eſt, quam illud; ratione enim caloris ſubtiliãtur humores, & excrementa, & euocantur, eadem cauſa diſponitur cutis, & corpus ad raritatem, & laxitatem, quæ ſunt viæ, & itinera ſudorum; tandẽ continuò illorum materia ſubcreſcit, & occaſione ſitis à calore concitatę augetur: hinc ſubtilitas, & copia, & humoribus, & excrementis ſubnaſcitur, & ſudoribus datur aditus. Quæ omnia cùm ſint lucida, non plura opus eſt vt afferamus.

Sudores autumnales. Cap. XXIII.

AVtumnus oriẽte Arcturo incipit, & ad occaſum Pleiadum extenditur, quo tempore incipiunt corpora denſari, refrigerari, & cogi in vnum, namq; humorũ motus, teſtimonio Gal. 3. Aphor. com. 22. ad interiora refugit: cutis conſtringitur ob ſuperuenientem frigiditatem, ex qua occaſione

multi

multi morbi frigidi oriuntur, quales ſunt febres quartanæ, erraticæ, morbi comitiales, à qua inter cutem, & ſimiles; ita vult etiam Hipp. in allegato loco. Hinc facilè coniecturandū in autumno, ſudores non liberaliter dari, cùm ab externa frigiditate impediantur, quod volens Gal. apertiùs declarare, in allegato Aphoriſmo edocuit, idcirco vrinæ ſtillicidia in autumno ſuccedere; nam veſſica in repentinis, & inordinatis ad calidum, & frigidum permutationibus, refrigeratur, & quę ex malis humoribus fiunt acredines ipſam moleſtant; tum præſertim, cū facta ad frigiditatem ſubita commutatio eos, qui antea difflabantur, & per ſudores euacuabātur humores ad veſſicam conuerterit. Quę omnia certiſſimum videntur adducere teſtimonium, in autumno ſudores non dari. At res alio modo intelligitur. Etenim autumnus licet qualitatem habeat, quam adduximus; ſudoribus tamen non caret, quod validiſſimis probabimus fundamentis. Primum capiemus ex eodemmet Gal. in alleg. loc. qui in autumno aſſerit, multos æſtiuos morbos fieri, nam prima eius pars, tanquam æſtati proxima, procreat illos, hinc arguimus. Morbi æſtiui magna ex parte ſudore terminantur, nam fiunt ex humoribus ſubtilibus, & bilioſis, qui facillimè per ſudores euocantur: ſed in autumno tales fiunt, ergo in hoc fiunt ſudores. Secundò, quando fiunt morbi, qui poſſunt terminari cū ſudoribus, ſudores fiūt; ſed tales fiunt in autumno, vt Hipp. ait, ergo in autumno apparent ſudores. Tertio, autumnus in tres diuiditur partes, prima correſpondet æſtati; ſecunda quodammodo verno tempori propter tepiditatem; tertia hyemi propter frigiditatem; igitur in prima ſuccedunt ea, quæ in æſtate; in ſecunda, quæ in vere; in tertia, quæ in hyeme: hoc itaque pacto ſudores in autumno fieri poſſunt. Præter hęc etiā experimento obſeruamus, in autumno languentes in ſudores erumpere, & ijs ſudoribus multos affectus terminari. At ſi hoc verum eſt, vt probauimus, vtique Gal. contradicere videmur in loc. alleg. propterea ſciendū volumus, illius verba fore intelligenda quoad corpora ſana, quæ in autumno (quia incipiunt denſari, & refrigerari) minus liberaliter ſudāt, quàm in alijs ſupradictis temporibus, hoc eſt veriſſimum, quia Galen. exemplificat in morbis, qui ſudore non terminantur, vt erat vrinę ſtillicidium, & non in ſanis corporibus, quod ſi feciſſet, proculdubio non penitus negaſſet ſudores fieri autumnali tempore: & quoad morbos, ſi exemplificaſſet in febribus, vtique ſudores dediſſet, ſaltem in prima, & ſecunda illius parte; tanto magis, quia in Aphoriſmi cōmento affert in autūno calorē fieri in meridie, frigus verò in prima, & vltima parte;
quod

quod ſi verum eſt, quod tunc calor vigeat, vtiq; ex eo poſſunt ſuſcitari ſudores. Vtcũque tamen ſit, in autumno ſudores, vt in vere, & æſtate pari pacto non ſuccedunt, nam per ſuperuenientem frigiditatem incipiunt corpora denſari, fieriq; minus diſpoſita ad ſudores, & eo magis in tertia parte, quod oppoſitum erat in calidis temporibus, vt viſum eſt. Sit ergo pro ſumma, pauciores in autumno videri ſudores, quàm vere, & æſtate.

Sudores hyemales. Cap. XXIV.

AB occaſu Pleiadum ad Æquinoctium vernale extenditur hyems, quo tempore multi oriuntur morbi frigidi, vt Hipp. 3. Aphor. 23. tum ex frigido aere, tum etiam prædominãtium humorum ratione: hinc corpora denſantur, & conſtipantur magis, quàm in autumno, propter maiorẽ frigidi occaſionem; quo pacto nullus ſudoribus conceditur exitus. Cutis enim conſtricta eſt, & humores, quaſi in habitu corporis condenſati: ob hęc in ſanis potiſſimum minimè videntur. At duæ inſurgunt rationes, quibus confiteri cogimur in hyeme ſudores dari; vna eſt ciborũ repletio, altera verò potentia caloris interni: ſiquidem dicebat Hipp. 1. Aphor. 15. ventres hyeme, & vere natura eſſe calidiſſimos, & ſomnos longiſſimos, quapropter copioſiora alimenta exhibẽda fore proponit. Inſuper hyeme nam calor natiuus circũſtantem refugit frigiditatem, & in profundum ſecedit, ideo fit fortior, & fortiùs propter ſui vnionẽ operatur: hinc meliores fiunt coctiones, eo magis, quia propter noctium latitudines, ſomnus fit longiſſimus: adiungit Hippocrates, quia calor illic temporis plurimus eſt, plurimo egere corpora alimento pro corporis nutritione, & reſtauratione. Si ergo hyeme multũ comedimus, & calor maximus eſt, vtiq; ſudoris materia, & agens inſurgũt; nam ab exculentorum, & potulentorum copia exuberãs, oritur ſeroſa materia, quę à calore elaboratur, atque ad ſudores diſponitur, niſi adeò cutis intenditur, & conſtipatur, vt in exitu intercludatur. Profectò hominum corpora non eiuſdem ſunt texturę, & complexionis, vt aliqua ex copioſa materia, & exuberanti calore hyeme nequeant habere ſudores: ſiquidem ex cauſis his, & ſpirituũ impetu facilè eſt vt pori aperiantur, & ſudoribus paretur exitus: non enim æternæ veritatis axioma eſt, hyeme propter circũſtantem frigiditatem corpora ſudare non

poſſe, nam in aliquibus contingere ſolet: propterea Gal. 1. Aph. com. 15. hyeme, & vere humores internos colliquari, & magis extra pelli.

Sed dubitatio oritur. Si à cute conſtipata impediuntur ſudores, cur ex redundanti materia putredines nõ oriantur, obſtructiones, & conſimiles affectus? Huic dicimus, ſeroſam materiam nõ ſolùm per ſudores, ſed etiam per veſſicam, & aluum à natura euacuari, propterea in hyeme, quando nequit per ſudorem, per veſſicã, vel per aluum excernit, ne animantibus damnum inferat: idcirco Hipp. in lib. de iudicat. magni fecit, in ſanis corporibus multum ſudorem in hyeme apparentem, quippe prædixit morbum denotare; ex copioſo enim in hyeme, caloris debilitatem, & facultatis retentricis impotentiam, quæ partes validæ in hyeme ſolẽt adeſſe, cognoſcimus. Ariſt. 2. Probl. 4. hyberno tempore minus oriri ſudores aſſeruit: propterea non debere homines eo tempore, licèt corpora humidiora exiſtant, ſudoribus exponi: hãc adducit rationem, nam ſudores per hyemem, concreti, coactiq; ſunt vehementer, quare difficulter ſolui queũt. Sudandum autem per hyemem minimè cẽſemus, quia corporis eiuſmodi diſpoſitio ſalubris eſt. Qui autem mouet ſudorem, labefactat, cõfunditq; habitum corporis, atq; etiã laxiorem, quàm conueniat, eundem habitum reddens, ſimul, & intimũ calorem educit, diminuitque, vt nõ ęquè gelido cœlo poſſit reſiſtere, & humor externus expeditiùs ſe corporibus inſerit, cùm laxiora iam foramina propter ſudationem habeãtur. Et Probl. 21. diſputabat, tunc opportunè ſudari, cùm humidiora ſunt corpora, qua ratione per hyemem potius ſudandum, quã alijs temporibus aſſerere oporteret: ratio eſt, quia humidiora exiſtunt. Hoc dubium ipſemet ſoluit Ariſt. improbari ſudorem in hyeme, nam magna per id tempus mutatio fit, cùm cœlũ contra naturam frigeat. Sed diceret aliquis: Sudores magis in hyeme, quàm alijs temporibus ſuccedere, tum ex redundãti materia, tum etiã, quia per hyemem cogimur continuò in locis adeſſe calidis, ex quibus ſudores experimur. Cui dicimus, quòd ſi conſideratur hyemale tempus ſecũdùm ſui naturam, vtique vel nullos, vel pauciſſimos habebit ſudores, vt diximus, quippe à ſui frigiditate impeditur ſudor: ſin autem conſideratur à nobis alteratum, vel aliqua mutatione ad calidum diſpoſitum, vtiq; mores ſuos mutabit: quãdo etenim degimus in calidis cubiculis, & ſudamus, profectò à calido illius aere ſuſcitari ſudores potius, quàm ab hyeme veriſimile eſt: qua ratione motus Ariſt. 2. Probl. 29. dicebat: Cur in caldarijs tum magis ſudamus, cùm tempus frigidum eſt? Nam calor propter frigoris obſiſtentiam

foras

foras euadere non poteſt, arcetur enim: verùm intus ſe peruoluens, ac inſidens, humorem ſoluit interiorem, ſudoremque ex eo producit.

Sudores ante cibum. Cap. XXV.

CIbus animalibus ad humidi radicalis deperditum reſtaurandum neceſſarius eſt; cuius gratia à ſolerti natura, duæ ventriculo conceſſæ ſunt actiones, ſeu facultates. Appetentia ſcilicet, quæ in eius ore conſtituitur; & concoctio, quæ in fundo firmatur: conſequuntur hæc omnia, & exercētur appetitu mediāte. Idcirco locus hic requirit vt de appetitu in animalibus aliquid loquamur, vt deinde de ſudore ante cibum ex his cauſam inueſtigemus. Tria proponimus explicāda pro hac materia appetitus: Primum, quid ſit appetitus: Secundum, quotuplex ſit: Tertium, quomodo fiat appetitus naturalis. Quoad primum, appetitus inclinatio quędam eſt, ſeu propenſio ad certum, ac determinatū obiectum appetibile: principiumq; motus eſt ad id, quo caremus. Quoad ſecundum, appetitus duplex eſt, naturalis, & animalis. Naturalis caret ſenſu, & eſt quædam inclinatio determinatæ partis corporis ad attrahendum, vbi alimēto indiget: ſicuti poſſumus exemplū afferre de graui, & leui, quæ ſenſu carent, & tamen graue deorſum ferri appetit, leue verò ſurſum. Animalis autē appetitus, eſt motus conſequens deprehenſionem factam à virtute animali; triſtatur enim natura ſenſu, vel ratione, percipiens ſibi aliquid deficere: hinc animal neceſſariò irritatur ad illud quærendum, & cæteræ partes naturali inſtinctu cibum appetunt, quemadmodū & plantæ. Ventriculus vtroq; appetitu gaudet, habet enim naturalem, quem alijs corporis membris impartit, & animalem, qui miniſter aliorū membrorum dicitur, & quia finis naturalis appetitus eſt, reſtaurare in corpore humidi deperditū, cuius duę ſunt partes: aliud enim eſt craſſum, aliud verò tenue: appetitus, qui fit ad humidi deperditi craſſum reſtaurādum fames vocatur: ſitis verò qui ad tenuē, & roridam partem reſtaurandam accōmodatur. Auerr. 2. collig. c. 13. vtriuſque appetitus attulit definitionem, dum de fame verba faciens, dicebat, quòd ſit ſenſus quidam reſolutionis, ſubſtantiæ groſſæ calidę, & ſiccæ, ac de ſiti, quod ſit frigidæ, & humidæ reſolutionis ſenſus; acceperat hoc ab Ariſt. 2. de anim. 28.

Sed veniamus ad tertium, & cum Gal. 1. de cauſ. ſympt. 7. appetitū

naturalem dicamus fieri in ventriculo, qui propter maximos ſibi admiſſos neruos à ſexta cerebri coniugatione, exactiſſimum adeptus eſt ſenſum. In textu inquirēs Galenus quid ſit fames, ſuctionis aſſerit eſſe ſenſum, redditq; modū, & cauſam famis: animal enim, quia per cutim habet tranſpirationē, diſſipatur ab ambienti; inde partes cutaneæ inaniuntur, & cùm datū ſit à natura vt facultas natiua trahat ſibi alimentum ex vicinis partibus, vt impleatur vacuū, & id, quod deperdi ſolet, reſtauretur, vicinæ ex alijs ſibi propinquis, & cęteræ ab vltimis partibus, ſcilicet à ventriculo, factum eſt, vt totus hic ordo ad numerū quinarium reducatur. Primò enim fit inanitio partium cutanearum, ſeu membrorum, & eſt terminus, à quo appetitus initium ſumit. Secundò inanitarum partium naturalis appetentia ſuperuenit, propter quam membra nutritionem ſugunt à venis. Tertio ſuctio venarū excitatur, ſugunt enim paruæ venæ à magnis, & magnæ ab hèpate, hepar à meſeraicis, meſeraicæ à ventriculo, tanquam à cōmuni promptuario, vt repleantur. Quartò ſuperuenit ipſius ventriculi quidā triſtitiæ ſenſus, cùm percipiat ſua naturali humiditate exinaniri. Quintò fames, & appetentia excitatur, atq; hic vltimus motus animale deſideriū eſt, quo appetit cibum, & potum ad reſtaurandum craſſum, & tenue deperditum: quare ventriculus eſt quædam corporis pars, quæ vltimò inanitur, & primò repletur: ac proinde eleganter Galenus in plantis exemplificauit, quæ vice ventriculi terram habent, vnde cibum aſſumunt, quod ſi propter anni intemperiem alimentum haud recipiunt, à cibi penuria ſqualore areſcunt, & deperduntur.

Veniamus modò ad cognitionem ſudorum ante cibum cōtingentium; quos ſupponere opus eſt alimenti indigentia cauſari, atque tum potiſſimum cùm corpora haud nutrita ſudores, & naturales humiditates foras emittere facultate retentrice debilitata, vel proximè extincta coguntur; ſecus autem vbi ſudores ante cibum eueniunt ex aliqua leui cauſa, motu ſcilicet, vel alia extrinſeca cauſa, de quibus nō loquimur. Ideo quia huiuſmodi ſudoris fundamētum, totum in nutritionis indigentia conſtringimus, ſupponendum volo illum dupliciter poſſe euenire, vel ciborum penuria, & caritate annonæ in quam miſerrimi homines, quādo ratio viuendi deficit, incurrunt, vel alia interiori cauſa, è qua corporis nutritio impeditur, quo fit vt in multis affectibus corpora emaciari, & penè exiccari videantur.

Si à ciborum defectu ſudores eueniunt, nulli dubium eſt ex illius inopia ſtomachi virtutem labefactari, calorem natiuū imbecillitari, &

reſolui, corporiſq; facultates deperdi, ac tandem patientes delinqui, & ſudare ſeroſas primò humiditates, deinde proprias; in cōflictu etenim tunc virtus eſt regitiua corporis, nam à cibo deficiente reſtaurari nequit; quapropter vnà cum illius partibus delaxatur, & exudando, emori incipit. Galenus 5. de loc. aff. cap. 6. de quodā Grammatico narrat, qui quoties vel nimis vehemēter doceret, aut cogitaret, aut inediā ſuſtineret, aut iraſceretur, morbo comitiali corripiebatur, & ſudore etiam, vt conſidero: perpendit in hoc os ventriculi affectū, qui ratione exacti ſenſus trahebat ad ſe totum corpus conuellendo: quod exemplum de ventriculi anguſtia, in noſtro negotio non paucam poterit lucem præſtare. Cornelius Tac. in ſuis annalibus Tiberium Cæſarem refert, virum maximæ crudelitatis, nonnullos cogere conſueuiſſe, fame, & ciborū defectu emori, vt de Aſinio Gallo, & de Druſo Germanici filio, & de alijs legitur, hinc in ijs veriſimile eſt, propter illatas cauſas, & ſudores, & natiuas humiditates excerni potuiſſe, necnon in deliquia, & angores ante mortem etiam tales incidiſſe tenendū puto.

Si ab interna cauſa impedimentum corpori ſuccedit ne nutriatur, ab inappetentia, cibiq; faſtidio oritur, atq; tunc pręcipuè cū ſuctionis ſenſum in ventriculo eſſe deperditum, aut ipſam ſuctionem non fieri conſpicimus, ſit teſtis Gal. 1. de ſymptom. cauſ. 7. vbi ventriculū tunc ſuctionem non ſentire, ſeu ſuctionem in eo haud fieri edocet, cùm ille aliqua vitioſa intemperie immateriali, vel cū humorum præſentia laborauerit, ventriculi intēperies duplex eſſe conſueuit, vel frigida, quę vt plurimū eſſe ſolet, vel calida: ſi frigida, & immoderata fuerit, ſuctionis deſtruet ſenſum, ventriculo ſtuporem inducendo (nam moderata appetentiam inducit) & congelando ferè partes eius efficit ne ſentiāt: quod ſi frigidorum humorum præſentia cum illa aderit, vtique maior erit inappetentia, maiuſq; cibi faſtidium. Si erit calida ventriculi intēperies, vires diſſoluit, & partes ad attrahendum reddet imbecilliores, calor enim appetitum deſtruere poteſt; nam corpora laxando, ſolida diſſoluit, atq; ad attractionis functionem reddit imbecilliora, humida verò fundendo ſupra modū extendit. Ex præſentia calidorum humorum appetitus peſſimè deſtruitur, præſertim acrium, ab ijs equidem os ventriculi infeſtatur, & peruertitur à ſuctionis ſenſu. Hinc ſi corpora nutriri nequeunt tantū abeſt, vt eius facultates vigorentur, vt hę potius quam maximè labefactentur, nāq; ex cibi indigentia imbecillitatur, & deſtruitur calor, & in lypotimiam, & ſyncopim corpus ducitur. Sit horum exemplū pręclarus Gal. locus in lib. de articulis, com. 1.

tex.

tex.30. Si qui aut ex fame, aũt ex iracundia, aut ex luctu, aut mœrore, aut quia cibum faſtidiunt, alimenti non ſatis ſumentes extenuentur, his non illicò carnes redduntur ſicciores, ſicuti qui ex arte rectè emaciati fuerint, ſed potius in omnibus omnino corporum habitibus humidiores fiunt. Ex indigentia enim aliquæ in eis colliquationes oboriuntur, longè etiam magis contabeſcunt, quibus inſuper mœror acceſſit. Eliqueſcit in ipſis omnis adeps, & quicquid carnis molle, & recenter eſt concretum, quod ſi aliqua fiat colliquatio, illa aut euacuatione ſenſu conſpicua, nempe per ſudorem euacuatur, aut difflatione inſenſibili.

Ex quibus facilitatur admodum ſudorum cognitio ante cibum, ſeu ex illius defectu, ſiquidem ex Gal. diſcurſu manifeſtatur, ſudores iſtos ex virtutis cõflictu ſuccedere, & à calore naturali debilitato produci. Hinc fundari poſſunt vel in materia ſeroſa, quatenus illa intra venas retineri non poſſit, nec non in copia humorum peccantium in corpore, vltimoq; in alimẽtali humiditate, cùm enim cibi defectu virtus deſtruitur, ſeu impeditur, à nutritione deſtruitur, habenaſq; relaxat: quapropter exeunt humiditates vtiles, & excrementitiæ, cùm à quo contineri poſſunt, deſtruantur.

De ſudore à cibo. Cap. XXVI.

SVdores, qui poſt cibum, ſeu à cibo eueniũt, à duplici cauſa oriri conſueuerũt, à vigore, & caleſcentia caloris ſcilicet, vel onere, & labore virtutis vẽtriculi, eorumq; materia humorum ſeroſitas, ſeu potulenta humiditas eſſe ſolet, niſi ex interiori cauſa ventriculus fatigetur; quo caſu ex alijs corporis humiditatibus ſudores euocari poſſe credibile eſt. Succedunt ſudores à cibo, ratione vigoris, ijs enim ſumptis, vigoratur natura, caleſcit ſtomachus, & corporis augetur calor, cum eius vires reſtaurentur, quapropter facillimè cutanei meatus aperiri poſſunt, atque ex eis elici ſudores, tunc autem potiſſimum, cum temporis occaſio, vel loci calida fuerit, atq; cibus actu, vel potentia calidus aderit, vtique ſudoribus (his præmiſſis) facilior datus aditus: poſſuntq; tales ijs aſſimilari quoquo pacto, qui in morbis criticè à natura mouẽtur, quæ vigorata ſupra morbum, noxium cum ſudoribus excernit. At nõ laudantur ſudores iſti ſi multi, vel copioſi fuerint, cũ maximopere diſtrahant à cibi

futura

ſutura coctione naturam, ex qua periculum impenderet cruditatis, & malitioſi alimenti. Nullius autem erunt nocumenti, ſi dum imperio naturæ procedũt non laborioſi, & moleſti fuerint, ſed placidi, & benigni, namq; vigor naturæ à ſtomacho incipit, & ſucceſſiuè in alias partes nutriendas impartitur, ex quo motu ſubtiliatur à vigorato calore potulenta materia, & ad ſudores diſponitur: fiunt etiam impetu ſpirituum, eo quia dum natiuus calor circa cibum laborat, ſpiritus in venis concitantur, qui venas aperiunt, & humiditates excernunt. Ego quidem piſcatorem cognoui quendam, qui quotieſcũq; cibum ſumebat, in ſudorem magnũ prorumpebat, adeò quod in admirationem trahebat circũſtantes, ex guttis magnis, & copioſis à facie, & pectore exudantibus: cum autem primùm ad hoc contemplandũ vocatus fuerim, erat hyems rigida, & niues magnæ, & hic pedibus diſcalceatis ambulabat, & ignem nunquam videbat, erat enim tẽperamenti calidiſſimi, & tantum erat ei cibum, potũq; præbere, quantum addere flammam igni.

At Marcellus Donatus lib. 1. de hiſt. mirab. cap. 2. ſudores à cibo ex alijs cauſis à narratis fieri poſſe diſputauit. Nobili enim, & Reuerẽdo viro Mantuano retulit, quoties comedebat, quouis anni tẽpore, ſiniſtram capitis partem, ſemper ſudore copioſo exudaſſe, ſiue calida, ſiue frigida ingurgitaret. Iudicauit hoc fieri ex naturali debilitate, & laxitate illius partis; quod credibile eſt, cùm in vna tantũ parte ſudor excitaretur; vt autem demonſtraret à vigore virtutis, ſudores à cibo etiã innaſci poſſe, adiungit hęc verba. Aſſumpto verò cibo, & potu corpus totũ refocillari, caloremq; foueri per partem poſt partem non eſt ambigendum: vnde cum æſtate corporis pori, & meatus magis pateant, corporaq; plurimo ſeroſo excremento redundent, ſiquidem tunc homines, magis quàm cæteris anni temporibus potationi indulgent, facilè aſſumpto cibo, & potu ſudores eliciuntur.

Sudores verò, qui poſt cibum eueniunt labore ventriculi, vtique diſtant à primis, ſiquidem illi à virtute valida, & forti; hi autem à debili, & imbecilla fiunt; ventriculus enim, quando in eo plurimus, & vltra rationẽ eſt ingeſtus cibus, laborat, & anguſtiatur in concoquendo; declarat hoc Hipp. 2. Aphor. 17. Vbi cibus pręter naturam plus ingeſtus eſt, hic morbũ facit; oſtendit autem ſanatio. Si ergò plurimum cibi ſtomachus acceperit, & conflictatur, quippè conflictatur etiam & virtus corporis cõtentiua: hinc ex anguſtia, & corporis labore exudat illius habitus, & humiditates quaſi è corpore expreſſæ excernuntur. Hæc

ſudoris

ſudoris ſpecies in guloſis, ebrijs, & epicureis hominibus videri ſolet, qui animum cibis,potuiq; tantundem applicant,miſerèq; deinde moriuntur,morbis,& mala valetudine oppreſſi.Contingit etiam in fame canina afflictis, qui ob magnam eduliorum ingluuiem, & onere ventriculi, defectu retentricis ad vomitum inſurgunt, & anguſtiati ſudores excernunt.

Ventriculus non ſolùm poteſt affici à plurimo cibo,eo quod ab illo grauatur, verum atq; à pauco,ſi eius natura fuerit imbecilla, fiet autẽ hoc vel ratione facultatis læſæ, vel erroris externi. Facultatis equidẽ læſio in ipſo ventriculo bifariam eueniet,aut errore propriæ ſubſtãtię ex aliqua primarum qualitatum intemperie, vtpotè cũ præter naturã calefacta, infrigidata, humectata, vel exiccata fuerit,vel ex aliquo inſtrumentali morbo, vt ſcirro, ædemate,heriſipelate, phlegmone, vel abſceſſu, & ſimilibus, quorum occaſione facultas ventris concoctrix malè operatur,& in multo,& in pauco cibo. Ab errore externo lędítur ab immodica cibi, potuſq; aſſumptione, vel eorũ aliena qualitate, aut ab intempeſtiua acceptione,ab ordine incongruo,ſomno exiguo, vitioſo excremento,& alijs, vt Gal.differit 3.de cau.ſymptom.cap.1. Ventriculus ergo afflictus vel à cibi copia, vel ex eo, quod debilis eſt, laborat in cõcoquendo,ex cuius anguſtia,& labore corpus, & cęteræ facultates trahuntur in conſenſum, & relaxantur: hinc ſudores ex ſeroſitatibus humorum fiunt, veluti non retentis, vel expreſſis ab animalis anguſtia,quę exudationes ſi perſeuerauerint, in peiores ſudores terminari poſſent,& affectus:Sicuti enim canina fame oppreſſi, in bulimum tranſeunt,deinde in animi deliquia, & ſyncopim, ſic à ſudoribus grauati,ex anguſtia corporis, ventriculi, & facultatum in eaſdem incurrunt affectiones, nam excretis ſeroſis humoribus vtiles humiditates ad corporis excidium excernuntur.

Non eſt à propoſito alienum Galeni locum adducere in lib. de præcogn.ad Poſthum.c.11.qui ex eo,quod tractat de ventriculi faſtidio,& attritione,huiuſmodi ſudoris illuſtrat cognitionem. Imperator Antoninus incurrerat ſtatim à cibo ſumpto in lentiſſimum frigus, cũ maxima pulſus contractione,& anhelitus coarctatione, & dicentibus alijs Medicis acceſſionis eſſe principium,ſolus Galenus negauit. Rogante autem Imperatore quid eſſet. Conſueuit(reſpondit)ſtomachus tuus conteri à cibo aſſumpto conuerſo in phlegma ante excretionẽ. Cui conſentiens Antoninus, ex illius cõſilio ſanus euaſit: ſiquidem recedentibus Medicis,Philotaus vinum Sabinum attulit,piper immiſit,

pedibus

pedibus calefactis, appoſita lana in oleo nardino infuſa calida ſuper os, bibit æger, & ſanatus eſt. Idem caſus accidit Petro Bayro lib. 11. cap. 9. ſuæ pra. ipſe enim vocatus in caſtrum Burgari Maſini pro quodam domino Stephano, qui vẽtriculi attritionem patiebatur, vt accidentia perpenderet, voluit intereſſe ſuæ cœnæ: ſtatum cùm cœnaſſet æger, totus frigidus vt glacies factus eſt, pulſus omnino contractus, ita vt vix ſentiretur, cum tanta anguſtia, frequẽtia, & compreſſione anhelitus, vt ſtatim præfocari videretur; perſeuerauit in eiſdem ſymptomatibus ſpatio trium, vel quatuor horarũ, deinde paulatim remiſſa ſunt omnia. Huic adhibitis remedijs à Galeno deſcriptis, ſalus orta eſt. A Petro Salio in lib. de affect. partic. c. 12. narratur morbus, qui adſtrictio ventriculi dicitur, in quibus cum anguſtia ſuperueniat ventriculo ex cibo, veriſimile eſt etiam ſudores innaſci poſſe.

De ſudoribus à potu. Cap. XXVII.

SVb nomine potus, aquæ potionem intelligimus, & ita auctores exponunt; tunc enim potamus cũ ſitimus, ſed ſitis eſt appetitus frigidi, & humidi, qualis eſt aqua, ergo àb aqua curatur. Profectò aquã creauit Altiſſimus, hominibuſq; ſua beneficẽtia donauit, vt quod de humida ſubſtantia rorida, & tenui in corporibus reſolui contingebat, reſtaurarent. De ſudore à potu huius cauſato verba nonnulla faciemus, vt autem ſpeculatio luculentior fiat, potum quadruplici via pro inſtituto negotio conſiderabimus, ac ex vnaquaque ſudorem fieri poſſe patefaciemus.

Potus vel eſt alimentalis, vel refrigeratiuus, vel medicinalis, vel venenoſus. Alimentalis multiplex eſſe poteſt, in præſenti tamen materia de vini potu loqui volumus; hoc licèt multiplici natura eſſe poſſit, nã vel eſt debile, vel mediocre, vel magnum, aut potens, aut alterius naturæ, tamen pro ſudore euocando tenue dilutum, quod neq; acre ſit, neque auſterum deſideratur: propterea in febribus Diarijs ad ciendos ſudores, vinum dilutum eligimus, cùm autem à febre non impedimur, quo minus vina potentia adhibeamus, ſudores citiùs euocamus; ſiquidem potentia, corpus calefaciunt, humores colliquant, & ſpiritus ad ſudorum eruptionem concitant: dicant hoc, qui ex vini potentis potu in lacrymas, & ſudores excitantur; vapores enim illius ignei, & ſubtiliſſimi per corpus quam citiſſimè vagantur, calorem excitant, ſpiritus

commouent, hinc meatus aperiuntur,& ſudores euocãtur,& eo magis ſi aeris caliditate corpora rariora,vel laxiora fuerint. Vide Galen. 4.de ſanit.tuen.cap.4.

Refrigeratiuus verò potus, qui propriùs aquæ eſt, diuerſimodè à vini potu ſudores excitat, ille enim caliditate, & ignea vi ſudores excitat,hic verò frigiditate,ſed diuerſo termino: videamus autem primò quid dicant auctores. Franciſcus Valleriola,vir magnæ eruditionis, in ſuis com.in lib.de ſymptom.differ.rationem inueſtigans,Cur ęſtate à frigidiori potu ingeſto ſudor oriatur, voluit per id tempus plurimũ ſecũdùm externas partes ſubeſſe vaporem, multamq; verò introrſum ſiccitatem: vnde cum frigidus aduenit potus,quaſi præſentaneũ quodam humectandis membris,atq; refrigerandis auxilium, quã citiſſimè in vaſa feratur, ſicq; qui in externis,iam cutis meatibus ſubſederat vapor, à recenti potionis frigiditate coactus, in ſudorem conuertatur. Hęc opinio acutiem ingenij potius demonſtrat,quàm veritatẽ; neſcio enim quomodo potus hic, licèt frigidiſſimus, in ventriculo admiſſus, atque ibi alteratus,poſtea ad hepar deductus,poſſit conſeruare primã frigiditatem,ſi poſtea per varias venarum vias ab internis ad externas partes corporis deferatur.Non minoris ſpeculationis eſt noua opinio Epiphanij Ferdinandi in lib.2.theorem.c.33.qui ponit, Quare bibentes æſtiuo tempore,ſtatim ſudemus? Reſp. Calorem naturalẽ ad ventriculum confugere,& externas partes frigidas derelinquere,inde ob pororum conſtrictionem,veluti patet de ſpongia compreſſa,ſudorem fieri. Sed dicas,amabò,bone vir, quomodo calor currat ad frigidum, ſi eſt ſuum contrarium,eſt ne bona philoſophia hæc: Ventriculus antequam potum ſumeret frigidũ,ęſtuabat,deinde à frigida potione frigeſcit,& calorem expellit: quomodo ergo ſupponis calorẽ confugere ad ventriculũ,ſi ibi datur frigiditas ei inimica? Secundò, quomodo concedis pororum conſtrictionem, ſi non eſt qui comprimat, iuxta tuum exemplum de ſpongia? Dicamus ergo,ſudores à potu ſtatim innaſci propter à ſuo contrario, caloris fugam: calor etenim à frigore, & humiditate potus ad exteriora,& ad corporis ſuperficiẽ repellitur, cũq; exire conetur per cutaneos poros, ſudores ſecũ deducit aqueos. Vel dicendum, impetu, & caloris fuga à ſuo contrario ad exteriora, meatus cutaneos aperiri, quibus aquei humores tranſcolantur.

Medicinalis potus, quo in multis affectibus,ad ſudores excitandos vtimur,diuerſimodè à practicantibus paratur:conſtat tamen ex rebus calidis, & ſiccis tenuium partium, vt nos in cap. de ſudorũ apparatu,

de

de intentu conſideramus: quare hic derelinquimus. Venenoſus verò, qui clam à maleficis, & hominibus diræ, & nefariæ crudelitatis ad hominis excidium paratur, vel caſu exceptus, adeò naturę aduerſatur, vt præ caliditate, calorem natiuum exoluat, vel frigiditate mortificet, qua ratione facultatibus proximè extinctis, ſudores exeunt vtilium, & inutilium humiditatum, eo quia non retineri queunt: de his loqui deſinamus, cùm nihil ad inſtitutum proficiant, ſatis ſit tetigiſſe pro nomine potus.

De ſudore in motu, exercitatione, labore, curſu, palæſtra, & coitu, Cap. XXVIII.

VT ſudores, qui in motus apparent, differentijs aſſequamur, aliquas iſtius depingere differentias opus habemus; nã motus, aliud non eſt, quàm modus, quo aliquid intelligitur ſuccceſſiuè aliter, atq; aliter eſſe in loco, quibus verbis vſus eſt Fracaſtorius in 1. de intellectione. Exercitatio ex Gal. 2. de ſanit. tuen. motus eſt vehemens anhelitum alterans. Quam ſententiam Aetius etiam ſequutus, hanc inter motum, laborẽ, & exercitationem affert differentiam. Motus eſt res quædam, magis cõmunis, atq; pluribus conueniens, quàm exercitatio, cùm ſæpè multi moueantur, nec autẽ exerceri dicantur. Exercitatio verò eſt motus vehemẽs. Labor ſimiliter, licèt ſit vehemens motus, tamen nõ omnis labor propriè vocatur exercitatio; nam fodientes, atq; metentes, laborare, ſed non propriè exerceri dicuntur, quamuis cõmuni quadã appellatione labor, ſępenumerò vocetur exercitatio: ita intellexit Hipp. 2. Aph. 16. Vbi fames, laborandum non eſt. & 6. Epidem. com. 4. tex. 31. Labores cibum præcedant. Auicenna 1. 3. doctr. 2. cap. 1. cùm conſideraſſet, aliquem per vim ab altero vehemẽter moueri poſſe, qui tamen nullo pacto exerceri diceretur, mancam eſſe Gal. ſentẽtiam de exercitatione iudicauit, atq; in mediũ attulit, Exercitationem, motum eſſe voluntarium, propter quam anhelitus magnus, & frequens, eſt neceſſarius. At Mercurialis lib. 2. de arte Gymnaſt. c. 1. iudicans, neutram opinionem eſſe plenam, ex multis cauſis, quas adducit, & pręſertim cùm non definiebatur exercitatio, de qua Medici tractare intereſt, dixit, quòd exercitatio eſt motus humani corporis, vehemens volũtarius, cũ anhelitu alterato, vel ſanitatis tuendæ, vel habitus boni cõparãdi gratia factus.

Omnes iſtæ opiniones cùm ſub motu vniantur, nam per illum definitiones cōſequimur, illum maximè pro explicando ſudore inſtituto conſiderabimus: in exercitatione enim, licèt variȩ cōnumerentur ſpecies, vt ſaltatio, luctatio, curſus, venatio, piſcatio, ludus pilæ, deambulatio, & aliæ, quæ fieri poſſunt vel in palȩſtris, vel extra: omnes tamen cum motu connumerantur, ſic & laboris ſpecies, quæ innumerȩ ſunt, ſub motu etiam definiuntur. Motus ergo pro præſenti negotio dupliciter conſiderandus venit, laboris ſcilicet, vel exercitationis. Motus exercitationis corpora calefacit, & vires corroborat, vt Gal. 6. Epid. tex. 50. nam hic, vt plurimum, non pertranſit fines ſanitatis. Motus verò laborioſus, inflammationem caloris, vel reſolutionem, & virium debilitatem affert: ex quibus omnibus ſudores elici poſſunt, ſed diuerſo præſagio, vt dicemus.

Motus ex exercitatione natus, ille eſt, qui calorem natiuū excitat, & auget, corpuſq; calefacit, expāſo calore per corporis habitum, tantæq; vtilitatis iudicatur, vt in ſanis corporibus ſuperuacaneā humiditatem, & ſeroſos humores ex euocatis ſudoribus abſumi credamus: in ijs verò, qui largo vtuntur victu, & qui prauis ſcatent humoribus, & excrementis, nō ſolum prænarratas humiditates, verum atq; peccantes humores, & varia excremēta excerni credibile eſt: euenit hoc totum ope caloris, & virium robore, quibus pori, & viæ cutaneæ aperiuntur: qua cauſa ſudores euocantur, & corpus ad meliorem ſtatum, & habitum cōuertitur. Hic motus, qui exercitationis vocatur, in magna erat frequentia Galeni tempore, non pro corporibus perfecta ſanitate præditis, quæ potius mente deſignari, quā alicubi reperiri poſſunt (licèt Gal. in ſua regione corpora temperata inueniri docuerit) ſed pro ſanis, vt nunc, quando hæc talia ſanitate præſenti ita vtuntur, vt actiones queant illas, quæ communiter ab omnibus fiūt, exercere. Iſta equidem, nam quotidie edunt, & bibunt, veriſimile eſt multā excrementorum copiam gignere, quæ ſi continuò etiam à corpore, vel per ſudores, vel per exercitia, aut inſenſibilem euaporationē non euacuantur, prauos affectus procreant, & corpora deinde ad labē, & perniciem inducunt: propterea Gal. 5. de ſanit. tuen. cap. 10. laſſitudinem phlegmonoſam à largo ſudore effuſo curari manifeſtauit. Verùm quia non omnia corpora æqualiter exercitationis motu indigent, quippe alia magis, alia verò minus ad illum reperiuntur diſpoſita, idcirco recurre ad Gal. in lib. de ſanit. tuen. vel ad Mercurialē in 4. de arte Gymnaſtica, ibi enim de corporibus calidis, & frigidis, & alterius naturæ

diffe-

differitur, quibus magis exercitatio conueniat, & quæ ſit eius quantitas demonſtratur: nos enim ſi talia proponimus, pro inſtituto ſudore tantùm, & non deliberatè tetigimus; quare de his ſatis ſit.

Ariſt.2.probl.31.dubitat, Cur pedes in trepidatione ſudent, & non facies? Cui obiectioni reſp. ſudare pedes propter exercitationem, quę cauſa eſt vt caleſcant, & in ſudores prorumpantur: nam membra incaleſcentia, ad ſe humorem trahunt, & cum ea loca oſſibus ſcateant, neceſſe eſt vt foras excidant. Simili ſolutione vſus eſt probl.5. Cur cùm manus exercitamus, ſudores maximè oriātur? In hoc dubij ſolutione, præter allata in exercitatione, addidit, robur acquiri, & vires augeri, quæ poſſunt eſſe in cauſa, vt ſudores eliciantur. Idē 2.probl.41. curioſam mouet dubitationem, Cur ſcilicet, ſudores, qui beneualenti corpori ſpontè proueniūt, deteriores ijs habeantur, quos exercitatio excitauerit? Equidem theoremata hoc non parui eſt momenti, ideo cum eodem breuibus ſoluamus. Sudores ex exercitatione prouenientes, excreſcentem humiditatem, & humorem exhaurire ſolent, carnemq; efficere ſicciorem, vt cauernæ foraminum ſanitati ſint opportunæ, & per caloris tranſmiſſionem nulla fieri poſſit obſtructio. At ſpontanei ſudores, qui ex neceſſitate oriuntur, cùm ab immodico cōtingant humore, qui forſitan naturę foramina confundit, & opplet, mali cēſendi ſunt, & habentur pro ſignis futuri morbi: nam etiā calor ipſe à largiori humore, quam qui modicus ſecundùm naturam ſit, hebetatur, & caro plenè madeſcens, peſſimum ad ſecundā valetudinem concipit habitū.

In exercitationis motu ab onere ſuperfluitatum calor natiuus leuatur, & valentior redditur, magiſq; excitatur: proinde validā facit virtutem, hinc venæ ſpiritu implentur, qui huc, illuc commotus venarū ora aperit, & per illa ſudorificā excernit materiam, corpuſq; à multis excrementis exonerat. At temerè hic motus exercitationis nō eſt capiendus, cùm ex illo, non benè intellecto, multa oriātur inconuenientia, tanto magis, quia ſcriptores varij ſunt de tēpore, quando pro tuenda corporis valetudine conueniat exercitatio: ſi enim tēpore incongruo fieret (licèt motus eſſet exercitationis, & non laboris) vtique nō redderet virtutem robuſtam, ſed debilem, atque ſudores, tunc expulſi diſſonantes, & non proficui eſſent. Idcirco relictis multorū opinionibus, audiamus Gal.2.de ſanit.tuen.c.7. qui docet, temperata corpora in temperato tempore, Vere ſcilicet exercenda: frigida in calido, & calida in frigido, humida in ſicco, & ſicca in humido temperatis, quaſi ſemper illud obſeruari debeat, vt corporibus ad aliquam intemperiē

decli-

declinantibus,tempus,atque locus contrarius in exercendo eligatur. Circa horam, omnes probati Medici vno ore pronunciant, exercitationem ante cibum fore agendam: licèt Plutarchus de mente Ariſt. oppoſitum ſcribat in lib.de tuen.ſanit. ſed ambo in manifeſto ſunt errore,vt legere eſt in Gal.2.de ſanit.tuen.cap.2.

Motus exercitationis intantum dicitur habere terminum ſuum, inquantum vapor ſudori permiſtus aliquantulum ſentiatur: venæ intumeſcant, atq; anhelitus permutetur: ſiquidem ex hoc duo requirũtur, membrorũ ſcilicet robur, & caloris auctio: igitur tãdiù corpus exerceatur,quandiù color floridus faciei,& corpori generetur, motuſque æquabiliter,& concinnè edatur,ne vllam corpus e flatu dignã laſſitudinem percipiat,quod ſi calor euaneſcere incipiat,ſeu laſſitudo immineat,vlterius progredi haud licet, nam in motũ laborioſum incideret, & boni ſucci vnà cum ſudoribus exhaurirentur, calorq; natiuus debilior fieret,& loco roboris acquirendi, vires deſtruerentur: de qua re vide Gal.5.de loc.affect.c.5. Oribaſium lib.6.c.11. Aetium lib.2.c.3. quorum ſententijs multa inconuenientia euitabis in materia iſta.

Motus laborioſus, quia opponitur motui exercitationis, diuerſam ſortitur cauſam à primo:ſiquidẽ laborioſi motus vocantur immodicæ exercitationes,quæ tranſeunt fines moderati exercitij: quotieſcũque enim exercitatio non dirigitur ad conſeruandam corporis tutelam, (vel ſpontè,& voluntariè ſuccedat, vt in ſeruis cũ celeritate dominorum mandata exequentibus: vel inuitè, vt in illis, qui vel inimicorum impetum,vel aliud triſte effugiunt) ſemper laborioſa iudicãda eſt: cuius ſigna hæc ſunt: Corporis articuli magis caleſcentes ſentiũtur: Vniuerſum corpus aridum, & inæquale apparet: In motu ſenſus doloris cuiuſdam vlceroſi oritur: Labor coactè,& nõ ſpontè dimittitur: Poſt ſudorem ex motu hoc pallor ſuccedit: Tandem inſolita,& valde moleſta laſſitudo ſentitur. In hoc propoſito Ariſt.38.probl.5. facit dub. Cur qui mediocriter inſudarint,ſtatim ab exercitio,colore hilarantur amœno, Athletæ verò pallidi longè euadant? An (ait) quia labor mediocris,colorem leuiter prouocat,& ad corporis ſumma inuitat. Nimius verò cum ſudore,& ſpiritu extrudit, dum corpus inter laborandum rareſcit,atque laxatur. Cùm igitur calor per ſumma reſidet corporis,calor ille exultat, quemadmodum calfactis,aut pudefactis euenire ſolitũ eſt: vbi verò inde euanuit pallor,continuo ſuccedit. Cęteri itaq; mediocriter ſe exercent, Athletæ prorſus vehementer laborant. Motus laborioſus reſpectu indiuidui aliquando exercitationis eſt, & è con-

è contra: meſſores enim, & foſſores motu laborioſo exercentur, verũ quia tales ob conſuetudinem ad talia, damnum non patiuntur, iuxta Hipp. Aphor. lib. 2. Qui conſueti ſolitos labores ferre, &c. ideo motus hic in ijs potius erit ad ſalutẽ; nam prauo viuendi genere hi tales vtentes, à laboribus in ſudores deueniũt, & excrementorum exuberantiã excernunt. At ſenes, licèt exercitationibus maximoperè gaudeant; tũ ad expurganda inutilia excrementa, tum ad conſeruandum, & ſuſcitandum natiuum calorem: veruntamen ſi vſque ad ſudorẽ exercerentur reſpectu ætatis, motus non exercitationis, ſed laboris eſſet. Equidem ſenes ſicci, & aridi exiſtentes, maiorem contrahunt ex tali motu ſiccitatem, ſudorq; commotus nouus exiſtimatur, cum humiditatem qua ſiccitas irrorabatur adimat, & excernat.

Summa omnium ſit, vt controuerſias fugiamus, quæ à motus, indiuidui, & ętatis diuerſitatibus oriri queunt, vt laborioſus motus ſit ille, qui non conferat, ſed lædat, & exercitationis, qui conferat, & iuuet: hinc ex motus effectu, facillimè ad naturæ iudiciũ peruenimus. Nam pueri (exempli gratia) à primo vſq; ad tertium ætatis ſeptenarium laboribus, vt dicã multis aſſueſcere poſſunt, quocirca incaleſcere, anhelare, ſudare, & aliquãdiu fatigari ſine periculo ipſis cõceditur: etenim illi propter victus imprudentiam, plurimis exuberant excrementis, quapropter à ſudoribus, & laboribus multũ adiuuantur. Humida etiã corpora multo indigent exercitio, vt ſudoribus nimia illa humiditas abſumatur. Ex his ergo motus exercitationis, & laboris eluceſcit. Sudores à motu laborioſo à debilitate retentricis, defectuq; viriũ generantur, quæ non potentes intra venas ſerũ retinere in ſudores corpus promoueri patiuntur, magnoq; calore, quo in laboribus illud premitur, meatus cutanei aperiuntur, liqueſcunt humores, & vnà cum ſero excernuntur: adeo quod in motu laborioſo aliquid boni etiã trahi neceſſe eſt: ſit mihi teſtis Galenus 3. de cau. ſymptom. 2. quando dicebat: In immodicis exercitijs aliquid boni effluit, quapropter veriſimile eſt ex talibus arida fieri corpora, & emaciari, lõgiſſimaq; laſſitudine, corporis imbecillitate, & virium defatigari, prout longior, vel breuior fuerit labor: ſiquidem magis læduntur corpora ex vnius diei labore, quàm dimidij: habemus enim ex Gal. 1. de arte cur. ad Glauc. 14. & 3. de rat. vict. in acut. 17. à ſudore immodico vires euerti, & 2. Aphor. 28. corpora extenuari à plurimo ſudore: quare quanti ſit momenti ſudor ex motu laborioſo deciſum credo. Secus eſt in exercitationibus: ex ijs enim ſudores moti, materiam tantùm excrementitiam expellunt, atq; à vi-

à vigore, roboreque virtutis, quod in corpore (euocatis ſudoribus) ineſſe videtur, ad opus efficiendum adiuuantur.

Sed ſunt ſoluenda quædam dubia in dictis Medicorum in cap. hoc proficua. Primũ eſt Gal. in lib. Vbi, quando, & quos purgare oportet, dicentis, motum corpora exiccare, vt quies humectat, ergo motus nõ corroborat, ſed exiccat. Secũdum eſt eiuſdem 12. method. c. 5. Motũ ſpiritus corrũpere. Tertium in lib. de cau. morb. c. 2. Corpora propter motum in morbos incidere. Quæ omnia ſoluuntur cũ diuiſione à nobis facta de motu, num fuerit exercitationis, vel laboris; ſiue num fuerit moderatus, vel immoderatus. Galenus enim in adductis quæſitis de motu laborioſo, & immoderato loquitur: nam in motu moderato nulli dubium eſt vires augeri, corpuſq; vigorari, vt probauimus. At nõ eſt prętermittendũ circa motus laborioſi cognitionem, Celſi conſiliũ lib. 1. c. 3. qui ſudantibus ex labore, & itinere, frigidam potionẽ periculoſam eſſe ſuadet: ratio eſt, nã occurſu frigido calor extinguitur. Hoc etiam Amatus Luſit. centur. 2. cur. 62. adnotauit, ſiquidem iuuenem Romanum narrat obijſſe, eo quia defatigatus à ludo pilæ, ſudoreq; reſperſus, ad puteum venit; ibiq; exhauſta frigida recens per caldarium extracta, in terram cecidit. De altero etiam narrat, poſt ſudorem ex frigido potu ſimiliter emortuo.

Sudor in coitu, cum motu quodam excitetur, eandem poteſt retinere differentiam, quam in hiſce motibus explicauimus. Si etenim venus cũ moderantia exercetur, ſudores, qui ex illa promoueri aliquando contingunt, à ſeroſa, & potulenta materia oriri conſueuere. Sin autem immoderatè, & cum laborioſo motu, præter ſeroſam materiam, aliquid boni è corpore etiam effluit; idcirco mirum non eſt, corporis maciem, caloris defectum, & maximam debilitatem venere admodũ ſollicitè, & intemperanter vtentibus ſuperuenire: ſiquidem duas natura euacuationes, ſeminis ſcilicet, & ſudoris ſufferre nequit. Sint itaque homines in veneris vſu moderati, cum eius finis filiorum procreatio cum vxore ſibi matrimonio coniuncta eſſe debeat: quare caueant in coitu in ſudorem magnum propter intemperantiam deuenire, ſi optatam vitam producere deſiderant.

Sudores

Sudores poſt motum. Cap. XXIX.

SVdores poſt motũ perſeuerantes conſiderandi ſunt num à motu exercitationis, vel laboris proueniant: etenim à primo caloris fortitudinem, & humorum ſuperfluorum expurgationem deſignant. Ratio eſt valida; ſi enim per motũ exercitationis, vires robur accipiunt, veriſimile eſt poſt motum validas factas, ſuperfluitatis humorum reſiduum expurgare, inde eſt, quod ſudores in valetudine ex exercitio facti (cùm corpora ex illis leuiora, & validiora fiant, expurgatis, quibus illa prius ſcatebant excrementis) boni cenſentur. At motus hic ordine, atq; tempore exercendus eſt: ſiquidem ſi poſt cibum fiat, ad ſudorem vſq; prima perturbatur in ventriculo coctio, cruditateſque generantur, expanſo natiuo calore per corpus, & ſudores mouente, quo fit vt in ſtomacho cibi coctionem non foueat. Hinc à cruditatibus ſuccedũt morbi, & corporis intemperies: recurrat ergo ad Medicorũ cautelas, qui exercere cupit.

Si verò poſt motum laboris, ſudores proueniunt, virium maiorem indicant debilitatem, quàm in motu ipſo, quippe ex debili retentrice, atque à relaxato corpore, & nimis calefacto ſuccedũt; exeuntq; tales materiæ à corporis meatibus, tanquam expreſſæ, & non regulatæ à natura, & cum excrementis vtiles humores etiam excerni poſſunt, ſi admodum fuerint in labore perſeuerantes. Nam ex immoderata fatigatione, & potenti corporis calefactione ſpiritus reſoluuntur, humiditateſq; naturales eliquari, & per ſudores excerni poſſunt: propterea tales praui, & malefici iudicari queunt. Ariſt. 2. probl. 7. loquens de ſudore poſt motum exercitij, ponit dubium, Cur, qui ſe lucta exercent, ſi interpoſita aliquantiſper quiete, luctentur, magis ſudabunt, quàm ſi continuè? Cui reſp. Nam humor, data requie, ſe colligit, quàm deinde luctandi exercitatio educit. Idem Probl. 20. Cur, qui laborant, vbi à labore deſtiterint, ſudare incipiant? In hoc duas affert ſolutiones. Prima, quòd inter laborandum venæ ſpiritu inflatæ comprimi foramina cogant, data verò quiete, laxæ conſideant: itaq; peramplioria iam facta foramina expeditius humor peruadat. Secũda, quoniam cum labore, ſpiritum ex cohærente humore motus ſecernit, & calore, qui à motu excitatur, humor in ſpiritũ per ſumma corporis extenuatur, cùm verò à labore ceſſatum eſt, ſimul & calor deſinit, & ex ſpiritu ſpiſſeſcẽte,

humor, qui ſudor appellatur, conſiſtit. Hoc repetit Ariſt. Probl.23. & 24. in quibus locis Lectorem admonemus, ſæpiſſimè apud illum motum laboris, pro motu exercitationis deſumi; accipit enim laborare, pro exercere.

De ſudore à balneo, Sole, & laconicis. Cap. XXX.

Balnea, quæ in hominum ſunt vſu, vel ex dulcibus conſtãt aquis, vel mineralibus, qualia ſunt balnea nitroſa, ſalſa, bituminoſa, ſulphurea, & quę ferri, vel æris qualitatem habent, hæc cutim laxant, ſudoreſq; calorifica qualitate prouocant, humiditates corporis eliquãdo, foraſq; trahendo, ac potentiùs agũt, quæ ex mineralibus conſtant. Quæ autẽ ex minera conſtringente, & occludente cutis meatus, qualiter aluminoſa eſſe conſueuit, facta fuerint, vtiq; propter eius exiccantem naturam, paucos ſudores ſuſcitabunt. Ex dulcibus aquis verò balnea tepefacta ſudores propter rarefactã cutim, & ſubtiliatos humores excitãt: ex eiſdem verò, ſed frigidis factis, acres humores tẽperantur, corpus humectatur, & refrigeratur, ſi ritè adhibentur. De his Gal. 10. Method. luculenter diſſeruit. Balneum, inquit, ingredientes, in aere verſantur calido, poſtea in aquã calidam deſcendunt: mox ab hac egreſſi, in frigidam, poſtremò ſudores detergent. Poteſt autem prima eius pars materias per totũ corpus tum calefacere, tum liquare, præterea, quæ inæqualia ſunt ęquare, & cutim laxare, & multa, quæ detenta ſub hac fuere, vacuare. Secunda eius pars, vbi quis in ſicco corporis affectu ea vtitur, poteſt madorẽ vtilem ſolidis particulis immittere. Tertia balnei pars poteſt, vbi quis frigida vtitur, & totũ corpus refrigerare, & cutem dẽſare, & vires firmare. Quarta verò corpus per ſudores citra rationis noxam euacuare. Vide de hoc etiã Celſum lib. 2. c. 17. At balnea mineralia, cùm ex varijs, & contra ſe mutuo vapugnantibus conſtent qualitatibus, rationabile eſt pro qualitatum varietate, differentes in corpore producere effectus. De his Franciſcus Lombardus, Andreas Baccius, & Iulius Iaſolinus viri benemeriti diſertiſſimè loquuti ſunt. Andreas Libauius edidit librum de iudicio aquarum mineralium, & Iulius Cæſar Capaccius alterum de Balneis Puteolanis: Balneorum itaq; naturalium, qui naturam ſcire peroptat, ad iſtorum ſcripta recurrat.

Celſus lib. 2. cap. cit. ſudorem euocari docet duplici via, aut ſicco calore,

calore,aut balneo: de balneo dictum eſt. Siccus calor eſt & arenæ calidæ,& laconici,& clibani, & quarundam naturalium ſudationes, vbi è terra profuſus calidus vapor ædificio includitur,ſicut ſuper Baias in myrtetis habemus. Hodie locum hũc,Sudatorium Trituli vocamus, quod eſt mirabile in affectis morbo gallico,& capitis fluxionibus. Datur & aliud Sudatorium in ijs partibus, Sancti Germani appellatum, vulgo le Fumarole,ſeu Sudatoro d'Agnano, ad quem locum pro euacuandis craſſis,& frigidis humoribus cõfugiunt:nam corpus alleuiat, languidos reſtaurat,ſanat iliacum affectum, vlcera interiora deſiccat, & podagricis confert: ita ſcribit verſatiſſimus Franciſcus Lombardus in ſuo de Balneis Puteolanis. Dominus tamen Ferdinãdus Loffredus in ſuo libello de antiquitate Puteolana,cap.10.hoc Sudatorium dãnat multis rationibus,ſed potiſſimum quia ſit vicinum cuidã Mufetæ,quę vulgo dicitur Grotta delli Cani: ad quem animal ingrediens, aere peſtifero emoritur, niſi ſubitò,quod prope Gryptam eſt, ad lacu demergitur. Ego verò cùm fuerim comitatus Marchionẽ Sancti Marci,malè affectum, audiui multos languentes extollere huius loci beneficium: in Domino autem hoc factum eſt vt parum prodeſſet.

Laconicum,vt Dioniſius,à Laconibus,ſeu Lacedemonijs inuentoribus dictum eſt,quoniam nudi, vnctiq; ante alios in hiſce Sudatorijs exercebantur. Hodie appellatur Stufa,quæ ſicco calore vſui paratur, multiſq; modis conſtruitur. Primo Laconico igne tantùm calefacto, hæc igne ſuccenſo iuxta muros laconici, aut in furnello, quod ſub laconico accẽdi ſolet, à quo aer laconici calefalectus diſponitur ad vſũ. Conſtruitur ex clibano,quod apud Latinos dicitur teſtus. In vſum venit furnus temperatè calefactus pro ruralibus hominibus. Neapoli varios habẽt apparatus laconici pro ſudoribus ciendis Barbitonſores: vtũtur multi vel pro mundandis à corpore ſcrabitiebus, & ſordibus, vel pro conſumendis ſuperfluis humoribus in affectu morbi gallici. Tu verò vide doctiſſimum Mercatum de recto præſidiorum vſu medico,cap.13.vbi multa pro præſenti negotio inuenies.

Ex arena,vel ſale,etiam parantur ſudatoria,atq; ſudores eliciuntur. Arena in inſula Ænaria,& Puteolis famoſiſſima eſt,& ad eam magnus languentium concurſus calidis eſt temporibus:vide de hac Iulium Iaſolinum,& Franc.Lombard.de Balneis. Ex ſale parãtur artificialiter, iuuant hi ſudores euocati in affectibus frigidis,& humidis. Parãtur ex tritico,& milio calefactis:item ex vinaceis cùm maxima ęgrorum vtilitate: de his vide Altimarum de vinaceòrum natura. Parantur etiam

Balnea pro ſuſcitandis ſudoribus ex diuerſa ſimplicium miſcela, radicibus nimirũ, floribus, frondibus, &c. Item ex oleis, lacte, muſto, vino. Item ex diuerſis alijs formulis, vt videre eſt in Quercetano, & in Iacobo Vuechero. Nos autem fuſiſſimè de his diſſeruimus in lib. vltimo huius operis.

E Sole etiam parantur ſudores: vnde dicta eſt inſolatio, vt Aetius Tetrab. 1. ſect. 3. cap. 9. vbi de inſolatione, arenæ aggeſtione, ac alijs vaporarijs fomentis auctoritate Antyli. Quidam inquit ad Solem ſe exponunt, partim non vncti, alij etiam vncti, & alij deſidentes, alij decumbentes, aut ſtantes, aut deambulantes, aut etiam currentes, ex decumbentibus, aliqui in ſtrato, aliqui ſuper corio, alij in arena, aut ſale decumbũt. Solaris itaque inuſtio citra vnctionem, moderata adhibita perſpiratione occultam auget, & ſudores elicit, &c. Tu ſi plura deſideras, ſequere lectionem Aetij, quæ longiſſima eſt. Iſti omnes modi ſuſcitandi ſudores, quia diuerſi ſunt natura, & qualitate, propterea in varijs affectibus vſurpantur, vt in cap. de ſudorum apparatu loquuti ſumus.

De morborum temporibus. Cap. XXXI.

SVdores, qui in morborum temporibus contingunt, conſiderãdi veniũt, num in principio, augmento, ſtatu, vel declinatione fiant, & ſi in illis, an vniuerſalibus, vel particularibus ſuccedant? Ne autem in diſcuſſione hac, per ignota pergamus, ad iſtorum temporum explicationẽ prius oportet deuenire, deinde ad illorum cognoſcendam naturam accedere. Galenus duos compoſuit libellos, vnum de morborum temporibus, alterum de totius morbi temporibus, de eadem ferè hi tractant materia, vt ipſemet Gal. 6. Epidem. comm. 2. com. 17. quam nos in præſenti inſtituto breuibus perſtringemus.

Tempus morbi, nil aliud denotare in primis aſſerimus, quàm eam illius partem, vel ætatem, quæ varia ſucceſſione in alium mutatur morem ad inſtar animantium, quæ primò generantur, deinde augentur, conſiſtunt poſtea, vltimò autem declinant, & contabeſcũt. Ita ſinguli quoque morbi, quando ſunt ſalutares, per tempora increſcunt, & ad vigorẽ aſcendunt, diſſoluuntur demum, & declinant: in malignis verò non perpetuò quatuor hæc cõſumunt tẽpora; ſuccedit enim vt prius, quàm tempora percurrantur, animal moriatur; quod etiã viuentibus ſuccedit, cùm haud ętate præſcripta moriuntur. Huiuſmodi tempora, vel

vel cuiuſque morbi vniuerſalia, vel particularia, ſingularum acceſſionum ſcilicet exiſtunt, quorum omnium cognitio maximè eſt neceſſaria: ſiquidem his ignoratis difficulter intelligere poterimus apparentibus ſudoribus aliquid de ſalute, vel infirmi periculo prædicere. Idcirco Gal. de morbi temporibus apprimè doctus, 3. de criſib. cap. 5. ſtatū morbi dicebat, omnium criſium normam eſſe, & regulam, quod in eo, non niſi optimū iudicium fieri ſoleat, quid ſi hoc tempus, vel alia ignoramus nobis eueniet? Tempora morborum vocantur hæc, Principiū, augmentum, ſtatus, & declinatio, quæ quatuor ſunt partes morbi; vniuerſales autem vocantur ſi in toto morbi curriculo compenſantur; particulares verò dum in paroxiſmis, ſeu acceſſionibus obſeruantur.

Principium vniuerſale, ea eſt morbi pars (exemplifico in febribus) in qua natiuus calor ferè à materia præfocatur, & quia hęc haud ſuperatur; concoctionis veſtigia minimè ſpatio illo apparent, ſiquidē calor fractus, conſopitus, & remiſſus reperitur, hinc ſuccedit, quod illi dominari nequeat. Hoc principium aliquando apertum, aliquando verò obſcurum, ſeu occultum percipitur, vt Gal. 1. de criſ. cap. 17. 19. & 20. Apertum dicitur quoties calor natiuus à peccanti materia ferè obruitur, atq; ſigna coctionis non apparent. Occultum verò, cùm hæc non diſcernantur, vel quia pauca appareant ſymptomata, vel quia prima die aliqua coctionis indicia in vrina videantur; quemadmodum in Synochis epilepſia, & ſimilibus contingit. Morbi etiam principium pluribus alijs morbis à Medicis deſignatur; à Galeno autem, Auicenna, & ſelectioribus pro ea morbi parte capitur, quę non dierum numero, ſed ſignis coctionis terminatur.

At in hac re duo monere volumus, vnum, quod cōditio hęc de cruditate, nec in febribus Diarijs, nec Hecticis valet, ſiquidē hæ ſemper vrinas coctas habent, vel coctis ſimillimas. Secus in putridis, & materialibus morbis venarum potiſſimum: ratio autem qua putrida febris vrinam habeat in principio crudam, eſt, nam fieri minimè poteſt vt in principio putreſcens materia ad integram reducatur coctionem: vel, vt Auerroes, quia natura in principio circa humorum coctionem eſt ſollicita, & ſic vrinę, veluti ab ipſa natura relictæ, crudæ neceſſariò apparent. Alterum eſt, quòd ſi in principio in aliquibus putridis, & tertianis ſigna videntur coctionis, in prima ſemper cruditas apparet, in vltima verò aliquod coctionis ſignum, vel obſcura percipitur coctio, eo quia humores, qui prius erant penitus crudi, concoqui incipiūt: vel dicendū, quòd in toto principio apparet in putridis cruditas in vrinis;

ſin

ſin verò aliqua videtur coctio,illam minimè ex putreſcentibus humoribus,& crudis,ſeu morbifica materia prouenire rationabile eſt : propterea vel coctio illa falſa eſt, vel reſiduum eſt materiæ coctæ tēpore ſanitatis. Altera pars morbi,quę poſt principium ſuccedit,augmentū, ſeu incrementum dicitur, de quo loquens Gal.in lib. de totius morbi temporibus,cap.3.illud eſſe dicebat,in quo calor natiuus,ad ſuperandam noxiam materiam,manifeſtè mouetur.Equidem in hoc apparere videmus ſigna coctionis,vel coctioni cōtraria:ratio eſt hæc,teſte Gal. 1.de criſ.c.17.nam incrementum morbi dupliciter capitur,vel ſalutare, vel lethale. In morbo ſalutari incrementum cum ſignis prodit coctionis: In lethali verò ſignis coctioni contrarijs.

Volumus autem pro maiori dictorum cautela ſupponi, coctionem tripliciter dici,perfectam ſcilicet,manifeſtam,& obſcurā. Coctio perfecta, ex Gal. eſt, quando in vrinis album,leue, æquale,& continuum ſubſidet. Obſcura verò,quādo ex aquoſa vrina fit mediocriter ſubpallida,& ſi turbida fuerit,taliſq; perſeueret. Manifeſta ea eſt,quæ in medio vtriuſq; reſidet,perfectæ ſcilicet,& obſcuræ,cùm ergo dicimus in incremento ſigna apparere coctionis, nō de coctione debili,obſcura, ſeu perfecta intelligendum fore credibile eſt, ſed potius de manifeſta, quæ ex eo, quod in medio illarum eſt, incrementum demonſtrare conſueuit.

Tertium morbi tēpus,vigor,ſeu ſtatus appellatur,atq; totius morbi, teſtimonio Gal.1.de criſ.c.8.vehementiſſima pars eſt,quippe exquiſitam coctionem fieri illic temporis obſeruamus, nec ſine ratione, nam in ſtatu pugna vehemens,& duellum inter naturam,& morbum efficitur,& de ſumma rerum tractatur;adeo quod neceſſe eſt vel naturā de morbo,vel morbum de natura conſequi victoriā. Hinc dicebat Hipp. 2.Aph.30. circa initia,& fines omnia imbecilliora, cùm verò conſiſtūt fortiora, variabile in morbis tempus hoc reperimus; modò enim breuiori,modò autem longiori dierū ſpatio protrahitur : propterea Gal. 1.de criſ. c.10. vigorem in acutis à duabus dicebat acceſſionibus, vel vnica omnium maxima circūſcribi,adeo vt nullo modo in huiuſmodi morbis ad tres acceſſiones,vigoris tempus elongari queat: ſecus autē in cronicis morbis:horum enim vigor non ſolùm ad tres,verùm atque ad plurimas extenditur acceſſiones.Profecto vnum eſt adnotandum, exquiſitam,ſeu perfectam in vrinis hoc tempore videri coctionem, quod totum in ſalutaribus morbis euenire nulli dubium eſt:in lethalibus verò totum oppoſitum fit,quippe nō ſigna coctionis, ſed perfectę crudi-

cruditatis apparent: veluti ſi vrina fuerit nõ ſolùm ex omni parte cruda, qualis eſt ſummè tenuis, & aquoſa, vel ſummè craſſa, liuida, nigra, viridis, &c. ſed etiam habeat nebulam nigram, vel ſedimentũ craſſum, & nigrum, hæc porrò veræ coctionis ſigna contraria ſunt.

Vltima ętas morbi, Declinatio dicitur, quo tempore natiuus calor, morbo, & materiæ peccanti dominatur, quippe eam perfectè ſuperauit; idcirco illam conatur extrudere, omnemq; quæ interna eſt, caliditatem ad externas partes tranſmittere, lætus ferè de tanta victoria. Talibus ergo morbi, terminis perſcribuntur. Sed dubium oritur, An ſinguli morbi, quatuor iſta tempora habeant? Cui dicimus; ex mente Gal. & Auic. morbos omnes ſalutares quatuor tẽpora neceſſariò continere, licèt multi oppoſitum oſtendere conati fuerint, eo quòd in aliquibus hæc adeò breuia, ſeu obſcura viderint, vt vix diſcerni poſſent: hoc autẽ minimè ſoluit; quin quatuor tempora, vt Gal. in lib. de totius morbi temporibus in talibus contineantur: immo in ijs quoque (quod eſt mirabile) qui violẽta obeunt morte, temporum diuerſitates percipiũtur. In lethalibus verò morbis, iſta quatuor tempora, Gal. 3. de criſ. cap. 6. & 9. haud contineri aſſeruit: ſiquidem mortem in tribus tantùm temporibus, Principio nimirum, augmẽto, & ſtatu; nullatenus verò in declinatione accidere propalauit. Quia autem multi oppoſitã habuere ſententiam, ipſemet 3. de criſ. c. 5. illam confutauit, & litem dirimit: trãſacto enim vigore, nemo moritur in declinatione: in quibus verbis tempus vniuerſale, & non particulare Galenus intellexit, adeo quod ægri in declinatione vniuerſali non obeunt, ſecus verò in particulari, vt cap. de ſudore in morb. declinat. manifeſtabimus.

Tempora morborum particularia, quę in acceſſionibus, & paroxiſmis percipiuntur, paucis cũ Gal. 1. de rat. vict. in acut. com. 46. demonſtrabimus. Acceſſionis fit principium, omni calore ex toto corpore ad cor, thoracemq, ſe conuertente. Incrementũ cum paulatim ad extremas corporis partes ſe ſe expandit: Status cum ex æquo, totũ corpus occupat: Declinatio contrarium principio, modum habet perſpirante ſcilicet caliditate, atq; mediũ corporis relinquente, quod Hipp. vnico verbo oſtendit inquiens, & cum caliditas ad pedes deſcẽderit, cuius verba ita veniunt explicanda, ex teſtimonio Polidori Seraphini in Anagyrica Medicis, cap. 13. tunc eſſe declinationem, quando pedes reliquo corpore calidiores fuerint, & cum calor caput, & pectus reliquerit, & ad pedes deſcenderit, ita etiã interpretatur Gal. loco cit.

Temporum morborum vniuerſalia, niſi quo dierum contineantur

ſpatio

ſpatio adnotamus, vtique ſubobſcura erit oratio noſtra, eo quia in ijs, ſudores, de quibus ſuperius tractare promiſimus, ſuccedunt. Verùm quia tempora huiuſmodi ab auctoribus varijs modis cognoſcēda proponuntur, propterea ne materia hæc in longiùs trahatur, à morbi ſpecie dierum ſpatium venari propoſuimus, vt quatuor à nobis deſcripta tempora abſoluantur: hæc etenim via inſtituto noſtro aptiſſima iudicatur. Per ſpeciem morbi eius naturam intelligimus, num ſcilicet affectus ſit acutus, peracutus, vel cronicus: in qua re Medici multas faciūt diſtinctiones: nos autem breuibus cum Gal. 2. de diebus decretorijs, cap. 12. dicimus, morbum vel eſſe exactè peracutum, quemadmodum eſt is, qui quartū diem non tranſit, vel non exactè: de primo fecit mentionem Hipp. 1. Aphor. 6. Extremis morbis, extrema exquiſitè remedia optima ſunt; vbi in com. Galenus inquit, extremos morbos nominaſſe Hippocratem, ſummos, vltra quos non alij. De ſecundo nō exactè, peracuto ſcilicet, ſermonem habuit eodē lib. Aph. 7. Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos labores habet: quo loco Gal. per extremos, intelligit ſummos labores; ſummos enim ſuffert labores circa primos quatuor dies, vel paulò vlterius circa quintum, vel ſeptimum. Inſuper morbus vel eſt exactè acutus, vel nō exactè, vel acutus ex decidentia. Acutorum exactè mentionem reliquit Hipp. 2. Aphor. 23. Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. Acutorū non exactè, 3. Progn. 40. Hi ad vigeſimum vſq; durāt, ſic dicebat. Itaq; primus impetus hunc in modum finitur, ſecundus ad ſeptimum, tertius ad vndecimum, quartus ad quartum decimum, quintus ad ſeptimum decimum, ſextus ad vigeſimum. Acuti denique ex decidentia nominantur ij, qui ad quadrageſimū producuntur. Hi equidem imperfectè iudicati intra vigeſimum eorum vehementia confracta, intra quadrageſimum diſſolui conſueuere. Alij verò manifeſtè ſunt diuturni, quia velociter non mouentur. Nonnulli diuidunt morbum acutum hoc modo: Acutorum quidam eſt cum febre, quidam ſine febre. Inſuper acutus cum febre, vel habet eam ſine inflammatione, vt Cauſus, & Synochus, &c. vel cum inflāmatione, vt pleuritis, angina, phreneſis: morbi acuti ſine febre ſunt epilepſia, apoplexia, conuulſio, &c. Sed aliquis diceret, apoplexiam, & epilepſiam longo tempore iudicari, ergo non ſunt acuti? Cui dicendum, prædictos morbos acutos eſſe in acceſſione, nam eorū acuties intra paucas horas, vel dies terminātur, vel ratione partis pręſtantiæ, quæ breuiter poteſt deficere, vel ratione ſymptomatum: ſi verò vidētur longiſſimè terminari, hoc euenit ratione materię, quæ eſt

eſt frigida, indiget longa,& diuturna coctione. Credo hæc ſufficere, pro inſtituto noſtro,quod eſt de ſudoribus noſcendis in quatuor morborum temporibus,ac eorum naturæ in determinatis à nobis ſpatijs: idcirco ad alia accedere tempus eſt.

Sudores in morbi principio. *Cap. XXXII.*

DOctiſſimus Galenus 4.Aphor. com.2. nullã euacuationem in morbi principio eſſe bonã decretauit, eo quia vel fit ſine tolerantia,vel ſine tolerantia,& conferẽtia, quapropter ſudores, qui in principio morborũ ſuccedere conſueuere,mali cenſendi ſunt, cùm raró tolerãtiam,& conferentiã inducant: propterea dicebat 1.de criſ.7.ſudores in principio nunquã eſſe criticos.Vt autem hæc omnia elucescãt,videamus quid de ijs dicant auctores. Auic.2.4.tract.1.c.7. de his dicebat:Et ſudor feſtinus in principio morbi,eſt malus,& notat materiei multitudinẽ, niſi cauſæ ſint in eo humiditates aeris, propter pluuiam multam, quoniam tunc cum ſua malitia erit minor malus, & multoties incipit morbus cum ſudore, deinde ſequitur ipſum febris, & prolongatur.Galenus 1.Epidem.2. Si inter initia ſudores eueniũt, vel vires imbecillas,vel excrementi redundãtiam arguunt. Andernacus 1.com.de noua,& vet.med.diag.7.dicebat: Interdum per morbi initia ſudor inuadens, peſtilentiæ nota eſt, vt quæ ante annos aliquot in magna Germaniæ inferioris,& ſuperioris parte graſſata, Anglicus ſudor dictus eſt,qui tanquam febris acuta,multos nimia ſpirituum digeſtione,in ſubitum exitium præcipitauit. Et Mercatus in tract.de febre maligna,cap.3.ſudores in morbi principio proſilientes,potius naturæ,& humorum vitio,quàm vtiliter, & ex naturæ lege fieri demonſtrauit.

Ex quibus auctoritatibus,malos fore ſudores,qui in morborũ apparebunt principijs iudicamus; hoc autem intelligendum fore tũ in vniuerſalibus, tum particularibus,propter inſitam,& mutuã in eis correſpondentiam,temporibus rationabile eſt.At quæ ſit omnium ratio videamus. Equidem ſæpè à Gal.& Hipp.proditum eſt,coctionẽ præire opus eſſe,vt bonum ſit iudicium, inde 3.de criſib.boni iudicij primũ, & maximum indicium coctionem eſſe ſtatuit, & cum ſudor in morbis ſit iudicium,neceſſe eſt ad eius bonitatem,vel malitiam pręire,vel coctionem,vel cruditatem.In morborum principijs,vt traditum eſt,vix,

ſeu nunquam coctio apparet, vel ſuccedit, eo quia principium morbi ſine coctionis ſignis terminatur: in ea enim morbi parte natiuus calor ferè præfocatur à materia,& cum fractus,& remiſſus ſit,illi dominari nequit. Inſuper naturę iudicium fit,cùm mala à bonis ſeparantur,atq; ad excretionem præparantur, modò in principio à caloris imbecillitate,hęc talia fieri minimè poſſunt:idcirco ſudores tunc temporis deprompti,cùm ſint euacuationes ſine naturæ coctione excitatæ,atque à cruda, & incocta materia genitæ,mali cenſentur. Hinc iure Hipp. 1.Epidem.com.2.tex.45.cruda,& incocta dicebat,aut ſublationem iudicij,per verbum acriſias, aut dolores, aut recidiuas,aut mortem denotare.

Aliqui autem ſubtiliùs volentes,euacuationes in principio morborum factas indagare num conferant, vel obſint, principiũ morbi,duas habere partes proponunt,primam ſcilicet,& vltimã, in prima,iudicia eſſe mala,& perinde ſudores factos autumant;in vltima verò non tam malos,ſed potius bonos:vel quia in vltima illa parte aliqua coctio apparere poterat,vel potius ex experientia,quia depromptũ eſt,nonnullos ſine coctionis ſignis eſſe liberatos: quemadmodum de adoleſcẽte apud Gal.legitur in lib.de Præcognitione,& de Methone, 1.Epid.3. cùm alter crudas notas in vrinis haberet,alter verò etiam lethales, eo quia nigra minxit quarta die, quin & Anaxion vigeſima leuatus eſt ex criſi,cùm adhuc concoctæ non eſſent morbi cauſæ. Et eodem libro, mulierem quandam legimus,quæ ſudoribus iudicata eſt,quamuis vrinæ cruditatis haberent notas.At quia hęc opinio multas pareret controuerſias,eo quod à nobis prius concluſum eſt, ante omnem euacuationem, & præcipuè ſudorificam præire debere coctionem, vt Hipp. 1.Aphor.ſcripſit:Concocta medicari,atque mouere,non cruda,idcirco ad alias rationes veniamus.

Donatus Sanctorus lib.6.epiſt.med.4.hãc quæſtionem ex intentione diſputat, & poſitis fundamentis,ante euacuationem pręire coctionem oportere, dum aliquos videt in morbi principio,materia cruda exiſtente criticaſſe,hanc ponit limitationem, Morbum vel eſſe acutũ, ſeu malignum, vel benignum, & ſalubrem : ſi eſt benignus, & ſalubris excretiones,& iudicia in principio apparẽtia bona iudicari: ſecus verò ſi malignus: ſi enim in febribus intermittẽtibus loquimur,nulli dubium eſt in acceſſionibus ad partes exteriores, & ad corporis habitũ humores tranſmitti, atq; deinde magis à calore febrili attenuatos,per cutim expelli,& in ſudores ſæpiſſimè terminari. Videtur hoc in Gal.

2.de

2.de diffe.feb.c.3.tertianas enim,inquit,ſudoribus,& vomitibus ſubmoueri.Hoc itidem videtur in alijs febribus rigorificis,quarũ in principio morbus crudus eſt,& tamen portio illa humoris,quę ad ſummũ corporis tranſmittitur,& per ſudores excernitur,bona iudicatio omnium iudicio cenſetur; ſiquidem confert, licèt ante illam bona coctio haud præcedat. In continuis, quamuis euacuationem non præcedat exquiſita coctio,ſed vel cruditas,vel ſemicocti humoris ſoboles: tamẽ ſudores duplici de cauſa conferre poſſe aſſerit, tum quia humor commigrat de nobili ad ignobiles partes, tum etiam, quia quod noxiũ eſt expurgatur,qua humorum colluuie corpore aliquatenus exonerato, natura meliori negotio ſuperat, domat,& concoquit,quod remanet.

At in malignis febribus totum oppoſitum videtur; in ijs enim ſudores,& alia euacuationum genera, quæ in ſalutaribus conferunt,nõ ſolùm nihil prodeſſe, ſed potius grauiorem affectum, teſtimonio Hipp. 2.Prorrhet.22.producere docet.Sudor multus ſi cum febribus acutis fiat,inutilis: ratio eſt,nam licèt multi profluant, haud ſolutionẽ morbi protendunt, ſed potius virium iacturam,& reſolutionem: qua cauſa motus Galen.in com. euacuationes iſtas docuit,in acutis, & malignis morbis,à natura coctionis amica minimè regulari, ſed à vi morbi,atq; ſymptomatibus:ſiquidem humores vel ob copiam,vel ob mordacem, & feruentem qualitatem ad excretionem, & forſitan materiæ vtilis facultatem irritant expulctricem.Hinc virtus exoluitur,& ad maiora pericula corpus diſponitur: affectus fit atrocior,periculoſior,& ſępiſſimè mors ipſa ſuccedit. Hæc Sanctorus;ad cuius conformitatẽ nonnulli textus à nobis adducti valebunt, vt 1.Epidem.com.3.tex.25.de Eraſino, qui à principio morbi ſudauit, & v. expirauit: non enim per ſudorem febris ſoluebatur, ſed ex ea excretione affectus atrocior fiebat. Amatus Luſ.centur.3.cur.84.quendam ęgrum à principio morbi ſudaſſe,atque perijſſe narrat,& 2.Progn.com.60.ex Gal.caſum de ſudore in purulentis,in principio habemus, quem propter virium debilitatem,eo quod deductum alimentũ diſcutiatur,eueniſſe cõperimus: quibus rationibus,ſudores in morbi principio,in malignis eſſe malos, & in ſalubribus affectibus eſſe bonos cognoſcimus.Opinio iſtius licèt vera videatur,habet tamen in ſe magnum diſcriminis campum: ſiquidem in malignis,& acutis in principio, ſuperius tactum eſt, ſæpiſſimè ſudores fuiſſe(crudis exiſtentibus humoribus peccantibus,atque nulla antecedente coctione) ſalutares: legitur hoc in hiſtoria Methonis, Anaxionis,& aliorum: quare videamus alias opiniones.

Leonardus Iacchinus in Cõmentario de morbis ſuper nono Raſis in appendice, cap. 13. dum videt aliquas criſes euenire poſtquam morbificas cauſas natura ſuperauit: aliquas verò ex morbi proritatione excitari, dubitationem mouet, An criſes, quæ intempeſtiuè eueniunt, ſint vtiles? & ſi ſint iuuandæ, an inhibendæ? Porrò ſapiens vir hic, criſim, quę ſine coctionis notis euenire ſolet, nullo antea coctionis ſigno indicatam ſymptomaticã eſſe benè cognouerat: quippe munitur Gal. teſtimonio 4. Aphor. 22. qui nõ poſſe ante coctionem quicquã vtiliter excerni cõſtituit, eo quod à natura non expellatur, ſi enim debilis eſt, quomodo propellit morbi cauſas? Sic igitur videmus, & cum primum venenum primàs ſubit venas, naturam ad excernendum proritari: ſed id fruſtra contendit; nam maior veneni vis eſt, & contumacia, quã pellentis naturæ conatus. Idcirco Gal. eam vtilem ſolum eſſe exiſtimauit 4. Aphor. 71. quam coctionis notæ in die contemplabili præceſſere: propterea de ſudoribus habemus 1. Epidem. 2. ſi inter initia eueniant, vel vires imbecillas, vel excrementi redundantiam arguere; vnde & 4. Aph. 38. vel morbi ratione, vel naturæ ſcilicet excernentis euenire dicebat. Hęc affert Iacchinus de criſibus ſine notis coctionis apparentibus. Ex altera parte, dũ videt multos ſine coctionis ſignis liberatos, omiſſis ſcriptorum verbis, ad aliquas, vt probaret ſymptomaticas euacuationes vtiles eſſe poſſe, confugit rationes. Videbat adoleſcentem, de quo agit Gal. in lib. de præcognit. Methonem, Anazionem, & mulierem illam ſudoribus iudicatam cum notis cruditatis, & ſine coctionis ſignis eſſe liberatos, idcirco quaſi coactus dicebat: Quis negabit, abſceſſum ad paralyſim in apoplexia eſſe vtilem? ſiquidem ſæpè æger è portis inferi hac via reducitur. Sic & qui in lethargo fiunt abſceſſus ad aures. At impoſſibile eſt, vt adeò breui tempore concocta fiant materia, quod ſi ſymptomaticæ criſes, in lethali morbo, mortis tempus poſſunt producere, vt 3. Epidem. 1. in Pithionis hiſtoria notat Galen. quanto magis in ſalubri poterunt eſſe vtiles: & Herophontem abſceſſus ſeruarunt, cùm crudi adhuc eſſent humores.

Vt autem litem dirimeret, hanc poſuit diſtinctionem: Humorũ, qui morbi cauſa ſunt, alios in vna parte eſſe collectos, ac quietos manere donec cõcoquãtur, alios rurſus per corpus vagari, quod furere, Hipp. dixit, ideſt natura proritata inſtar animantis, cui irritata tument loca, (vt ille ait) ad excernendum ſtimulatur. Hoc autẽ fit dum partes validiores ad infirmiores propellunt; nam expulctrix à corpore, prauas abijcere materias ſemper nititur; ſed humoris contumacia aliquando

fru-

fruſtratur opus: nam ſi humores iſti ad aliquam principem partẽ, quæ vel imbecilla, vel infirma ſit, immittuntur; vtique infirmo periculum magnum ſtatim imminet. At ſi contra res ſe habet, vt ad ignobiliores materia tendat, vt in podagricis fieri cõſueuit, & vt abſceſſus ad aures in lethargo, ſeu in apoplexia in paralyſim mutatio, inopinata ſalus ægro aduenit: atque hinc fit vt non prorſus ſint certæ in acutis præcognitiones ſalutis, aut mortis, cùm ſub incertitudine reponantur: legimus enim 1. Epidem. 2. cruda, vel malos abſceſſus, vel recidiuam, vel criſes difficiles, & timoroſas facere; ideo in tanto negotio, vtrũ huiuſmodi euacuationes ſymptomaticæ ſint adiuuandæ, vel inhibendæ ſic conſtituit, vt motus ille naturæ dum aliquam ſalutis ſpem præbet, vti ſignũ eſt, ea via alios eſſe ſanatos, vt in abſceſſu in paralyſim, & in articulos, & ex profluuio ſanguinis, adiuuandus ſit: ſecus verò in motu factu ex naturæ impetu, vbi ſalutis ſpem non præbet faciendum fore: quod ſi abſceſſus ſit ad ignobiliora ductus, hunc iuuabimus, vt de paralyſi patet. Hæc opinio poſſet ſuſtentari, nam tota efficacia conſiſtit in humorum motu vagantium, in morbi acuti principio, num ad debiles, vel principes ruant partes: quia autem non caret iurgijs, cum alij alios ſequantur auctores, qui non ſunt huiuſmodi ſententiæ, ideo accedamus ad alias opiniones.

Ex auctoribus neotericis nullum inuenio, qui hãc rem deliberatiùs aſſequatur Victorio Trincauello Medico quippe admirãdo: hic enim in duplici tractatu de peſtilenti febre, excretiones ante coctionem nõ malas, ſed potius vtiles exiſtimauit, & propterea fouẽdas, & adiuuandas determinauit; quo propoſito, ſudores in morborum principio, in acutis, & malignis bonos eſſe poſſe credidit. Diſtinxit vir hic excretiones in criticas, & ſymptomaticas, & medias, quæ mediam inter criticas, & ſymptomaticas naturã obtineant, quibus differentijs conatus eſt explere, quomodo excretiones cum humorum cruditate apparentes conducere valeant. Primam illarum excretionum differentiã ſanè criticam eſſe ait, quæ fiunt à natura ſuperato morbo: ſiquidẽ hoc tempore concocta ſunt omnia, & ab ipſa natura euicta, proinde has criticas, & iudicatorias appellat, eo quod ægrotos perfectè iudicant, & liberant: hinc poſt perfectam coctionem ſudores optimi, ſanguinis eruptiones, alui deiectiones, & in morbis thoracis ſputa copioſa, & concocta apparent. Alterã earũ differentiam facit, quæ ſuſcitantur, quando naturam morbus euincit; has planè ſymptomaticas vocat, quippe ſuccedũt ſolũ ratione morbi, vt in acutis morbis, frigidi ſudores circa

frontem,

frontem,& collum fieri conſueuere,qui peſſimi idcirco ſunt, nã morbo planè crudo euocantur. Tertiam earum mediam vocat,ſiquidem hæc inter criticas,& ſymptomaticas,mediam retinet naturam: huius naturæ potius bonas,quã malas, potius vtiles, quàm nocentes excretiones affirmauit,Galeniq; teſtimonio 1.de diff.feb.c.6.& 4.Apho.47. id totum comprobauit; hic enim de excretionibus ſymptomaticis ita loquutus eſt: Malæ vacuationes ſunt prauarum ſigna diſpoſitionum, prodeuntq; ſæpius eodem modo, quo in vlceribus putridis, à quibus ichores, hoc eſt liquores ſanioſi defluunt, nihilq; diſpoſitioni cõferentes, nonnunquam verò ita ſicut pus ex abſceſſu dirupto benè expurgat partem patientem. Clariùs in 1.de diff. dicit enim in vlceribus aliquando pus effluere omnino probum, & laudabile, album ſanè leue, & æquale, citra vllum odorem grauem,quam excretionem criticam, vnuſquiſq; comparabit, cùm à natura prodierit morbum euincente, ſanitatemque promittente. Aliquando verò ex vlceribus, pus omnino putridum, fœtidum, ac infectum prauo colore, vt in cancrenis videtur,quæ planè ſymptomatica dicitur excretio. Demum manat aliquando pus medio modo ſe habens, non ex abſoluta victoria, ſed ex pugna vtriuſque, quo pacto vtriuſq; apparẽt indicia natiui, & externi caloris,morbi,& naturæ,hoc etenim pus,ſi albũ erit non leue,ſi leue, non æquale, ſi æquale, malè olens. Iſta ſunt fundamenta doctiſſimi Trincauelli,quę multarum hiſtoriarum comprobatione verificantur, atque auctoritatibus Hippocratis, & Galeni elucidantur.

Primò ex Hipp.1.Aphor.21. Concocta medicari,atq; mouere non cruda,neq; in principijs,modò non turgeat materia.Si enim turget,vt Galenus in com.ſtatim eſt purgãda. Si ergo humores iſti ſtatim educi poſſunt,dummodo turgeant,etiam crudi exiſtentes: pari pacto ſpontinæ ipſorũ excretiones erunt fouendæ,& adiuuandæ:ſimiliter ſudores in principio morborum, vomitus, ſanguinis è naribus, excretiones,&c. Secundò,probatur in peſte,& alijs malignis morbis,papulas, vlcera, abſceſſus omnes, parotides, exanthemata, variolas, ſudores, vel etiam ante coctionẽ erumpentes, magis vtiles, quàm inutiles omnes Medici fatentur: ratio eſt hæc, nullus enim in huiuſmodi caſibus vtitur repellentibus, & excretiones prohibentibus, at potius frictionibus,cucurbitulis, vnctionibus calidis,balneis, dropacibus, phænigmis, veſſicatorijs, & multiformis remedijs ad attractionem accõmodatis. Tertiò auctoritate Gal.1.Epid.ſuper hiſtoria Sileni, qui ſic ait: Cùm igitur virium robore,ſeptimum diem,vt dixi,potuerit ſuperare,

octauo papulas cum ſudore habuit rubentes,rotundas,paruas,nã eius morbo repugnante, & humorum ſuperfluitatem malorum, ad cutim propellente, idq; fuit cauſa cur die nono non ſit mortuus,ſed vndecimo, ex quo colligimus, papularum eam excretionem fuiſſe vtilem, etiam morbo planè crudo. Sed videamus aliquot Hippocratis hiſtorias de huiuſmodi excretionibus in Epidemijs, Herophontis ſcilicet, Metonis,Sileni,vxoris Epicratis,Claxomenij,Melidię,Chęrionis,&c. quarum teſtimonio firmiùs aſſequemur intentum.

Exemplum de abſceſſu, & ſudoribus.

EX Hippocr.1.Epidem.com.3.Ægrot.3.de Herophonte ſcribitur: Quinta die cũ vrinis nigris, tenuibus lienem intumuiſſe, & octaua doluiſſe inguen,primum ſecundum lienis rectitudinem,deinde dolores in tibiam vtranq; tranſiſſe, vrinaſq; tunc melioris fuiſſe coloris, paruam habuiſſe ſubſidentiam. Ex quibus adhuc paululum crudũ eſſe morbum conijciebatur, proinde neque lienis, tibiarumq; abſceſſus, neq; ſudor nona die ſequutus inter excretiones ſymptomaticas erat ponendus, cum ab ipſis Nerophon ſit iudicatus, quamuis non integrè.

Exemplum de eruptione ſanguinis.

EX eodem in ægroto 7. legitur, Metonem eruptione ſanguinis è naribus iudicatum,cum vrinis nigris,& crudis,atq; eo tempore, quo crudus erat morbus; Hippocrates lotione capitis vſus eſt ad augendam, & fouendam illam ſanguinis ſymptomaticam eruptionem: quam rem ponderans Gal.in com.dicebat: Huius te præſentiſſimum remediũ docuit capitis lotionem; dixit enim in lib.de rat.vict.in acut. caput non lauandum eſſe ijs, quibus de naribus erumpit ſanguis, niſi minus iuſto fluat, nunc verò erat iuſtum minus, ſiquidem perpetuabant vigiliæ,& deliria.

Exemplum de ſudoribus,& vomitibus.

VXor Epicratis in decurſu ſui morbi,poſtquam filiam peperiſſet, crudo adhuc morbo exiſtente, ſudoribus,& vomitibus bilioſis, ſubcrebris afflicta,iudicatur,vt videre eſt in hiſtoria 1.Epid. comm.3. Ægroto 5.

Exemplum de deiectionibus.

CLaxomenius ab initio ſuę infirmitatis vſq; ad diem decimũ quartum habuit multas deiectiones tenues, aquei coloris; vrinæ tamen erant tenues, ſed boni coloris, & multum habebant ſuſpenſionũ diſperſarum, & non ſubſidebant. Æ groto 10.

Exem-

Exemplum de ſudoribus, & deiectionibus.

MElidia ſeptima die ſudauit, febris intermiſit, dolores permanſerunt, repetijt, ſomni pauci, vrinę perpetuò boni quidē coloris, cæterum tenues, deiectiones tenues, biliosæ, mordaces, admodum paucæ, nigræ, fœtidæ: in vrinis ſubſedit album leue, ſudauit, iudicata abſolutè eſt. Ægroto 14.

Exemplum de ſudore.

CHærion, 3. Epid. com. 2. tex. 5. ſeptimo ſuperriguit febris acuta, per totum corpus ſudauit, iudicatus eſt. Huic perpetuò erant deiectiones biliosæ, paucæ, meræque: vrinæ tenues, & boni coloris, cum ſuſpenſione nebuloſa.

Hiſce, & alijs hiſtorijs fuit obſeruatū ante humorum coctiones viſas eſſe multas iudicatorias, atque bonas excretiones. Idcirco doctiſſimi Trincauelli opinionem, tāquam certiſſimam, & in Galeni, & Hippocratis ſcriptis confirmatam acceptandā fore ratio cogeret, niſi alij auctores eſſent in contrarium ducti, vt Alexander Maſſaria contra Trincauellum lib. 5. de feb. c. 25. qui Hippocratis, & Galeni dogmata non eſſe penitus vera, & certa contendit, opinionemq; iſtius euertit. Sed ſua ab Hercule Saxonia euertitur, qui 3. lib. de Phænigmis, cōtra Maſſariam multis capitibus diſputat, & definit hanc materiam, atque decretat, quæ excretiones ſint vtiles iu peſtiferis crudo morbo, & quę inutiles: item quæ fouendæ, quæ autem inhibendę. Vt autē antequam opinionem noſtram adducamus, quiſq; notitiam habeat de huiuſmodi ab auctoribus quæſtionibus agitatis, videat Valleſium, qui lib. 5. ſuar. controuer. c. 3. de euacuationibus tractat ſymptomaticis, an poſſint aliquando eſſe vtiles? Proſper Alpinus lib. 5. de præſagienda vita, & morte, cap. 3. dubium facit, An ante concoctionem excretiones ſint bonæ, atque vtiles: refert opinionem Trincauelli. Ludouicus Mercatus tom. 1. lib. 3. par. 2. claſs. 3. quæſt. 193. Vtrum cum ſignis contrarię coctionis poſſit æger liberari? omitto alios, vt ſit talibus Lector contentus.

Equidem ſudores, ſeu excretiones in acutorum principio morborū ſpontè apparentes, quamuis vtiles aliquando videantur, tamen de ſe bonas eſſe non aſſero, ſiquidem vt plurimum periculoſæ eſſe ſolent: adeo quod in Epidemijs ex Hippocrate, & Galeno in commentarijs, (ponderatis his ſudoribus, & excretionibus) plures perijſſe, pauciores autem ſanatos eſſe facilè eſt videre. Succedunt porrò tales ex naturæ

irrita-

irritamento ab humoribus ſummè putridis, vel venenoſis : hinc quod excernitur, ex eo,quod crudum, & minimè domatũ eſt, à natura malum exiſtimandum fore aſſero. Vt autem cauſam adducamus,quæ tot viri illuſtres in re medica, in opinionẽ venere, excretiones in affectibus malignis crudo morbo apparentes vtiles eſſe,ſępèq; fouendas audite. Legerant in Hipp. vel forſitan in praxi viderant languentes, ex ſudoribus,vel alijs excretionibus in morbi principio ſuſcitatis,eſſe ſanatos,parum animaduertentes,hoc niſi corporibus robuſtiſſimis euenisse, quæ benè vim morbi ſufferentia, vlterius producuntur,& præſeruantur,vt humores concoquere,& morbũ euincere natura valeat: adeo quod ſalutem non ex excretione ſymptomatica,ſeu media,ſed à vigore virtutis,à robore corporis,à potentia facultatũ in promptu eſt iudicare,& clarum eſt hoc in hiſtorijs pro doctiſſimo Trincauello adductis, è quibus naturã vigoris ratione ad coctionem humorum peccantium extendi capitur, quibus correctis,ſalus naſcitur. Secus eſt in corporibus debilibus, & in virtute flaccida, quæ omnia in affectibus malignis viſis his excretionibus in principio morbi crudis exiſtẽtibus humoribus,emori conſueuere. Itaq; tota quæſtionis vis in talibus, in corporum natura adaptatur; robuſta enim aliquãdo ſanantur,debilia verò omnia moriuntur. Ecce modò, quod controuerſiæ dirimuntur ex tali diſtinctione:Medici autem erit officium cognoſcere pro pręſagio,quæ robuſta,quæue debilia fuerint corpora.Ne tamẽ aliquis opinionem noſtram nouam eſſe, vel fictitiam arguat, placuit citare Galenum in 1.Epid.ſuper hiſtoria Sileni ita loquentem. Cùm igitur virium robore ſeptimum diem potuerit ſuperare, octauo papulas cũ ſudore habuit rubentes, rotundas,paruas, nam eius morbo repugnãte, & humorum ſuperfluitatem malorum ad cutim propellente,idq; fuit cauſa cur die nono non ſit mortuus. Propterea in huiuſmodi negotio laudandus eſt Ioachinus, qui ſi cum talibus excretionibus aliqua ſigna ad ſalutem comitentur,benè de ægro ſperandum fore aſſeruit: ſecus verò in ſignis malis: habemus enim nonnullos affectus, qualis eſt magna angina,grauis pleuritis, peripneumonia,atq; empiema, in quibus rarò aſpicimus ægros ſanari,ſi debiles fuerint,& cum malis ſignis:ſæpè verò ad ſalutem produci,ſi fuerint robuſti,& cũ bonis;adeo quod totalis ſpes eſt in vigore virtutis, quod requiritur in excretionibus in principio talium apparentibus : quod tanti non eſt momenti in ſalutaribus morbis,vt in Donati Sanctori opinione ſuperius adductum eſt. Vt autem noſtram hanc opinionem maiori fiducia Lector recipiat, Galenũ

adducamus in lib.de ſuccor.bonit.& vitio,cap.1.ita dicentem: Atque hæc quidem fuere ea,quæ per cutim effloreſcentia placidiſſimè vitioſum ſuccum è viſceribus, profundoq; corporis euacuarent: alijs verò quibuſdam carbunculi,& phagædenę ſpecie, quum apparuiſſent cum febri, plurimos interfecere, pauciſſimis ægrè poſt multum temporis ſeruatis. Ecce modò per hæc, quod debiles moriuntur,& robuſti magno cũ periculo liberantur, & non perpetuò. Quis enim in parotidibus,carbunculis,ſudoribus exanthematis,alijſq; abſceſſibus(licèt pręſtabit humorem illum foras diffluere) fidere poterit? ſiquidem cauſas, & morbos perniciales,quibus plures pereunt,quàm ſeruãtur,& ij,niſi robuſtiſſimi, denotent. Excretiones enim huiuſmodi licèt aliquando vtiles videantur,ſunt tamen de ſe dubiæ,& plenæ timoris,vt plurimũ etiam infidæ,& ſine certitudine. Nam ſi loquimur de ſudoribus in malignis affectibus crudo morbo apparentibus:ſi tales fuerint frigidi,vel pauci, vt madores, vel, quod peius, ex colliquatione partium prouenerint, ſemper mali dicendi ſunt, nunquam verò boni, nec vtiles: ſin calidi, vel à toto, & natura videatur robuſta, forſitan prodeſſe poterunt,at cũ corporis debilitate nocebunt,adeo quod Medicus pro pręſagijs in huiuſmodi iudicijs ſemper comitem habeat naturam. At vltimum optatũ nodũ in hac diſcuſſione adducamus, quod erit, An tales excretiones in principio fientes,ſint adiuuandæ,vel potius cohibẽdę: ſi enim tales incertæ, quid faciendum? ſi exiſtũt infidæ,cur non cohibendæ? Equidem hic nodus eſt difficilioris inquiſitionis,quã tota quęſtio, nam conceſſo, quod in corporibus robuſtis poſſint eſſe vtiles,tamen non omnes ſeruantur ægri, idcirco ancipitem reddunt Medicũ in adiuuando,vel cohibendo.Si enim adiuuamus,crudum attrahimus humorem,quod eſt contra Hippoc.1.Aphor.qui dicebat,moueri non cruda, ſi repellimus, noxios humores in corpus retrocedere ſinimus; quid igitur agemus?Profectò excretiones has in principio morborum factas,cùm ſint turgentium humorũ motus,vtiles eſſe fouendas proinde atq; adiuuandas exiſtimo. Quapropter ſudores exanthemata, puſtulas,& abſceſſus(cùm ad ignobiles partes eorum humores ducãtur) adiuuãdos recolo, tales enim euacuationes, cùm à ſuccis calidiſſimis, tenuiſſimis,ſummè putridis,& venenoſis,& turgentibus oriãtur cohibendæ minimè ſunt,ne fortè humores repercuſſi ad principẽ aliquam partem regurgitent,& mortem inopinatè producãt:qua ratione licèt per ſe bonę haud ſint,eo quod plures ij exiſtunt,qui(apparentibus huiuſmodi crudo morbo) obeunt, quàm qui ſanantur: cogimur tamen,

eas vtiles eſſe fateri, cùm multoties conferant, ex hoc, quod humorem prauum, & malignum de centro ad circumferentiam extrahant: non eſt enim præter rationem cum crudo morbo, & cum ſignis coctioni contrarijs nonnullos euaſiſſe, quando excretiones hę à valido naturę robore fiunt, quæ ſanè laceſſita à morbi vehementia, & magnitudine, quaſi gnara incoctibilitatis humorum, nequiens eorum acrimoniam, & irritationem compati, eos cõfertim excernit. Lege de his omnibus Saxoniam 3. de Phænigmis. At per ſe bonæ dici nequeunt, quippe, teſtimonio Gal. 1. de criſ. c. 1. decernentia in melius non ſtatim apparẽt, & cap. 8. Si ſudores apparuerint in principijs, nunquam per criſim ægritudines finiere: cauſam affert Galenus cur tales ſudores mali dicantur, nam abundantiam humorum, & proinde longitudinẽ morbi pronunciant. Quod recolens Mercurialis doct. in ſuo tract. de ſudore: Ægros, ait, in principio morborum multum ſudãtes, vel periclitatos, vel lõgo fuiſſe morbo detentos ſe obſeruaſſe: propterea in talibus naturæ robur requiritur, vt morbi potentiam ſufferre valeat: ſæpè enim non ex turgentium humorum irritamento proueniunt ſudores, ſed ex natura debili, & retentrice facultate imbecilla, in quo caſu mali, & funeſti iudicantur; nam febribus ſuperuenientes, morbum nõ ſoluunt, vires proſternunt, & affectum acuunt.

Sed inſurgit noua diſputatio in hac materia, quæ multi eſt momẽti, & à paucis conſiderata, quid denotent ſudores, qui in morbis ante paroxiſmos eueniunt. De his legi caſum in obſeruationibus Medicinalibus Ioannis Schenkij lib. 6. cap. 34. de quodam nobili in Heluetia, qui tertianam febrem patiens, ante rigorem, & paroxiſmum per horam ſemper ſudabat copioſiſſimè, poſt ſudorẽ ſequebatur rigor cũ vomitu, poſt rigorem calor vehemens, cum capitis dolore magno. Videtur tangere ſolutionem dubij Hippocrates in Coacis, dum ait: Qui vnà cũ febre incidit ſudor, ſi fuerit acuta, peſtiferus eſt: ſignificatur namque, (vt Iacobus Fontanus in ſuo method. gener. cap. 11. diſputauit) ardor maximus, à quo calor natiuus diſſipatur in principio febre perſeuerante, ſitq; magis expreſſione, quàm excluſione, quod prauum eſt: omnis namq; ſudor ab expreſſione factus, prauus exiſtimatur. Alexander Aphrodiſeus 2. prob. 122. vocat hos ſudores graues, & moleſtos: nam ſicuti ſudores, qui febrem ſequuntur, per relaxationem cutis effluunt, ita qui antecedunt per expreſſionem violentam, ſeu conſtrictionem excernuntur. Satis ſint hæc pro ſudoribus in principio morborum apparentibus.

Sudores in augmento morborum. Cap. XXXIII.

VT ſudores in morborum incremento aſſequamur, neceſſe puto memoriæ mandare, quę prius de morborum temporibus diximus: in hac morbi parte ſcilicet naturam aggredi materiam morboſam, quibus repetitis, ſudores hoc tẽpore apparentes ex conatu naturæ, propter aggreſſum ad ſuccorum peccãtium coctionem prodire, pronunciandum aſſero; calor enim natiuus mouetur ad ſuperandã noxiam materiam, quemadmodum ab Hipp. docemur 3. Epidem. comm. 1. tex. 19. 23. 27. ſuper hiſtoria illius, qui decumbebat in Dealcis horto. Galenus verò nõ laudat hos ſudores, propter morbi cruditatem, hinc videntur dubij, ſeu nec boni, nec mali, tũ quia natura nõ eſt diſpoſita, vt perfectam faciat criſim: tum etiam quia hęc (cruda exiſtente materia) bona eſſe nequit: ſiquidem à cruditate humorum non bonæ, ſed malæ poſſunt prouenire iudicationes. Idcirco inuenire methodũ neceſſe habemus, qua cognoſcamus, quando boni, vel mali, vel quando nec boni, nec mali tales exiſtant ſudores. Hoc totum à morbi naturæ cognitione aſſequèmur: ſi etenim morbus fuerit ſalutaris, vtiq; ſudores boni erunt, licèt hoc tempore criſim nõ habeant perfectam, cũ noxia materia haud euicta, & concocta tota fuerit: ſin verò acutus, & malignus, mali iudicari poſſunt, ſi tunc à crudo morbo, & à viribus morbi, & ſymptomatum proueniẽt. Quemadmodum enim in benigni, & ſalutaris morbi augmento ſigna coctionis apparere incipiunt, eo quia natura, & natiuus calor ad materiam, & noxios humores ſuperandos mouetur: ita in peſtiferi, acuti, & male morigerati affectus incremento, ſigna contraria coctioni ſolẽt apparere; propterea ſudores, ſi excernuntnr inutiles, & maleficos exiſtimandos eſſe volunt: de qua re vide doctiſſimũ Augeniũ tom. 1. epiſt. lib. 6. c. 1.

Sudores ergo in morborum aſcenſu, limitatione indigent, num in ſalutaribus, vel malignis ſuccedant affectibus: ſi enim in ſalutaribus, & cum aliqua humorum à natura coctione, vtiles exiſtimantur, & tunc potiſſimum cum per corpus vniuerſum, atque diebus criticis exudãt: ſymptomataque, & febres ſedauerint, vel ſaltem diminuerint. Equidẽ in tertianis, quartanis, intermittentibus, & morbis conſimilibus non modò veriſſimũ eſt, ſed etiã in continuis benignis; quippe in his (ſignis apparẽtibus coctionis) bonas admittimus criſes, quãuis non perfectas,

quæ

quæ in fine aſcenſus in huiuſmodi apparere conſueuerunt. Porrò ſi in morborũ incremento ſigna ſolēt apparere coctionis: modò citiſſimè, modò autē in illius latitudine, modò in fine, dum natura, quod coctũ de humoribus, & maturatũ eſt, expellit, quis negare audebit, ſudores tunc tēporis excretos bonos eſſe, & ſalutares? Immo dato, & cōceſſo ſudores in augmento morborũ apparentes, per vniuerſum corpus expanſos nō eſſe, ſed ex illius loco particulari extruſos, vtiles etiã iudicari poſſe exiſtimo: quando ſcilicet faciliùs faciunt ſufferre morbũ, quotieſcunq; enim à natura ad purgandum id, quod corpori noxium eſt, via eligitur, illi totum committitur negotium, tanquam prouidę, & de ſalutis animalis, & corporis admodum auidæ. Quocirca, ſi in qua parte datur morbus, ſudor excitatur, atq; à natura regulatur in morborũ aſcenſu, vtilis quippe iudicari poterit, cùm a centro ad circumferentiam corporis materiæ peccantis portio conducatur, qua exudatione faciliùs ægri morbum ſufferre poſſunt, & habent inducias quouſque natura ipſa (facta totali maturatione, niſi arte prius præuentum fuerit à Medico, humoreſque pharmaco purgati fuerint) ad perfectam euacuationem faciendam molitur iudicium.

In acutis verò, & in malignis præſertim morbis, vt plurimũ oppoſitũ aſpicimus, quando ſudores apparentes nō modò inutiles, ſed malignos eſſe obſeruamus: nã ſicuti in benignis morborũ, aſcenſus cum ſignis prodit coctionis, ita malignorũ incrementũ cum ſignis coctioni contrarijs; proinde ſudores à vi morbi excitari veriſimile eſt; ſiquidē natura dum à quantitate, & qualitate mordaciũ, & putridorũ peccantium grauatur, ad illam operandã excretionem ſtimulatur. Hinc (viſis his) affectus fit malignior, vires proſternuntur, peiora gignuntur ſymptomata, & corpus ad interitũ facillimè diſponitur. De his multę ſunt hiſtoriæ in obſeruationibus Hipp. in Epidemijs: vt enim Gal. 3. de criſ. c. 6. & 10. optimã criſim in ſtatu, & morbo iam cocto fieri docet; cęteras autē criſes, quanto ſtatũ anticipauerint, tanto eſſe deteriores. Ideo in malignorũ incrementis, quando ſigna contraria coctioni apparent, ſudores nullo pacto vtiles iudicamus, ſed malos, hinc nō iuuandos, ſed potius cohibēdos ratio demonſtrat: nã ſicuti naturę opera, ex teſtimonio Gal. quotieſcunq; illa propria lege operatur, adiuuanda ſunt, cohibenda verò cũ improbè agit: ſiquidem 1. Aphor. 21. ex illo habemus, Medicũ oportere naturę motũ, & inclinationem obſeruare, quæ ſi ad loca cōmoda fiat, illi inſeruiendum eſſe, ſin verò contrariò, & incommodè prohibere, ſimulq; reuocare, & retrahere excretionē oportere.

Si

Si igitur in morborum aſcenſu ſudores apparent, videndum porrò eſt, an natura criticando (per abuſum vocamus criſim) benè, vel malè agat: etenim ſi benè, iure licet illam adiuuare, ſin malè nequaquam. Hæc methodus ab Hippocrate, & Galeno tanquã certa nobis tradita eſt, vt ex probis, vel malis naturæ operibus, probæ, & infidæ criſes facilè diſcerni queant. Totum hoc ex humorum coctione, vel cruditate adipiſcimus, Hipp. teſtimonio 1. Epid. com. 2. tex. 45. & 46. coctiones celeritatem criſis, & ſalutis ſecuritatem protendunt; cruda autem, & incocta, atque in malos abſceſſus conuerſa ſignificant, aut acriſias, aut dolorem, aut diuturnitatem, aut recidiuas, aut interitum. Quapropter ſudores in hac morborum parte, ſi cum malignis fuerint morbis, & cũ ſignis coctioni oppoſitis, mali ſunt iudicandi, boni verò ſi cum ſignis coctionis prodibunt: fieri enim poterit morbum, quãtumuis acutum, & malignũ, adiuuante natura, miteſcere, ſymptomataq; ſedari, præuia tamen coctione, in quo caſu bonum ſemper exitum ſperamus: ſecus verò in morbis ijs, quibus ſemper ſigna relucent cruditatis, atq; vice coctionis aſpicimus in vrinis modò colorem aqueum, modò liuidum, aut nigrum, & cũ ſuſpenſis, vel ſedimentis nigris: iſti ſunt morbi venefici, & crudeles, & ſudores ex ijs deprõpti maligni, & praui. Hinc Gal. 1. de criſib. cap. 2. quaſdam ægritudines exclamabat, ob earum malignitatem, atq; ob ægrotantis imbecillitatem ſtatim in tempore incrementi hominem occidere: ſicuti & quaſdam alias in ipſo ſtatu. Immò, vt excretiones, & ſudores in acutorum incrementis doceret, haud de iure (eo quod, vt plurimum ex irritamento potius, quàm lege naturæ proueniant) vtiles eſſe vocandos: in 3. de criſib. cap. 6. determinauit: Criſim, quæ ante ſtatum venire videtur, vel forſan propter morbi magnitudinem, vel motus celeritatẽ, vel propter aliquod aliud fieri irritamentum, & tanto hanc, optima criſi fore deteriorem, quanto ſtatũ anticipauerit. Ex quibus verbis facillimè capimus, quã ſint periculoſi ſudores in morborum aſcenſu, atque illi potiſſimum, qui magis elongantur à vigore: nec ſine ratione, cùm in ſtatu, ſiquidem fieri ſoleant optimæ criſes nõ ob aliud, niſi ex perfecta in humoribus facta coctione, qui domati à natura ipſius legibus, & dominio quã promptè ſubijciuntur. In aſcenſu morborum ſalubrium, imperfectæ ſolent eſſe coctiones, veneficorum autem non modò imperfectæ: verum atq; acerbiores fiunt humores peccantes: proinde vel imperfectæ criſes tali tempore videntur, vel eæ infidæ, & malignæ.

Sed dubitatur an in morborum aſcenſu, in malignis morbis poſſint ſudo-

ſudores quoquo pacto eſſe vtiles, etiam apparentibus ſignis cõtrarijs coctioni? Huic dubitationi, ſi ea, quæ ponderauimus in morborum principio vera ſunt circa criſes, quas medias vocauit Trincauellus, ſeu ſecundũ opinionem noſtram in robuſtis viſas corporibus: reſpondere poterimus vtiles eſſe poſſe: nam eadem ratio, quæ in criſibus in principio crudo exiſtente morbo conuenit, poteſt adaptari in augmẽto, quando ſigna cruditatis apparent. Corroboratur hoc fundamentũ Gal. auctoritate 3. de criſib. dicentis: Criſis enim, vel in ſtatu, vel parũ ante ipſum fit, ergo poteſt fieri in augmento. Inſuper ex criſibus æger, vel ſubitò liberatur, vel ſubitò moritur, vel permutatur ad melius, vel ad peius: capitur ex eodem Gal. ibidem, adeò quod datur criſis perfecta, & imperfecta: Imperfecta in morborũ aſcenſu ſuccedit, & poteſt facere ſudores bonos, licèt imperfectos, quibus rationibus in morborum aſcenſu ſi ſudores ſunt boni, ergo ſunt adiuuandi. At nodus hic inextricabilis eſt, nec tam ſicco pede ſoluendus: ſiquidem à Gal. proponitur in lib. cit. Optimas criſes in ſtatu fieri: in augmẽto verò ſi ſalus ſit ſubſecutura, vel imperfectas, vel non ſecuras: in morituris autẽ, vel ſubitò obitum ſuccedere, vel magnam ad peius mutationem effici. Et 3. de diebus decretorijs vtar verbis Andreæ lacunæ. Fiunt itaq; iudicationes optimæ, cùm iam in animantis corpore fuerint accuratè cõcocta: perniciosum autem eſt, ſi quando ipſa criſis prçueniat: nam idonea ſimul cum ijs, quæ lædunt excernũtur, idq; fit natura incitata, vel ab exteriore quodam, vel ab ijs, quæ in ipſo corpore detinentur. Ecce modò, quod mala eſt criſis, quando à ſtimulo morbi, & non à natura prouocatur; huius arma coctiones ſunt, morbi verò cruditates. Modò ſi ſudores in aſcenſu morborum ſuccedunt, vel parum ante ſtatum; ſalutares erunt ſi materię peccantis coctiones prçuenerint: mali autẽ, ſi in excrementis cruditas apparuerit: & peiores, ſi non ſolũ cruditates viſæ fuerint, verùm atque ſigna contraria coctioni: indicant enim omnino ſubijci morbi imperio, atq; fieri criſes, & permutationes, vel ad peius, vel ad mortem: quippe ea omnia, quę in morbis non lege naturæ ſuccedunt, neq; eius decreto erumpunt, nec laude, nec imitatione digna iudicantur. Concedit Gal. criſes parum ante ſtatum, illaſq; bonas, & ſępè perfectas determinauit, cum ſignis verò perfectæ digeſtionis, quemadmodũ in ſalutaribus morbis (non modò in febribus intermittentibus, verum atque in cõtinuis, in quibus multæ fiunt criſes bonæ, perfectæ, vel imperfectæ) ſæpenumero videmus. In malignis verò quotieſcunq; ſigna cruditatis perſiſtunt, atque vice coctionis hu-

morum,

morum, in augmento peiores fiunt corruptelæ in ſuccis, tantũ abeſt, vt ſudores ſint vtiles, vt potius obſint, & permutent corpus, & ad peius, & ad excidium. Quod autem aliquando ſuccedant vel criſes, vel ſudores proficui in malignorum aſcenſu, cum ſignis coctioni contrarijs; non improbo, cùm in natura raró fiant, & non perpetuò: ſiquidem via regulari nullo pacto concedendum puto ſudores iſtos eſſe proficuos, & ſalutares, cùm non erumpant iudice natura, à quo omne bonum in morbis ſuccedere, eſt credibile: ſecus autem ſi à morbo, & cũ ſignis corruptelæ humorum peccantium.

Veniamus modò ad alios ſudores in morborũ aſcenſu, qui nec boni, nec mali iudicantur, non enim morbos tollunt, nec diminuũt, & cùm de ratione boni ex toto ſudores procedere debeant, atque efficere, vt faciliùs infirmus ferat morbum: de ratione mali eſt, habere oppoſitas conditiones; hinc factũ eſt vt nonnullis deficientibus, dicantur aliquãdo nec boni, nec mali. De his dicebat Hipp. 1. Progn. 26. Si verò nihil horum effecerint, inutiles ſunt. Galenus verò in com. dicebat, tertium hũc ſudorum ordinem eſſe modicè malum, nam nec ex toto corpore, nec facit vt faciliùs æger morbum ferat: propterea inutiles iudicãtur: tunc enim temporis natura multo grauamine onerata, atq; ad coquẽdas crudas materias intenta, dum mouetur ad ſudorũ expulſionem à coctione diſtrahitur, atq; victoria retardatur. Idcirco à Medico prouidendum eſt, vt Auic. 2. 4. tract. 1. cap. 71. ad futuri notionẽ, vt ſymptomata, quæ forſitan à ſtimulata natura ſuccedere poſſent, ſuccurrat: namq; iſti ſunt imperfecti, nõ ſecuri, & inutiles, cum regulariter haud oriantur. Apparent tamen non raró ſudores in morborum aſcenſu, & ij boni, at his Medicus perpetuò (licèt prius præceſſerint aliqua coctionis ſigna) fidere non debet, nam quotieſcunq; prodeunt, non perfectuata coctione, ſeu in diebus non indicibus, vel nõ decretorijs, ſed potius intercidentibus, & prouocatorijs, ſuſpecti exiſtimãtur, nam eo tempore, natura haud vltimata coctione, cogitur pugnam aggredi cũ morbo: propterea exactè raró iudicatur morbus, ſed plerunq; imperfectè, ex qua cauſa licèt quodammodo dicuntur boni, fideles tamen non ſunt, ſiquidem ſudores, vt fideles iudicentur, neceſſe eſt, vt congruant cum morbi idea, natura ægrotãtis, ætate, victu, anni tempore, cœli ſtatu, & loco, & præter hæc ſigna adeant coctionis. Conſideret hæc omnia prouidus Medicus, vt noſtram intentionem aſſequatur.

Demum in morbis non exitialibus, dato, quód cuncta bona appareant, & forſitan cum ſignis coctionis, verùm ægri ſudores facilè non tole-

tolerare queant, neq; iuuari percipiant, talibus haud eſt fidendũ, atq; multò minus, quando ægroti pulſus non habuerint meliores, & quietiores: ſed ſpiſſiores, & minus ordinatos. Nã incœptæ coctionis ſigna, & non abſolutæ in talibus morbis, bonam quippe criſim pollicentur: ſed nec certam omnino, nec fidelem; ex illis enim ſanantur multi, ſed non abſq; recidiuis, aut moleſtijs, ſiue laboribus, & longitudine: nõ ob aliud, niſi ex diminuta coctione, quæ has affert imperfectas criſes. Idcirco in huiuſmodi caſibus, ſudores licèt ſint boni, haud certo, haud fideles pronunciabimus, pręcipuè ſi in prouocatorijs diebus hos videbimus, ſiquidẽ de his dicebat Hipp. 4. Aphor. Quibus in febribus ſexta die rigores fiunt, difficilè iudiciũ ſequitur. In quo propoſito, licèt Gal. 6. Epid. com. 3. tex. & comm. 9. aliquando bonas criſes obſeruatas die decima affirmet, vt plurimum tamen credendum eſt, febricitantibus diebus imparibus febres relinquere, cùm pares ſint prouocatorij, & non decretorij: ſed quomodo hoc intelligatur, alibi diximus. Sudores ergo in morborum aſcenſu, boni, ſed non fideles vocantur; propterea modò boni, modò mali dicuntur; nam ſi boni, & ſi non omnino boni, plerunq; ſalutares ſint, at minimè certi, & fideles, neq; perfecti, neque perpetuò ſalutẽ prædicentes, cùm ex ipſis ægros ſæpè mori cõtingat: propterea tale iudicium alijs confirmari ſignis oportet; quæ ſi bona erunt, bonos fore ſudores iudicabimus: ſin mala, infidos, imperfectos, cum recidiuis, & moleſtijs comitaturos præſagiemus.

Sicuti ſudores in morborum aſcenſu imperfectam faciũt criſim, eo quia imperfecta eſt coctio, ita perfectã facient, vltimata coctione, quo tempore fideles erunt, & certi, ſicuti in ſtatu morborum, vel parũ ante illum, ideſt in fine aſcenſus accidere conſueuerunt; tunc equidẽ natura (ſuperata humorum diſcraſia, & malitia) ſine metu cũ morbo pugnam intentat, quaſi certa victoriæ. Hoc totum in ſalutaribus morbis euidentiſſimum eſt, in quibus ex perfecta, vel diminuta humorum coctione, perfectæ, vel imperfectæ ſudorũ ſuccedunt criſes. In malignis autem, & lethalibus morbis, licèt ſudores perfecti, vel imperfecti obſeruentur: ſunt tamen omnes mali, & pernecãtes. Idcirco in hac morbi parte ſudores & boni, & mali dari poſſunt: horum cauſa natura ipſa eſt, quæ ſi fuerit cum virium robore magno, ſæpè ſtrenuè cõtra morbũ pugnabit, facietq; multas in acutis imperfectas criſes. Hinc ægroti aliquando non ſubitò intereunt, nec ſubitò ſanantur; at dum ipſa prælanguidas habuerit vires, perfectas faciet ſudorum criſes ad exitium, atque vnica vice pugnans cum morbo, præ imbecillitate ſuccumbit,

quemadmodum in exactè exitialibus ſæpiſſimè obſeruamus. Quod ſi fuerit robuſta, morbo non cedens iteratis criſibus morbum tentabit debellare: propterea virium magnum robur in malignis affectibus in morborum aſcenſu, ſudores, & criſes imperfectas facit, perfectas tamen, & exitiales languidas virtus, eo quod natura in pugna ſtatim euincitur.

Iſti pernicioſi ſudores contrarijs ſignis ab optimis pernoſcuntur. Hæc ſunt, vt nullo coctionis cõſpecto ſigno appareant in morborum aſcenſu, quando natura humores haud ſuperauit, & concoxit: atq; tũc de eorũ malitia certiores erimus, ſi in diebus decretorijs apparebunt, & excretiones morborum ideis minimè reſpondebunt: vel ſudores ij per ſe ſint mali, & exitiales: de quibus Hipp. 1. Epid. Sudores multi his tantùm aberat, vt recrearent, vt etiam contra lęderent. & paulò poſt: Paululum in fronte, & clauiculis exudabant: ſed nemo per totum corpus. & 3. Epidem. Sudores intempeſtiui frigidi, multi perpetuò. Quare crudo exiſtente morbo, ſudores, & criſes malę fiunt, nã natura à vehementia morbi, atq; celeritate irritatur, inde cogitur, vel ſubitò ſine pugna ſuccumbere, vel cũ morbo dimicando, ſudores excitare, vel criſes pernicioſas, quibus ſi virtus lãguida fuerit, ſtatim extinguitur. Cognoſcimus tunc temporis, ſudores eſſe prauos, præter allata, ſi alia ſigna lethalia conſpicientur, quales ſunt vrinæ nigræ, turbidæ, cũ nigris ſedimentis, vomitus virulenti, alui colliquationes, extremarũ refrigerationes non recaleſcẽtes. De his Hipp. Sudabant ſemper, ſed non toto corpore: multum extremitates frigebant, vt vix calorem reciperent. Item frigidum per os expirare; vel per nares reſpirare: Iſti ſudores, & ſimiles criſes ſæpè imperitos Medicos decipiunt, nam ex iſtis natura extincta infirmi melius quieſcere videntur; at ex languidis pulſibus ſapientes, & eruditi hanc morbi fallaciam peroptimè noſcunt: dicebat enim Gal. 3. de criſib. Debilior verò, atq; inordinatior, & inęqualis eſt pulſus in mortalibus declinationibus, nam vnà cum alijs tunc calor febrilis expirat, atq; hinc ſpecies melioris exoritur, deinde paulò poſt, vel cum ad leuandum ventrem ſurrexerint, animi defectũ incurrunt, & nonnulli pauco, ac tenaci ſudore effuſo moriuntur, vel etiam ſine ſurrectione. Ecce modò, quòd poſt ſudores, & criſes pernicioſas ægri redduntur inquietiores, & magis debiles, atq; ſæua augentur ſymptomata, niſi ſtatim moriũtur. Quod oppoſitum in ſalutaribus ſudoribus aſpicimus, nã ijs peractis, ægri magis placidi, & quieti redduntur, ſymptomata vel prorſus tolluntur, vel diminuuntur, adeo quod in melio-

rem

rem ſtatum,illos venire conſpicuum eſt. Cæterum in pernicioſis licèt ægri releuari videantur, ſeu liberi à ſymptomatis, quibus opprimebã-tur; his tamen nõ eſt fidendum,cùm id omne ſine ratione fuerit factũ, & ſine naturæ ſententia:atq; hoc volebat innuere Hipp.2.Aphor.27. dũ dicebat:His,qui non ex ratione leuiùs ſe habent,non oportet fidere,neq; multum formidare mala,quæ præter rationem eueniunt,plurima enim talia ſtabilia non ſunt,neq; multũ perdurare,& permanere conſueuerunt. Noſcitur ergo falſum releuamen in talibus,nam,vt ait Hipp. eorum alleuatio ſtabilis non eſt, & bonus ſtatus hic nihil durat, nam & ægri languidiores,& eorum pulſus debiliores,& inęqualiores fiunt, & peiores. Summa omnium ſit, Sudores hos ſi fuerint perfecti ratione criſis,mortem afferre: imperfectos verò mutationẽ ad peius; deſeruiant hiſtoriæ vxoris Dromedai, & Pithionis pro exemplis, vt 1.Epid.com.3.tex.26. De primo dicitur: Sexta die mane ſuperriguit, citò percaluit,toto corpore ſudauit,extrema membra frigida, delirauit,ſpiritus magnus,& rarus. & rurſus paulò poſt: Conuulſiones à capite cœperunt,ſubitò obijt. Et de Pithione. Decimo mane ſine voce, multum frigus,febris acuta, multus ſudor: obijt.

A ſudoribus verò malis,& pernicioſis, qui imperfectam faciunt criſim ad interitum,& à quibus in peius fit mutatio, cur ægri ſubitò autẽ non intereant:ratio eſt,nam vires habent prævalidas,& ſtrenuè contra morbũ pugnantes; ſicuti enim in exitialibus perfectis vna vice natura prælians, propter imbecillitatem morbo ſuccumbit, ita robuſta iteratis vicibus,cum morbo pugnat,antequam ſuperatur. Idcirco, vt diximus,magnum virium robur, ſudores excitat in pernicioſis affectibus exitiales, & criſes imperfectas, veluti minus robur perfectas, eo quod natura in pugna ſubitò vincitur,& ſuperatur.

At perfectarum,& imperfectarum criſium,& ſudorum eadem ſunt ſigna, vno tamen excepto, quòd imperfectæ fiunt, vt plurimum cum incœpta aliqua humorum coctione, adeo quod in hac parte morborũ innoteſcunt potius,quàm in principijs, quemadmodum ſi alui excrementa fuerint liquida, deinde parum incraſſentur,ſed tamen inæqualiter,vt vna die craſſiuſcula ſint,altera verò liquida.Item ſi vrina bonã habuerit in colore,vel in contentis mutationẽ, verùm non ſit ſtabilis, nam ſtatim ad ſolitam redit cruditatem.Porrò ſuccedere poteſt vt natura robuſta, dum pugnat cum morbo, leui aliqua coctione ad præliũ excitetur, atque efficiat vt quoquo pacto morbo ſuis armis patiatur: propterea in prauis affectibus ſæpè in vrinis videri ſolent,quędam co-

ctionis ſigna,nam ex tenuiſſimis,& crudis, fiũt ruffæ melioris coloris, & craſſiores. Immo craſſas,& turbidas ante mortem claruiſſe notatũ eſt,& (quod eſt mirabile)ſedimentum etiã aliquando habuiſſe. At hęc coctionis præludia ſtabilia haud ſunt, nam in peius ſtatim mutantur, quod inde volebat Hipp. innuere, dum his vrinarũ, aliorumq; excrementorũ præludijs coctionis Medicos fidere non debere conſulebat. Idcirco ſciendum eſt,apparẽtibus criſibus cum talibus coctionis præludijs,perſeuerante febre,ſigna lethalia fore expectanda: nam certiſſimum eſt, naturam propter magnum virium robur, tãdiu ſeruari: verùm quia morbi potentiam ſuperare nequit,proinde longo tempore ab eo oppugnatam marceſcere,& extingui neceſſe eſt.

Diſtinguuntur itaq; ſudores critici imperfecti à perfectis in lethalibus morbis,nam perfecti fiunt nullis cõſpectis ſignis coctionis,ſed potius viſis coctioni oppoſitis, atq; viribus minus robuſtis, quo fit naturam, cum quicquam nequeat morbi alterare, vel concoquere ſtatim magno morbo prima pugna ſuccumbere. Imperfecti verò in corporibus robuſtiſſimis,& validis ſuccedunt,quorũ natura non ſemel,& bis, ſed pluries morbis oppugnata,non niſi longo temporis ſpatio euincitur,quo tempore aliquid contra morbum etiam parat,ideo aliqua cõſpiciuntur coctionis leuia veſtigia, quæ nec augentur,nec diù durant, ſed poſt paululum euaneſcũt. In ſalutaribus affectibus ſigna coctionis in dies augentur, atq; ſtabilia ſunt, ſudoreſq; tunc temporis facti, licèt in aſcenſu imperfecti ratione non vltimatæ coctionis exiſtant,ad perfectionem tamen reducuntur miniſtra natura, vel in ſtatu, vel parum ante illum.Sed dubitaret aliquis, An æger mori poſſit,vel ſanari abſq; criſi? Cui dicimus,quod ſic. Mori enim poteſt, teſte Gal.3.de criſib. infirmus abſq; iudicio,primò ex virium imbecillitate,ſecundò ſi nullũ adſit ſignũ coctionis,& præter hęc ſi magnus ſit morbus, malignuſq;, & celeriter moueatur, cùm enim hæc affuerint, omnino abſque criſi mors ſubſequetur.Salus etiam infirmis abſq; criſi ſuccedere poteſt,cũ morbi paulatim ſanantur:nam ijs nulla vera fit criſis,ſed materiæ peccantis conſumptio, vt Laurentius Scholzius 5.Aphor.ſect.cap.2.

Vt autem ea,quę à nobis adducta ſunt, clariora videãtur, voluimus Lectori aliquot Hipp.hiſtorias recitare,quę veluti exempla deſeruiãt ſudoribus, vel criſibus in aſcenſu morborum apparẽtibus, tum perfectis,tum imperfectis iudicijs naturæ, atq; ſalubri,vel infido morbo,in quibus corpora robuſta, debiliaq;, nec non vires,& facultates naturę ceu pictura apponentur,ad hoc vt ritè omnia conſequatur.

Exem-

Exemplum ex Hippocrate 3. Epidem. iuuenis robuſtiſſimæ, quæ ante mortem pluries iniuit pugnas, & criſes, ob virium robur, cum morbo, quas ſuſtinuit; vbi omnia ſigna exitialium, imperfectarum criſium, & ſudorum recognoſcuntur.

MVlierem, quæ decumbebat in mendacium foro tunc enixam, primum laborioſè maſculum, febris magna prehendit: ſtatim incipiens ſiticuloſa, anxioſa, cor ſubdolebat, lingua præarida, aluus turbata eſt, tenuibus paucis, non dormiuit.

Secunda parum ſuperriguit: febris acuta, parum circa caput ſudauit frigido.

Tertia laborioſè: ab aluo cruda, tenuia, multa prodibant.

Quarta ſuperriguit, omnia exacerbata ſunt, vigil.

Quinta laborioſè.

Sexta per eadem, ab aluo autem ſucceſſerunt humida multa.

Septima ſuperriguit, febris acuta, ſitis multa, iactatio, circa veſperum ſudauit per totum frigido: refrigeratio extremorum, nõ amplius recaleſcebat, & rurſum ad noctem ſuperriguit, extrema non recaleſcebant, non dormiuit, parum delirauit, & rurſum celeriter ad mentem rediјt.

Octauo circa meridiem recaluit, ſiticuloſa, comatoſa, anxioſa, vomuit bilioſa, exigua ſufflaua, noctem moleſtè, non dormiuit, minxit multum confertim ignorans.

Nona remiſerunt omnia, comatoſa, ad veſperum parum ſuperriguit, vomuit exigua bilioſa.

Decima rigor, febris exacerbata eſt, non dormiuit quicquam, mane minxit, multum ſedimentum habens, extrema recaluerunt.

Vndecima vomuit virulenta bilioſa, ſuperriguit non multo poſt, & rurſum extrema frigida, ad veſperam ſudor, rigor, vomuit multa, noctem laborioſè.

Duodecima vomuit multa nigra, graueolentia, ſingultus multus, ſitis laborioſè.

Decima tertia nigra fœtentia, multa vomuit, rigor circa meridiem, ſine voce.

Decima quarta ſanguis è naribus, mortua eſt, huic vſq; in finẽ aluus humida horrida, ætas circa annum decimum ſeptimum. Hic caſus dignus eſt ad cognoſcendas lethales criſes imperfectas, quæ in morbis mali-

malignis,& pernicioſis alio modo ſuccedere nequeunt, quam magno virium robore, vt in verbis Hippocratis adnotari poteſt.

Exemplum in ſudoribus, & criſibus perfectè exitialibus.

DRomeadæ coniugem, poſt filiam enixam, alijſq; omnibus factis ſecundùm rationem, in ſecunda die exiſtentẽ, rigor corripuit: febris acuta: cœpit autem dolere. Prima die circa Hypochondrium, anxioſa, horrida, inquieta, & ſequentibus non dormiuit, ſpiratio rara, magna ſtatim retracta. Secunda aqua riguit ab aluo, honeſtè ſtercora prodierunt. Vrinæ craſſæ, albæ, turbidæ, quales fiunt ex ſubſidentiam habentibus, quando conturbantur ſepoſita multo tempore: non ſubſidebant, nocte nõ dormiuit. Tertia circa meridiem ſuperriguit, febris acuta, vrinæ ſimiles, hypocondrij dolor anxioſa, noctem difficiliter, non dormiuit, ſudauit, per totam ſubfrigida: celeriter autem denuò recaluit. Quarta circa quidem Hypochondria parum alleuiata eſt, capitis verò grauitas cum dolore ſubſoporata eſt, diſtillarũt pauca à naribus, lingua valde ſicca, ſiticuloſa, vrinæ tenues, oleoſæ, parũ dormiuit. Quinta ſiticuloſa, anxioſa, vrinæ ſimiles, ab aluo nihil, circa meridiem multa, delirauit, & rurſum celeriter aliquantulum reſipuit, cùm ſurrexiſſet ſubſoporata eſt, refrigeratio modica, noctem dormiuit, delirauit. Sexta manè ſuperriguit, velociter autem incaluit, ſudauit per totum, extrema frigida, delirauit, reſpiratio magna, rara, paulò poſt conuulſiones à capite incœperunt, & celeriter interijt.

Hæc mulier à principio habuit ſigna mala, & cum ſignis cruditatis perſeuerauit, vt aſpicitur, in quinta die. Idcirco, licèt habuiſſet ſudorẽ tertia die per totum, tamen ſtatim recaluit, nam & ille malus erat, & ideo non alleuata eſt, proinde in 6. ſudoribus exitialibus perfectè iudicata eſt: poſt illos enim alia praua ſucceſſerunt ſymptomata, & ſubito obijt. Hęc criſis debili potius, quàm robuſto ſucceſſit corpori, eo quia hæc filiam peperat, & laborioſè: proinde vires debiliores ſunt factæ, & morbus potentior, vt viſum eſt in prima die: Hinc natura cum nequiuerit quicquam alterare, vel concoquere morbi, meritò in pugna cum morbo in ſexta occubuit.

Exemplum de ſudoribus, & criſibus perfectis in morbis ſalutaribus in hiſtoria de virgine in Lariſſa apud Hipp. adaptari poteſt. Huic ſexta die è naribus largè ſanguis effluxit, horruit, & multo ſudore calido per totum ſudauit, & iudicata eſt abſq; febre: In febribus autẽ, etiam

facta

facta iudicatione muliebria prodiderunt. In hac fęlix iudicatio facta eſt per ſanguinis è naribus fluxum, & per vniuerſalem ſudorē in ſexta die: & quia dies hic tyrannus quandoquidem eſt, propterea ad fugiendam eius malitiam, neceſſarius erat fluxus ſanguinis, multus largus, & copioſus, & multitudine, & duratione, nam & cumulatus fuit hic fluxus per menſes eruptos, citra ſudorem, qui per totum fuit, quibus optimè liberata eſt.

Sed quis quæreret quomodo ſuccedere potuit in virgine hac ſudor calidus, & vniuerſalis in tãta ſanguinis profuſione, cum natura videatur habere excretiones per diuerſas partes, quod eſt abſurdum. Huic dicimus ardentibus febribus eſſe familiare ſudoribus eas terminari, quod autem euenerit in virgine hac cum ſanguinis fluxu, mirum non eſt: in ea enim multum ſeri exuberaſſe demonſtrant illa excrementa aquoſa, quæ tertia die apparuerunt, è quibus ſudor cauſari potuit. At quod mirabiliùs in hiſtoria hac eſt, Cur horror, & non rigor, vt cõſueuit, anteceſſit ſudorem hunc futurum, & copioſum, vt in ardentibus fieri ſolet? Huic doctiſs. Mercurialis in com. hiſt. in Prælect. Piſ. exponit, hanc multum inhorruiſſe, atq; rigorem non eueniſſe, eo quia maior portio illius humoris bilioſi, & acris, à quo fit rigor vnà cum ſanguine ferebatur, tum ad nares, tum ad vterum, tum etiam ad aluũ, per quas vias etiam euacuata fuit.

Exemplum de ſudoribus, & criſibus imperfectis, ſed ſalutaribus in hiſtoria Anaxionis in Abderis adaptari poteſt: Hic decumbebat ad Threicias, vt Hippocrates ait: in cuius morbo multi ſudores, & criſes imperfectæ cernuntur: vltimò autem, quod fuit die 34. perfectè fuit iudicatus ſudore per totum: quibus colligimus, ſudores in morborum aſcenſu imperfectos eſſe, tum in ſalutaribus, tum exitialibus affectibus, niſi forſitan in pernicioſis, vires adeò debiles fuerint, vt mors ſuccedat, quo caſu ſudores eſſe perfectè exitiales obſeruamus: at morte non ſuccedente, imperfecti, quod criſes vocantur: Hinc ſudores in tali morbi parte apparentes, modò boni, modò mali, modò inutiles, modò peſſimi dicuntur; ſunt enim perpetuò in aſcenſu non penitus fideles, non certi, non ſecuri, cùm fidelitas, & certitudo morborum ſolùm in perfecta, & humorum peccantium exquiſita coctione conſiſtat, cum illa enim naturæ victoria reſultat, atque in ſtatu, vel parum ante illum in ſalutaribus affectibus clariſſimè conſpicitur.

Sudores

Sudores in morborum conſiſtentia. *Cap. XXXIV.*

MOrbi conſiſtentia, ſeu vigor eſt vehementiſſima omnium temporum pars, nam in ea potentiora vigent ſymptomata, & maiora incõmoda: propterea dicebat Hipp. 2. Aphor. 30. Circa initia, & fines omnia imbecilliora, cùm verò conſiſtunt, fortiora. Idcirco paulò ante Medicũ monebat, vt ſi quid in morbis mouendum eſſet, ipſis inchoantibus faciendũ fore, eo quia in ſtatu melius eſt quietem habere, & rationabiliter, nam ſi natura tunc maioribus opprimitur laboribus, cùm ſit in pugna continua cum morbo, vt iudicium, & criſis ex ſui parte eueniat: morbus verò reſiſtẽdo inſidias parat, vt natura ſuccumbat, & ſua ſit victoria, ad quid erit naturam moleſtare, vel à pugna, & humorum coctione diſtrahere, quam ei necem præparare? Hinc facilè coniecturare poſſumus, ſudores in ſtatu morborum apparentes, fieri maximo prælio, maximaq; pugna inter naturam, & morbum, illoſq; denotare vel perfectam victoriam naturæ, vel morbi, quod erit, exitium. Dum autem Gal. 3. de criſ. cap. 10. de præſenti negotio verba facit: Optimas criſes in ſtatibus fieri, in augmẽtis verò ſi ſalus ſit ſubſecutura, vel imperfectas, vel non ſecuras: morituros enim vel ſubitò interimere, vel magnam ad peius facere mutationẽ demonſtrauit. Sunt ergo ſudores in ſtatu morbi criſes perfectæ, tam ad malum, quàm ad bonum: ſolent enim vel perfectã ſalutem, vel mortem inducere. Porrò ſi naturæ virtus robuſta fuerit, vt Gal. loc. cit. & morbus velociter moueatur, atq; ſigna affuerint coctionis, vtique boni erunt ſudores in ſtatu. At ſi morbus fortior, naturaq; debilis ad pugnam, atq; præ debilitate humores concoquere nequiuerit, in ſtatu oppugnabitur: eruntq; criſes, & ſudores pernicioſi, & mali, licèt ſine criſibus poſſint etiã ægri tum in principio, tum augmento, & ſtatu morborum interire: quando præſertim natura adeò reperitur lãguida, vt nequeat pugnam adire, ſed ſuccumbat: de qua re vide Gal. 3. de criſib. 6. 7. 9.

Sed antequam veniamus ad omnium diſtinctionem, differamus aliquantulum de duplici ſtatu in morbis, vt ſudores in hac parte apparẽtes perfectè noſcamus. Vnus eſt ſtatus morbi, alter verò ſtatus naturę. In ſtatu morbi vigent ſymptomata, & ipſe vltimas vires exercet, neq; amplius magnitudine, & vehemẽtia augetur: eius vexillũ cruditas eſt.

Status

Status naturæ eſt, qui non penes morbi maiorem vehementiã, ſed penes exquiſitam coctionem cognoſcitur. His conceſſis, facilè pronunciare poterimus, ſudores in ſtatu morbi pernicioſos, & exitiales eſſe: ſiquidem à morbi fallacia, & à victoria ſupra naturam contingunt. At in ſtatu naturæ ſalutares, & ſecuros, nam in eo optimæ, & perfectæ criſes in bonitate ex vltimata humorum coctione apparent. Quomodo autem vterque ſtatus præuideatur, audi.

Curioſum, & delectabile eſt in ægrotantium corporibus, morbi, & naturæ opera perſcrutari, cùm alter inimicus, alter verò defenſor exiſtat, prout Reges, & potentes in conflictis bellicis facere conſueuere. Morbus tanquã inimicus animantis corpus deſtruere nititur. Natura ipſa dux, & pręfectus ab inſultibus, & inſidijs morbi defendere ſtudet. Equidem dux potentiſſimus ſi cum hoſte prælium habet, parat exercitum, & militibus imperat vt ex multis partibus caſtra aggrediãtur, & adeò expugnent, quouſq; caſtra, & defenſorem hoſtem in ſuã redigant poteſtatem. A pari, morbus tanquam dux perfidus, & iracundus, ex varijs ſymptomatibus, & morbis compilatum habet exercitũ, quibus corporis partes multas conculcare conatur. Natura autẽ ipſa ceu zelotipus defenſor à ſymptomatũ incurſibus, & à morbis inſidijs cuſtodire corpus, & eius virtutes tentat: omnibuſq; ſuis viribus ne ipſamet morbo ſuccumbat, vtitur. Quis eſt, qui hæc conſiderans, non exclamet? Quàm mirabilia ſunt opera Dei: ipſe enim naturam fecit eruditam, & ei cõceſſit artem, & ſtudium, vt tueri ſciat. Hinc illa ſingulis corporis partibus multas diſtribuit facultates: his ad inſtar militum ad corporis tutelã vtitur, quibus morbi violẽtijs reſiſtere parat. Proinde ſi hę robuſtæ, & validæ fuerint, credibile eſt morbum ſuperaturã, atq; ſymptomata, & morbi vires deſtruentem, plenam victoriã magno applauſu conſecuturã. Sunt porrò robuſti milites cum ducis prudentia comitati, victoriæ, exercituſq; contrarij ruinæ potiſſima cauſa. At ſi illę debiles fuerint, facili negotio, naturam tanquã inualidis munitam militibus, & debilioribus partium viribus inſtructam in ſui inimici redigi poteſtatem, morboq; ſuccumbere, non eſt ambigendũ. Perpendamus itaq; in inſtituto noſtro vtriuſq; vires, & diſcernamus, quando ex his ducibus alter altero ſit robuſtior; ita profectò ſudores in ſtatu morborum, num ad ſalutem, vel interitũ corporis moueantur, venabimur: ſiquidem criſes veluti victorię, & triumphantis ducis exiſtunt vexilla.

Natura, vt multis Medicis placuit, præſertim Hippocrati, & Gal. quidam eſt ſpiritus, ſeu calor innatus, & congenitus ex elementorum

moderantia exortus, atq; in partibus ſpirituoſis,carnoſis,& ſolidis vitam habens. Cõprobatur hoc ex corporibus,quæ quanto pluri calore innato abundauerint,tanto perfectiùs,& robuſtiùs ſuas exercent functiones: imbecillius verò ſi de huiuſmodi calore minus participãt,cuius naturæ ipſi ſenes ſunt. Hinc pueri 1.Aphor.14.ex Hipp.quia plurimo redundant innato calido,naturæ munera perfectiſſimè exercẽt; nam & cibum appetunt, retinent,& concoquunt, ipſum in alimẽtum corporis demittunt,& inutilia excrementa excernunt, & conſumũt: hinc eſt, quod illi faciliùs aliarum ætatũ hominibus, maximos poſſint ſufferre morbos. At ſenes, quia eorum corporibus parum ineſt calidi innati,langueſcentes habent facultates,& in muneribus naturę imbecillimè ſe gerunt. Si igitur calor innatus (licèt alij dicant,naturam vti hoc calore tanquam inſtrumento)& validarum,& debilium corporis operationum,vt iſti ſapientiſſimi viri autumant, eſt cauſa: rationabile eſt,eas noſtri corporis partes eſſe robuſtiores,quæ magis de hoc calore participauerint,debiliores verò,quę minus.Si enim in cerebro,ſtomacho,hepate, corde plurimũ inerit caloris iſtius, vtiq; munera propria perfectiùs exequenter, ſiquidem concoctiones inculpatæ fient, pauca generabuntur excrementa,& alię operationes optimum adipiſcentur finem: ſecus ſi parum inerit,quippe imperfectæ fient functiones: ita in alijs partibus corporis eſſet aſſerendum: propterea ſi multum, vel parum in corporibus fuerit innati caloris, robuſtiora,vel debiliora ea erunt in exequendis vitæ muneribus.

Sed videamus,amabò,quæ ſint facultates illæ, quibus pro corporis tutela vtitur natura. Hę in triplici commenſurantur numero. Vna dicitur Animalis,altera Vitalis,tertia verò Naturalis:de ijs mentionem fecit Gal.9.Method.c.10. Prima cerebri curam habet;Secũda cordis; Tertia hepatis: ſuntq; veluti præfecti pro arcis alicuius cuſtodia; nequeuntes autem ſoli defendere ad euitandas inſidias; alijs vtuntur militibus. Propterea facultatibus his nõnulla fuerunt addita inſtrumenta,quæ ipſis in corporis munimine ſubſeruirent. Animalis ſiquidẽ facultas neruos habet, Vitalis arterias, & Naturalis venas. Per neruos corporis partibus ſenſus,& motus à cerebro defertur. Per arterias vitalis ſpiritus à corde communicatur. Per venas ſanguis ab hepate adnutriendas partes delabitur: & hac via viuunt corporeæ partes ope vitalis ſpiritus:ſentiunt,& mouentur ope animalis: nutriũtur denique ſanguinis ope,à iecore per venas emiſſi,nec eſt in corpore pars aliqua viuens,quæ non ſit neruis, arterijs,& venis à natura munita, vt viuat,

alatur,

alatur,ſentiat,& moueatur. In ſingulis etiam partibus corporis,ſpirituum calores inhabitant,vt ijs facultates ipſæ,pro vita conſeruanda vtantur; vocant Medici calores hos (quos natura partibus omnibus prout neceſſe eſt diſpenſat) vires, de quarum efficacia, & opera aliàs loquuti ſumus.

A quibus autem facultates ipſæ perficiãtur, inſtituti ratio ſtimulat vt verba faciamus. Animalis,quæ cerebri curam habet,plures retinet actiones,ſiquidem numero quinque ſunt, Senſitiua, Motiua, Imaginatiua, Ratiocinatiua,& Memoratiua. At Sẽſitiua in quinque alias actiones diſſeminatur,videndi ſcilicet,audiendi,odorandi,guſtandi,& tangendi. Vitalis verò,cuius munere viuimus, duæ ſunt actiones, motus arteriarum,& reſpiratio. Hac frigidus aer per aſperã arteriam,& pulmones ad cor labitur, vt calor vitalis frigida ventilatione contemperetur:pulmonum verò dilatatione cordis calor recreatur,fitq; purior, namq; & genitæ fuligines,quaſi compreſſæ euacuantur: hinc facta eſt reſpiratio,vt calor cordis innatus, frigore cõtemperetur, & à fumoſis vaporibus,& fuliginibus purgaretur: Huic arteriarum motus additus eſt, vt perfectiùs, atque per alias partes opera hæc perfici potuiſſent. Naturalis facultas tribus vtitur pręcipuis actionibus,nutritione nimirum,augmento,& generatione,quibus alię deſtinantur,attractrix ſcilicet,retentrix,concoctrix,& expulctrix,ſi quæ aliæ ſunt,ſub his continentur, ſine quibus corporeæ partes nec generari, nec augeri, nec nutriri queunt. Atq; iſtæ ſunt facultatum actiones, quæ ſi in corpore robuſtæ, & inculpatæ fuerint,naturam robuſtiſſimam, atq; ab ea plurimum innati caloris ad illas,& ad earum inſtrumenta demitti denunciant. At ſi debiles,vel vitiatæ fuerint,inopiam caloris,naturam debilem, vel inſtrumenta male affecta arguere poſſunt.

Si autem omnium optamus adipiſci cognitionem,per ſingulas tres facultates in morbis ſpatiari, eorumq; robur,& debilitatem compenſari neceſſe eſt. Cognoſcemus vtiq; in ęgris,animalem facultatẽ robuſtam eſſe,eamq; valentem,ſi ſenſus omnes,tam interni,quàm externi, (hos actiones facultatis animalis ſuperius eſſe diximus) à naturali ſtatu minimè mutati fuerint, quod volebat innuere Hipp. 2. Aphor. 33. In quouis morbo mente conſtare,ac bene ſe habere ad ea,quæ offerũtur bonum,cõtra verò malum: ſiquidem ſenſus cùm rectè quoad imaginationem,memoriam, rationem,atq; motiuam pertinet potentiam ſe habebunt,vtiq; facultatem cerebrum inhabitantem nullam contraxiſſe offenſam præſagiunt. At ſi à naturali ſtatu diſtauerint,labem cõ-

traxiſſe veriſimile eſt. Hinc facultates, actiones, vel inſtrumenta, vel ablatè, vel diminutè, vel deprauatè (introducto vitio) munera propria exequentur. De his loquebatur Hipp.4.Aphor.49. Si non videat, vel non audiat, debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt: Proinde malæ ſunt ſurditates, cœcitates, paraplegiæ, tremores, atq; aliæ vitiatæ actiones, quippe labem in cerebro introductã fuiſſe arguunt: Nam ſicuti ex Hipp. bonum erat, ægrotos mente conſtare, eo quia ſignum hoc facultatem animalem deſignat contra morbum robuſtiſſimis viribus reſiſtere; à pari ſublata ratione, & diſcurſu illam eſſe imbecillam, atq; contra morbũ paucas retinere vires coniecturamus. De his 1.Prorrhet.8 habemus exemplum. Pręlanguentium deſipientiæ peſſimæ. & 6. Aphor.53. Deſipientiæ, quæ cùm ritu fiunt ſecuriores, quæ verò cum ſtudio periculoſiores, nam cum riſu ſanguinem dominari, cùm ſtudio autem atram bilem patefaciũt. Et ex Coacis. Quæ pauco tempore feroces fiunt, in ferinas deſipientias euadũt. Inſaniæ vehementes lethales ſunt ex magna labe in cerebro cõtracta, ex qua infirmi omnis generis præſidia, ſine quibus vita conſeruari nequit reſpuunt. Inſuper 1.Progn. habemus ex Gal. Phrænitidis omne genus eſſe exitioſum, nam ratio, vel imaginatio oblęſa, virtutẽ cerebri debilem eſſe præſagit. Memoria itidẽ ablata, diminuta, vel deprauata, prauum in acutis arguit indicium: ſiquidem legitur 2.Prorrhet. Ignorantia cum rigore malum, malum quoq; obliuio. De vitiata memoria Thucidides locutus eſt, in ea peſte, quæ Athenas deuaſtauit, quippe multos ad talem deueniſſe obliuionem perhibet, vt nec amicos, nec conſanguineos cognoſcerent.

Sed accedamus ad Motiuam potentiam, ex qua ſicut in morbis bonũ eſſe facilè moueri percipimus; ita difficulter moueri malũ, quippe motus quilibet vitioſus, ſiue oblæſa actio, quæ ab arbitrio naſcitur, vitiatum oſtendit cerebrũ: motus quidem, vt tremor, & conuulſio, actio verò, vt manuum geſticulatio, ſpectra falſa, frequens reſpiratio, & alia multa. Ex his, cerebri læſio facultatẽ animalem, & ipſius cerebri temperiem vitium contraxiſſe denotat: vtique motio quælibet immoderata, & corporis partium, quæ à voluntate mouentur immoderata quies, ſi citra euidentem cauſam eueniunt, delirium minantur. Hinc Hipp. in Progn. Quin etiam oculorum per ſomnum, ſuſpectiones obſeruandæ ſunt. Vbi enim palpebræ non committuntur, ſed inter has, ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens aluus, aut medicamenti potio præceſſit, præſertim ſi quis non ſic dormire conſueuerit,

prauum

prauum hoc ſignum,lethaleq; admodum eſt. Si palpebra,aut labrum, aut naſus retorquetur, aut pallet,aut liuore inficitur, accedente quopiam reliquorum ſignorum, ægrum morti proximum eſſe haud dubitandum eſt. Idem 4. Aphor.49.

Circa cubitum. Quemadmodum optimus iudicatur,qui ſanorum ſimilis eſt, quod arguat facultatis Motricis robur, cuius proprium eſt mouere,& in loco continere, ita prauus eſt,qui à naturalibus differt: de hoc ita loquebatur Hipp. Deprehendendus eſt æger in dextrum, ſiniſtrumue latus cubans,brachijs,ceruice,& cruribus paulũ reductis, ac vniuerſo corpore molliter affecto, qui ferè ſani, quoq; iacentis habitus eſt, quippe cum optimus ſit ille decubitus, qui à ſanorum cõſuetudine non variat.Sed non laudatur decubitus,quo brachia,ceruix,& crura extenduntur: facultatis enim Motricis debilitas ſignificatur. Id verò grauius eſt,ſi ſeipſum æger continere nõ valens,ad pedes deinde delabitur. Hoc euenit propter facultatis motricis proſtrationem. Et vbi pedes nudat,neq; ijs calor ſubeſt: vbi brachia, ceruicem, & crura inæqualiter diſpergit,ac nudat,mali morbi,angoriſq; ſignum eſt.Pernicioſum eſt vbi hians quis aſſiduè dormit, aut vbi ſupinus iacet, cruribus vehementer contortis,complicatiſque. Cognoſcimus ex his facultatis animalis languorem,vel cerebri debilitatem. Super ventrem cubare,qui per bonam valetudinem, ſic dormire non conſueuit,malũ eſt,quippe delirium,aut ventris dolorem portendit.Vbi reſidere vult æger in ipſo morbi vigore,malum eſt in omnibus acutis affectibus,ſed longè peſſimum pulmonibus laborantibus. Stridor dentium præter cõſuetudinem,& rationem inſaniã ſignificat,& mortem. In 2.Progn. Grauitas verò,quæ vel manus,& pedes, vel reliquum quoque corpus premit,periculum ſignificat. Quòd ſi cum grauitate vngues quoque, ac digiti liuore afficiantur, continuò perniciem expectare oportet. Nam quanto peius facultates contraxerint vitium, vel plures fuerint errores,tanto ægri peiores fiunt: modò grauitas corporis motiuæ facultatis læſionem indicat,& proinde animalis facultatis.Liuiditas extremarum partium, caloris natiui mortificationem arguit, iure ergo in propinquo mors eſt. De manuum geſticulatione in 1.Progn.habemus notas.Si quis enim eas faciei admouerit, vt id quidpiam ſuperuacuè venetur, aut feſtucas carpat, aut à veſte floccos, aut à pariete paleas auellat,omnes hæ in acutis febribus malę,lethaleſq; ſunt.Colligimus ex his malum,nam iſta fiunt, imaginatione valde vitiata.

In vitioſa itaq; motrice facultate, facultatis animalis arguimus debili-

bilitatem: ex vitiatis etiam ipſius motricis actionibus (cuius ſymptomata ſunt conuulſio, ſingultus, tremor, horror, rigor) naturam; potiſſimum autem animalem facultatẽ eſſe morbo infirmiores declaramus. De conuulſione 4. Aphor. ita locutus eſt Hipp. In acutis febribus conuulſiones, & circa viſcera dolores fortes, malum. A vomitu ſingultus, vel oculorum rubor malum. Tremores in acutis mali ſunt, debilem enim oſtendunt facultatem, præſertim ſi in phrænitide apparuerint, vt 1. Prorrhet. Phrænitica in vehementer trementia finiuntur. Et de rigore, eodem lib. Ignorantia cum rigore, malum; & à rigore refrigeratio non recaleſcens, malum. & 4. Aphor. Si rigor incidit, febre non deficiente, ægro iam debili, lethale. Horrores in acutis, malũ denunciant: de his Hipp. 3. Epid. com. 3. tex. 3. Horrebant, & ſub mortem delirabant. Vigiliæ etiam debilitatem arguunt facultatis, ſiquidẽ aſſiduę vires reſoluunt, cerebrumq; deſiccant. Immoderatus ſomnus, & veternoſus languorem facultatis, præcipuè ſi ex eo morbus haud alleuatur, denunciat. Hinc Hipp. 2. Aphor. Quibus in morbis ſomnũ laborem facit mortale, ſi verò iuuat, non mortale. Inſuper ſomnus ſimul cũ vigilia lãgueſcere facultatem indicat: hinc 3. Epid. Comatoſi, rurſuſq; inſomnes erunt. & paulò poſt: Detinebantur, aut comate perpetuò non ſomnolento, aut vigiles erant cum laboribus.

Veniamus modò ad ſymptomata, quę Senſitiuæ facultatis actiones debiles reddunt: incipiamus à viſu cum Hipp. 4. Aphor. Si non videat, vel nõ audiat, iam debili exiſtente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima eſt. Et 1. Progn. Nam ſi lumen refugiunt, & illachrymant, idq; præter voluntatem, aut peruertuntur, alterq; ex ijs minor eſt, & quæ in ipſis alba eſſe debent, rubeſcunt, aut genę pallent, atq; in ijſdem venulæ nigricant, aut lippitudo innatans, tandem angulis inhęret, aut frequens eſt oculorũ motus, ijq; aut vehementer ſubſederunt, aut facti tumidiores ſunt, fueritq; aſpectus horridus, obſcuruſque, atq; vniuerſæ faciei color mutatus: Hæc omnia ſigna mala, pernicioſaque ſunt. In Coacis legitur: In febre acuta aures obſurdeſcere furioſũ eſſe. & 1. Prorrhet. Surditatem in acutis, & turbulentis, malum. Idẽ in alijs ſenſibus ſentiendum eſt. Hinc 2. Aphor. Hipp. Quicũque dolentes aliqua parte corporis omnino dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat. Et 4. Aphor. In febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & ſitim habeat, lethale. Peſſimum etiam eſt externa refrigerata nõ recaleſcere. Hoc in Sileno moribundo Hipp. obſeruauit. Hæc & alia adduci poſſunt pro noſcendo robore, & debilitate

litate

litate facultatis animalis, at ſatis ſint: tranſeamus ad Vitalem.

Facultatem Vitalem robuſtam eſſe cognoſcimus, cùm homines naturaliter reſpirant, & pulſus arteriarum magni, vehementes, æquales, & ordinati exiſtunt, & licèt vehemens pulſus nonnunquam facultatis oſtẽdat irratationem conantis expellere, quod noxium eſt, vt in principio dolorum, & in conflictu critico ſuccedit: bonus tamen ex ſe ſemper exiſtimandus eſt, nam fortitudinem facultatis demonſtrat. De reſpiratione ita loquutus eſt Hipp. Facilis ſpiratio in acutis morbis, quibus febris copulatur, quiq; intra quadraginta dies finiri ſolent, magnũ habet ad ſalutem momentum: & Gal. in com. naturalem reſpirationẽ appellauit, ſpirationis facilitatẽ ſignificantem, neq; thoracem, neque cor, ac pulmonem, neq; præcordia doloris quandã habere affectionẽ, quin etiam neq; partes quaſdam ijs admiſtas. Quoad pulſus ita loquutus eſt Galen. 1. de præſag. ex pulſ. Vehemens enim pulſus à facultatis ſemper fit robore, ac quo ſit vehementior, tanto robur magis eſſe facultatis. Si ergo ex reſpiratione, & ex pulſu nos vitalis noſcimus facultatis robur, neceſſe eſt ex eiſdem ipſius debilitatem etiam adnotari. Ex multis enim ſymptomatis, quę hanc facultatem non ſolũ vitiatam, ſed ablatam, vel diminutam oſtendunt, vtiq; reſpiratio, & pulſus à naturali ſymetria mutati, atque alia, quæ ad idem concurrunt, vt cordis palpitatio, ſyncope, & refrigeratio, ipſius infirmitatis potiſſima ſigna ſunt.

Incipiamus à reſpiratione, ipſa etenim ſi fuerit intercepta, mortem animali cauſabit: in anginoſis, pleuriticis, peripneumonicis, orthonoicis, & in empiematicis hoc non rarò obſeruamus. Si fuerit magna, & rara in acutis, delirium minatur. Hæc in Sileno apud Hipp. viſa eſt, de quo dicebat: A primo hic ad finem ſpiritum magnũ habuit, & rarum. Si fuerit rara, & parua, exitialis eſt, de qua Gal. 3. Epid. com. 3. tex. & com. loquutus eſt. Paruum eſſe quendã pariter, & rarum ſpiritum, qui cùm refrigeratur, iam facultas vitalis emoritur. De frigida, ex Hipp. 1. Progn. 27. hæc habemus: Spiritus frequens aut doloris, aut inflãmationis in partibus ſepto trãſuerſo ſuperioribus, indicium eſt: Magnus, & ex longis interuallis, delirium declarat: Frigidus ex naribus, & ore prodiens, lethalis admodum eſt. In com. Gal. docet, extinctum eſſe calorem natiuum, vt in Pithione apud Hipp. viſum eſt. Reſpiratio, quę à ſolis naribus editur, & non ex ore, omnium maximè exitialis eſt. Thorax enim cùm debiliùs, quàm ad reſpirationem par ſit moueatur, neq; commodè dilatari queat, pinnæ narium etiam contrahi, & moueri videntur.

dentur. Hæc ex parte reſpirationis læſæ facultatis vitalis ſigna adnotauimus.

Pulſus arteriarum tunc à naturali ſtatu mutati dicuntur, cum eorũ actio ablata, vel diminuta, vel vitiata fuerit, nãq; ſicuti arteriarũ motus vehemẽs omniũ maximè facultatis robur oſtendebat: ita lãguidus pulſus ex teſtimonio Gal. 2. de præſag. ex pulſ. imbecillitatẽ refert. Vehemens pulſus à facultatis ſemper robore fit, ac quo ſit vehementior, tanto robur maius eſſe facultatis: languidus ex facultatis imbecillitate, ac quo ſit languidior, hoc facultatem quoque imbecilliorem eſſe demonſtrat. Cęterum omnes pulſus, qui longè à mediocritate recedunt haud boni ſunt. Celerrimi, & creberrimi ſunt mali, denotãt enim caloris naturalis, & ſpiritus diſſipationem. Tardiſſimi, & rariſſimi, peſſimi, ob ingentem ſubſtantiæ cordis, vel partium vicinarum refrigerationem exiſtunt. Molliſſimi, duriſſimi, & minimi debilitatem oſtendũt maximam. Languidiſſimi, tardiſſimi, & rariſſimi omnium peſſimi ſunt.

Infirmam denotãt facultatem, parui, anguſti, humiles, tardi, languidi, intermittentes. Myuri, ſeu cauda muris, decurtati, deficientes, vermiculoſi, formicantes, vndoſi, & cæteri deflectẽtes extremè à natura. Pulſus errans, quantò eſt manifeſtior, tantò deterior, quia ingentẽ tumorem teſtatur, qui longa eget coctione. Pulſus cõuulſiuus poſt euacuationes viſus ferè inſanabilis: de repentè in principio minus periculoſus, niſi à re venenata ortus fuerit. Vibrans naturam cum morbo pugnare indicat, vnde criſim ſperamus. Tremulus ſyncopis in acutis, ob extremam naſcitur facultatis debilitatem, proinde mors in febribus. Animi deliquia, ſeu ſyncopes, ac cordis palpitationes huius facultatis languorem, & debilitatem oſtendunt; de quibus Hipp. 2. Aphor. 41. Qui frequenter, ac fortiter abſque cauſa manifeſta exoluuntur, de repente moriuntur. Hæc ſufficiant de vitalis facultatis robore, & infirmitate noſcendis.

Facultas naturalis tunc robuſta iudicabitur, cũ eius functiones fortes, & immoderantia naturali permanebunt. Hinc bonum erit ægros probè cibos appetere, & ex ratione ſitire. Partes corporis rectè alimentum attrahere, retinere, concoquere, & excremẽta per loca conuenientia excernere. Confirmabitur totum ex facie, ſi erit ſanorum ſimilis, maximè verò ſuæ, ſi eius color erit viuidus, ſi corpus omne æqualiter molle, & calidum erit. Si deprehenditur æger in dextrum, ſiniſtrumue latus cubans, brachijs, ceruice, & cruribus paulùm reductis, ac vniuerſo corpore molliter affecto, qui ferè ſani quoq; iacentis

habitus

habitus eſt, quippe optimus eſt ille decubitus, qui à ſanorum conſuetudine non variat: per hæc enim oſtenditur caloris natiui robur ſe ſe per omne corpus ęqualiter propagātis, vt habemus ex Hipp. 1. Progn. Et ex Coacis: Oculorum nitor, eorumq; alba ſubſtantia ex nigris, & liuidis nitentia ſalutare. Et 6. Epid. Vt valent oculi, ſic & totū corpus. Sed quia ex actionibus facultatis huius, duæ ſunt pręcipuę, quę robur, & languorem manifeſtant, excrementorū ſcilicet coctio, & excretio, ijs ergo ſermonem dirigamus: habemus profecto ex Hipp. 1. Epidem. Coctiones celeritatem iudicijs portendere, ſecuritatemq; ſalubrem, & ex Galeno 1. de criſib. Coctionis ſigna nunquam malè apparere. Hoc in 3. etiā affirmauit, aſſerēs, millies dum criſes fierent interfuiſſe, ac neminem vnquam vidiſſe intereuntem, qui præcedentibus coctionibus criſim habuiſſet. Idcirco pro certo aſſerēdum: Excretiones poſt coctionem apparentes, ſemper facultatis indicare fortitudinem, & certam ſalutem promittere. Perpetuus enim naturæ ordo eſt, peracta coctione expellere excrementa: hinc omnis excretio huiuſmodi termino facta, optima, & ſalutaris iudicatur.

Hæc excretio duplici modo excitatur, vno quando propria corporis excrementa per ſingulas eius partes excernuntur: hanc operationem ex eiſdem cognoſcimus, ſiquidem ſi bene concocta, & ſecūdùm naturam fuerint, vtique perfectam ſanitatem indicabunt. Altero cum partes illius vel multitudine grauatę, vel mala humorum peccantium ſtimulatæ ex qualitate ad expulſionem illorum confugiunt. Hæ autē excretiones ſi debito tempore perficiētur, atq; ordine naturę, expulctricem facultatem robuſtam, naturamq; morbo fortiorem commonſtrabunt: ſecus verò ſi indebitè, & abſque naturæ lege.

Facultatis naturalis principales actiones erat nutritio, augmētatio, & generatio, inter quas ipſa nutritio maximum obtinet locum: illius enim beneficio ſubſtantificum humidum, quod in partibus corporis conſumitur, continuè regeneratur: hinc corpora conſeruantur, atque diu viuunt, & ſine ipſa contabeſcunt. Huic aliæ quatuor famulantur, vt ſuperius diximus, attractio erat prima, cuius officium, cibum, ſeu alimentum erat attrahere, retinebat, altera, tertia concoquebat, quarta excrementa excernebat: quippe ad animalis conſeruationem, & ad vitam à natura fuerant productæ: propterea veriſimile eſt probè nutriri, & viuere, ipſis robuſtis exiſtentibus, debilibus verò corpora emaciari, & contabeſcere. Stomachus autem inter corporis inſtrumenta, pars maximi momenti, ad excitandas has quatuor

operationes appetentia indiget;ſine hac enim illarum vſus nõ integrè perficitur. Hæc duplex eſt, vna cibi, quam famem, altera eſt potus, quã ſitim vocamus: quibus ſi corpora carere aſpicimus, proculdubio longo tẽpore ea viuere nequire determinamus: propterea in morbis diuturnis cibi inappetentia deterrima à Medicis iudicatur. Hæc fuit ſententia Hipp.2.Aphor.7. In morbo diuturno, cibi faſtidium malũ, de quo Gal.dicebat in com. Faſtidium cibi per ſeipſum prauum eſt ſignũ in morbis diuturnis, nam in ijs, qui à talibus morbis ſunt euaſuri, contrarius affectus ſolet accidere, vehementer ſcilicet cibũ appetere. In morbis acutis periculoſum eſt ęgros cibi, potuſq; deſiderio carere, ſignificat enim aut eos delirare, aut ſtomaci naturalem facultatẽ emori, vt accidit Hermocrati, 3.Epid.de quo ait Hipp. Toto tẽpore cibos auerſabatur. & paulò poſt: Guſtare quicquam non valebat. Idẽ de virgine Euryanactis, quæ cibos abhominabat, & non ſitiebat, quod ſignũ in ardentibus febribus exitioſum eſt: Quid eſt enim (lingua exiſtente arida) non ſitire, quam naturam ex calore emortuo, vel ligata mente non leuari ad appetitum? Attractio inter naturales actiones maximè præcipua eſt, ipſa enim per omnes corporis partes vires exercet; nam venæ paruæ trahunt à magnis, magnæ ab hepate, hepar à meſeraicis, meſeraicæ à ventriculo. Hæc nõ ſolum in his partibus, ſed in veſſica, liene, renibus, vtero, teſtibus, & in reliquis adeſt, atque tantæ eſt neceſſitatis, vt ſine ipſa nutritio haud fieret. Profectò ſi cibus nõ attrahitur, quo nutrimur? Idcirco bene valentibus his partibus, probè fit attractio, niſi aliæ per conſenſum attractionẽ ipſam impediant. Remoto autem impedimento, & vigẽte attractrice corpus benè nutritur, augetur, & generatiuam potentiam acquirit, color eius eſt viuidus, nam calor natiuus fortis eſt. Propterea in ægris ſalutare ſignum eſſe exiſtimatur, ſtomachum benè appetere, & benè attrahere: hoc etenim modo nutritur, & conſeruatur, & reliquæ partes validæ, & robuſtæ, ſi probè humores ad ſui nutritionem attrahent, iudicabuntur, quo fit vt à morbis citò liberentur, & diù ſanę conſeruentur. Secus verò ſi attractio vitioſa in corpore fuerit, & partes illius debili attractione munitę humores, & alimenta malè attrahent, facillimè enim in atrophiam, & in maciem incurrent. Hinc corpus diſcoloratur, & cętera membra deperduntur. Conſimili induſtria retentrix in ſuis partibus naturæ exercet munera; cum etenim illæ attractum humorem tandiu retinent, vt concoqui ſinat, facultatem robuſtam denotant, atque corporis robur. Sin autem actio hæc debilis fuerit, adeò quod cibus attractus, vel humores

mores efuĉti haud retineantur, quandiu munus ſuum explere concoĉtrix valeat, vtique praui naſcuntur affectus, qualis eſt paſſio cęliaca, vel leuitas inteſtinorum, qui in acutis ſummè exitioſi iudicantur: nam vel debilem, vel ablatam retentricem ſignificāt. In reliquis te exercebis affectibus, quales ſunt lachrymæ inuoluntariæ, mictio, gonorrea, &c.

Pari negotio concoctricem, quam alij alteratricem nominant, iudicamus. Dum enim materia benè fuerit concocta, laudabiles generantur ſucci, corpus vigoratur, & virtus reſumitur. Contra verò cū malè, ſiquidem praui generantur humores, ex quibus deinde prauę gignuntur affectiones. Hæc actio modò ablata, modò diminuta, & modò deprauata ex morbis in ventriculo videtur. Ablata dicitur vbi quales aſſūpti cibi ſunt, tales in omni qualitate manent: hoc ſymptoma apepſia appellatur. Diminuta erit cum cibi aſſumpti, perfectam alterationem non recipiunt, & hæc dicitur Bradypepſia. Deprauata vocabitur, vbi in alienam qualitatem, cibi mutantur, & Diſpepſia à Græcis ſymptoma hoc nominatur. Hæc ſunt, quæ ventriculi alteratrici facultati occurrunt, tu verò conſimili methodo in reliquis corporibus partibus te exercebis: vt enim tetigimus, ex coctione, & excretione excrementorum, præcipuum roboris, vel debilitatis facultatis naturalis capitur ſignum: ſiquidem omnibus in confeſſo eſt, morbum haud ſolui poſſe, niſi prius in excrementis (loquimur de humorali) coctionis ſigna conſpiciantur. Vnde ſiue oculi, fauces, nares, ſiue aures efficiantur, coctiones, criſis celeritatem, & ſecuritatem promittūt: cruditatis verò ſigna longitudinem, morbi malitiam, ſæuitiam, & exitium minantur. Quoad expulctricem, quid de illa ſentiamus, tactum eſt ſuperius. Ex hac ponderantur omnes excretiones, quales ſunt ſanguinis eruptiones, vrinæ copioſiores, alui deiectiones, vomitus, ſputa, ſudores, &c. de quibus in 3. huius operis diſputabimus, quare ad illum remittimus Lectorem.

Ex actionibus naturæ, vires illius adepti ſumus, ideo tempus eſt vt morbi vires venemur. Profecto morbus à ſymptomatis vires recipit, quemadmodū enim naturæ opera ab actionibus perficiuntur, ita morborum opera à ſymptomatis abſolui magna ex parte credibile eſt: equidem ex ijs morbi ſpeciem, magnitudinem, morem, ſeu modū aſſequimur, quo fit vt vires illius, tum robuſtas, tū debiles cognoſcamus. Vt autem hęc omnia perpendamus, morbum quemlibet ſcire neceſſe eſt ſua propria habere ſigna, ſeu ſymptomata, quæ Græci patognomo

mica dixere. Hæc ſunt veluti characteres illius, ſiquidem illum hæc perpetuò comitātur. Sit in exemplum febris continua,& perpetuum delirium, quæ ſunt patognomonica phrenitidis. Hæc profecto hanc morbi ſpeciem, & non aliam indicant, quippe dum ipſa ſigna vigent, viget & phrenitis, & ijs remotis, remouetur & illa inflammatio,& nõ amplius dicitur phrenitis. Ita in alijs affectibus percurrendum eſt, ex ijs enim,morbi naturam,modum,& diuerſitatem elicimus.

Symptomata nõ æqualiter innaſcuntur,aliqua enim vnà cum morbo,quem ſequuntur apparent, & hæc propria ſunt, & dicuntur ſigna indicantia,nam ideam, ſeu ſpeciem, & magnitudinem demonſtrant. Aliqua verò poſtea reſurgunt,& ſignificantia appellantur, nã morem, ſeu modum illius patefaciunt. Proinde his benè cognitis,& compenſatis, haud erit difficile morbi, tum robur, tum imbecillitatẽ iudicare. Videamus modò, quæ ideam, ſeu ſpeciem indicant. Hæc ſi plura fuerint,eaq; vehementia, atque continuò ægrum moleſtauerint,morbus erit magnus,atq; magnũ eius robur:at ſi pauciora, eaq; parua,ægrũq; leuiter affligẽtia,mitem,& imbecillem iudicabimus. Sit pro exemplo Pleuritis, quæ membranæ cingentis coſtas inflammatio eſt. Huius propria ſymptomata ſunt, febris continua, dolor lateris punctorius, tuſſis,reſpiratio difficilis,& pulſus ſerrinus. Hęc ſi pauciora,eaq; leuia apparuerint, vtique morbum mitem, imbecilliorem que,natura ipſa oſtendent:ſin plura,eaq; magna,& aſſidua,morbum eſſe magnum,magnumq; eius robur,& natura robuſtiorem declarabunt. Equidem reperiuntur febres intolerabiles, dolores pungentes, vehementes, aſſidui,reſpiratio admodum difficilis, tuſſis moleſtiſſima, ſicca,ſeu inanis, vel cũ malis ſputis,vti ſunt nigra,liuida,fulua,vehementer ſpumantia, vel impensè fœtida, & nihil dolorem alleuantia,pulſus admodũ duri: hęc pleuritim pernicioſiſſimam eſſe prodeunt,morbumq; perinde robuſtiſſimum,fortiſſimumq; ad pugnam,atque difficilem ſuperatu deſignant:potentiorẽ verò ſi præter propria ſigna,alia adfuerint ſymptomata, vt dolor capitis,vigilia,deliriũ, vel aliud ſymptoma,ob quę non ſolum prauum, ſed etiam exitialem coniecturabimus. At ſi febris non fuerit magna,neq; tuſſis moleſta, atq; dolor mediocris ſentietur, cum modeſta reſpiratione,ſputumq; facile, & concoctum apparuerit,& in pulſu,nec multa durities,nec inæqualitas obſeruetur, nec alia,& plura fuerint ſymptomata,ſed pauciora potius,eaq; leuia,pleuritim hanc benignam declarabimus,& proinde morbum debilem, & paucis viribus refertum; facilemq; in pugna ſuperatu ob eius debilem potẽtiam.

Hæc

Hæc à patognonomicis ſymptomatis, pro noſcendo robore, vel imbecillitate morbi adducere voluimus.

Veniamus modò ad ea, quę in morbis poſtea apparẽt, & à quibus morem morborũ accipimus, videamuſq; quomodo robur, vel impotẽtiã illorũ pręd icãt. De his Gal. 1. de criſib. c. 3. ita dicebat: Ex ſuperuenientibus ſymptomatibus, ſi multa, ſi diuturna, & valida, atq; maligna etiã extiterint, morbũ magnũ natura potentiorẽ demonſtrabunt, aut contra, ſi pauca, ac breuis temporis, & parua, & ſimplicia fuerint. Si enim ex ijs, quæ diximus adſint peiora, morbus augetur manifeſtè: ſi verò meliora, declinat. Ex quibus benè capimus bona ſigna comitari cum paruis, & ſalutaribus morbis, praua verò cum malis, & pernicioſis.

Vt autem Lector breuem habeat indagandi tum morbi, tũ naturæ vires methodum, vt ex his & ſtatũ naturæ, & ſtatum morbi perquirat, volui quãdam facilem, & breuiſſimum depingere, in febribus accommodatam, quæ pro iuſtituto noſtro magis videntur proficuæ. Febres quatuor fontibus dignoſcuntur. Primus capitur ab eſſentialiter inhærentibus: Secundus ab excretis: Tertius à qualitate mutata: Quartus ab actionibus læſis. Ab eſſentialiter inhærentibus venamur quantitatem, qualitatem, & motum caloris. Siquidem à quantitate capimus, num multus, vel paucus, intenſus, vel remiſſus ſit calor. A qualitate, ſi mordax, vel acutus, ſi mitis, vel halituoſus ſit. A motu, ſi velociter, vel tardè mouetur: quippe in tenui materia morbus velociter mouetur: adiuuat tamen celeritatẽ, morbi magnitudo, anni tempus, & ætas: in craſſa verò tardè mouetur. Ab excretis cõſideramus bona, vel mala ſigna: ab vrina, deiectione, ſudore, & reliquis. In vrina quatuor conſiderantur, Subſtantia, Quantitas, Qualitas, & Contentũ. Subſtantia vel erit tenuis, vel craſſa, perſpicua, vel non pura, vel turbida. Quantitas multa, vel pauca. Qualitas cõſideratur in colore, & odore. Contentũ, vt nubecula, ſuſpenſum, hypoſtaſis, & apparẽtia in ipſo. In deiectione tria ſunt videnda, Subſtantia, Quantitas, & Qualitas. Ex ſubſtantia, ſi fœces ſint duræ, vel molles. A quãtitate, ſi multæ, vel paucæ. A qualitate ex parte viſus, cuius ſint coloris, ex parte auditus ſi ſtrepẽt, ſtrideãt, vel ſileãt in exitu. Ex odoratus, ſi fęteãt, vel nõ. A ſudore quatuor conſiderãtur, Quãtitas, Qualitas, Locus, & Tẽpus. Ex quãtitate ſi erit multus, vel paucus. A qualitate, ſi fętẽs, vel nõ. A loco, ſi in vniuerſo, vel in vna parte corporis fluxerit. A tẽpore, ſi in die critica fuerit, vel nõ. Conſiderantur & Vomitus, Fluxus, & Lacrymæ, Sputum, Exanthemata, Puſtulæ, Abſceſſus, Tumores, Sternutamenta, & Tuſſes, quæ

omnia

omnia cum bonis ſignis morbum mitem denunciant, cum malis, & pernicioſis morbum robuſtum, & potentem. A qualitate mutata eligimus ſigna bona, vel mala, à facie, oculis, auribus, naribus, lingua, dentibus, ab inflatione venarum, à pruritu partium, à decubitu, & reſpiratione. Ab actionibus læſis conſideramus vires morbi num fortes, vel debiles fuerint, & primò à facultate animali, vbi Imaginatio, Memoria, & Ratio conſiderantur, tanquam partes principes, vel non principes, vt Motus, & Senſus. Senſus duplex eſt, exterior, & interior. Interior eſt Senſus communis, ad quem pertinet ſomnus, & vigilia. Exterior includit quinque ſenſus. A motrice eſt videndum ſi incipit cum aliqua ſpecie typi, vel non, vt cum rigore, horrore, & partium extremarum frigiditate: ſi paroxiſmus ſit longus, vel breuis: ſi vnus, & ſæuior, & grauior altero: ſi in diebus paribus, vel imparibus. Vtrum ſit dolor in ægro, vel non. A vitali pulſus, & reſpiratio num æquales, vel inæquales, & inordinatas facient motiones. A naturali conſiderantur attractrix, concoctrix, retentrix, & expulctrix, & num cum morbis adſit inappetentia, & morſus ſtomaci. Tu Lector ſi horum omnium ſignificata apud ſcriptores noſtros requires, & hanc breuem methodum habebis, vtique morbi, & naturæ vires, & robuſtas, & flaccidas habebis, & vtriuſque ſtatum cognoueris pro prædicendis ſudoribus. Veniamus ergo ad inſtitutum.

In ſtatu naturæ, in quo exquiſitam coctionẽ admittimus: Sudores, & criſes ſuccedentes optimæ iudicantur. Hæ priuſquam ſuccedant à die aliquo indicatorio, indicantur, vt exemplum habemus ex Hippoc. 4. Aphor. 71. Quibus ſeptima iudicatur, his nubeculam habet, quarta die vrina, rubeam, & alia ex ratione. Hinc criſis hæc non ſolum indicari ſolet, ſed poſtea ſuccedere etiã in die critica, vt apertius in lib. 3. diſputabimus in cap. de ſudore critico, de quo loquens Hipp. lib. eod. Aphor. 36. dicebat: Sudores ſi febricitanti incœperint, boni, & 3. die 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 27. 34. ij enim ſudores morbos iudicant, qui ſecus euenerint, laborem ſignificant, morbi longitudinem, & recidiuam. Sudores etiam in ſtatu naturæ admodum conueniunt cum humoris peccantis qualitate, & cum idea morbi. Exemplum habemus in ardentibus febribus, viſcerumq; inflammationibus, in quibus laudamus tum ſanguinis eruptionis, tum ſudores copioſos, vomitus, aluiq; deiectiones ex multa bile: ratio eſt nam tales excretiones cũ idea, & qualitate morbi, qui calidus in ijs, & ſiccus eſt, & à calidis, & ſiccis humoribus fouetur, conueniunt: proinde ijs viſis ægroti leuiores eſſe ſolent, nam

ea

ea euacuantur,quæ noxia erant. Inſuper locus per quem fit excretio in ſtatu naturæ conuenientiſſimus iudicatur,eo quod euacuatio à naturæ ſtudio regulatur, iuxta illud Hipp.1.Aphor. Quæ ducere oportet,quò maximè natura vergit,per loca conferentiam eò ducere,quæ ſententia à Medicis in praxi ſi multũ commendatur:nam naturæ motum in euacuationibus nos docet debere imitari; laudabilior redditur cum ab ipſa natura euacuationes exercentur: propterea ſudores, & criſes, cæteræq; euacuationes ab ipſa abſolutæ, per loca tum conuenientia,tũ apta præſtantiſſimæ iudicãtur: natura enim ſi humor aptus eſt, vt per cutim poſſit expurgari, ſudores facit,ſin per ſtomachum, vomitus mouet:aluum concitat ſi humor inferiora tendit,quod ſi ſanguis eſt,qui peccat, modò per nares,modò per venas hęmorroidales, vel per venas vteri euacuationem procurat.

Inſuper ſudores,& criſes in ſtatu naturę alij ſignis ſalutares,& optimos eſſe comprobamus,quippe ægroti ex ipſis aut ſanãtur, aut in melius mutantur, eorumq; corpora quietiora euadunt, iuxta Hipp. ſententiam 2.Aphor. Quibus criſis fit,his nox grauis ante acceſſionẽ,quę verò ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit,nec ſine ratione, dum etenim humor ſuperexcedens euacuatur,tunc ipſum ſeipſo ægrotum fieri leuiorem, & melius tolerare eſt neceſſariũ; hinc teſtimonio Gal. 3.de criſ.c.2.ratione euacuationis æger fit melius coloratus,atque ad ſurgendũ robuſtior, febris extinguitur, aut maxima ex parte diminuitur. Confirmabunt etiam ſudores hos in ſtatu naturæ bonos eſſe,atq; ſalutares, pulſus meliores,ſiquidem æqualiores, & ordinatiores erũt; proinde fideles,atq; certam ſalutem ægris promittentes. Hæc omnia verificantur in multis hiſtorijs in Epidemijs à ſapientiſſimo Hipp. adductis, præcipuè in obſeruatione illius, qui in Dealcis horto decũbebat, Nicodemi, Anaxionis,& Periclis. Dicebat enim de Pericle hæc: Tertio febris emollita eſt. Vrinarum copia,quæ concoctæ multam ſubſidentiam habebant. Nox quieta. Quarta circa meridiem,multum calidum ſudorem per totum excluſit. A febre liber,iudicatus eſt,non redijt morbus acutus. Et de Anaxione pleuritico. Vigeſima ſeptima febris redijt. Tuſſi excreuit multa concocta:in vrina multa ſubſidebãt alba,deſijt ſitire, dormiuit. Trigeſimo quarto toto ſudauit corpore, ceſſauit febris,in tantum iudicatus. Ex quibus hiſtorijs apertiſſimè videntur quantum ſint fidelia,& certa naturæ iudicia,ſiquidẽ hęc nullo pacto ſuccedere queunt, quam domatis peccantibus humoribus, & peracta coctione,e qua deinde ſtatus hic reſultat, quã naturæ appella-

mus. Differt hic longè à morbi ſtatu, ſiquidem ipſe à coctionis ſignis abſoluitur, ille verò cruditatis. Propterea Hipp. volens de ſtatu naturæ verba facere, in obſeruatione illius, qui in Dealcis horto decumbebat, aſſeruit. Quadrageſima die aluum pituitoſa alba, ſubcrebra deieciſſe, multũ toto corpore ſudaſſe, atq; abſolutè fuiſſe iudicatum. Ecce modò, quod victoria naturæ, atq; ſtatus illius cum ſignis coctionis luceſcit, cum quibus certa ſalutis indicia promittuntur. In Nicodēmo ſtatus hic hiſce verbis fuit apertus. Multa vrina alba, in qua multa ſubſidebant. In Pericle vrinæ multæ, & concoctæ, cum multa ſubſidẽtia: & in Anaxione multa, quę tuſſijt, excreuit concocta, & cũ vrina optimã ſubſidentiam habente. Quapropter ſudores, atq; criſes in talibus, in ſtatu naturæ apparuiſſe cognoſcimus: ſiquidem prius peracta erat coctio, & ij ab indicatorijs manifeſtiſſimè fuerant indicati. Huius moris criſium omnium apparitio eſt, quæ in tali ſtatu ab imperio naturæ procedunt. Hinc talia iudicia ſemper fida, & ſecura iudicantur, nam & ideis naturę, & moribus morborũ correſpondere, vt planè demonſtrare poſſumus in adductis ſudoribus videntur. In eo enim, qui Dealcis horto decumbebat, febris erat ex miſtione bilioſorum, pituitoſorum, craſſorumq; humorum: idcirco per aluum multa pituitoſa, & per ſudores tenues, & bilioſos humores excreuit. Pericles ſudore multo, bilem ex qua in febrem delapſus erat, eiecit, quod in alijs etiã apparet, in quibus vel ablatio, vel diminutio tum febris, tum ſymptomatũ fuit ſubſequuta; tanti profectò valet humorũ coctio in morbis, atq; naturę victoria, cum qua optima concomitantur ſigna: vt in victrici exercitu, vexilla fulgida, & ſuperbi milites ſpolijs onuſti inimicorum relucent.

Sudores verò, qui in ſtatu morbi, atque ab illius potentia eueniunt, pernicioſi exiſtimantur, atq; contrarijs ſignis erumpunt: ſiquidẽ nullo conſpecto coctionis ſigno, ſed tantum cruditatis apparẽt: & quod peius, ſæpiſſimè cum ſignis contrarijs coctioni. At certiùs perniciem denotabunt, ſi in diebus decretorijs fiant, & morborũ ideis minimè correſpondere videãtur. Profectò in ſtatu hoc, & ſub hoc iudice perfido, excretiones vel per loca inconſueta, & incõuenientia, vel improportionatæ morborum ideis, vel peccantibus ſuccis emergunt. Si etenim morbus fuerit de ijs, qui ſudoribus abſolui conſueuerunt, huic non ſudores, ſed deiectiones alui, vel vomitus maligni ſuccedunt. Sin autem ſanguis è naribus conduceret, vel iſtius excretio ab vtero, vtique hæ non ſuccedent, ſed potius venefici ſudores, vel fluxus ex aluo importuni, & ſuccis peccãtibus minimè correſpondentes, ſic equidẽ incedit

morbi

morbi malitia,& hæc perfida opera in ſuo ſtatu exercētur.Propterea criſes, & ſudores tali tempore, & ſub illius ſindicatu apparentes, per ſe mali,& exitiales iudicantur. De his dicebat Hipp. 1.Epidem.Sudores multi, his tantum aberat, vt recrearent,vt etiam contra læderent, & paulò poſt. Paululum in fronte, & clauiculis exudabant, ſed nemo per totũ corpus.Et de eiſdem 3.Epidem.Sudores intempeſtiui,frigidi multi,perpetuò,copia vrinarum non bonarum, colliquationes malæ. Atq; hæc ſunt ſigna victoriæ morbi ſupra naturam;ſiquidem hæc & à vehementia affectus,& à celeritate irritata cogitur aut ſtatim ſine pugna ſuccumbere, aut pugnando cum morbo, criſim facere exitialem: in quo caſu ſi virtus debilis fuerit, ꝓculdubio ipſa ſtatim extinguitur.

Status hic, quia cũ ſignis cruditatis perficitur, propterea in omnibus morbi partibus,quando cruditates apparuerint, ſtatus morbi dici poterit. Quia autem cruditatis ſigna & in principio,aſcenſu,& conſiſtentia morborum apparere conſueuerunt, idcirco in hiſce temporibus praua iudicia,& exitiales criſes(langueſcente natura)contingere poſſunt. Veriores tamen,& peiores in morborum cõſiſtentia,de qua in prȩſentiarum loquimur, ſiquidem in hoc ſtatu, morbi ſymptomata vigent,& ipſe vltimas ſuas vires exercet,neq; maiori magnitudine, & vehementia augeri poteſt. Propterea ſudores in tali ſtatu mali eſſe cẽſentur,tum quia non reſpondent naturæ morbi(nam ex ſe praui ſunt) tum etiam,quia vnà cum lethalibus ſignis,qualia ſunt vrinæ nigrȩ,turbidæ, cum nigris ſedimentis, vomitus virulenti, colliquationes alui, extremarum refrigerationes,non recaleſcentes conſpiciuntur.De his dicebat Hipp. Sudabant ſemper, ſed non toto corpore, multum extremitates frigebant, vt vix calorem reciperent. Frigidum per os expirare, vel per nares, & ſimilia ſunt ſigna, quæ cum peſſimis criſibus etiam comitantur.

Sed quod mirabilius eſt,ex malitia morbi,à talibus ſudoribus,& criſibus ſæpè ægroti melius quieſcere videntur, atq; rectiùs ſe habere, & ita credunt ignari;oppoſitum tamẽ paulò poſt apparet: nam ab ijs extincta potius,quàm releuata natura eſt:ſiquidem ex languidis pulſibus eruditi Medici exitiũ eſſe in foribus prȩſagiunt.Equidem ex Gal.3.de criſib.habemus in talibus morituris,pulſus debiliores,inordinatiores, ac inæquales apparere, nam vnà cum alijs calor febrilis tunc expirat; proinde ſpecies quædam melioris exoritur; verùm cùm ad leuandum ventrem ſurrexerint,in animi defectum ægri incurrũt, quorum aliqui pauco, ac tenaci ſudore effuſo moriuntur, aliqui etiã ſine ſurrectione.

Ll In

In ſtatu naturæ ſudores, & criſes bonas admiſimus, eo quòd ijs viſis ægri ſtatum acquirunt meliorem: ſiquidem verè quietiores fiunt. Dum enim morbus, & ſymptomata vel auferuntur, vel ſaltem diminuuntur, vtique releuantur infirmi, & in meliorem ſalutem conuertuntur. Secus in ſudoribus, & criſibus in ſtatu morbi videtur: infirmi etenim inquietiores, & debiliores ex ijs euadunt, & ſymptomata ſæua augentur, niſi mors ſtatim ſubſequitur. Apparent tamen quietiores,& liberi,magna ex parte ex morbo,& ſymptomatibus quibus grauantur: hoc autē ex natura extincta,quæ ab illis amplius nequit exerceri procedit: propterea horum quieti,teſtimonio Hipp.2.Aphor.26. minimè fidendum eſt. His, qui non ex ratione leuiùs euadunt, non oportet fidere,neque multum formidare mala,quæ præter rationem eueniunt; plurima enim talia ſtabilia non ſunt, neque multum perdurare,& permanere conſueuerunt. Ideo perpendenda illa falſa alleuiatio, tum ex eo, quod ſtatus ille, nec bonus,nec ſtabilis eſt,tum etiam, quia ægri languidiores fiunt, & pulſus eorū debiliores,magis inæquales,& peiores: vnde exitium conſequitur, vel à priori, in peius mutatio. Hoc in ſudoribus,& criſibus imperfectis,& malis ſuccedit,vt nos in cap.de ſudor.in aſcenſu morb.diſputauimus,vbi in exitialibus morbis longiſſimè probauimus in robuſtis corporibus, atque validis naturis ſæpiſſimè ſudores, & criſes in ſtatu imperfectas fieri. Sufferunt enim maiora incommoda corpora illa, quàm debilia: hinc factum eſt vt antequam ad exitium trahantur, multa iudicia, eaque imperfecta videantur. Verùm corpora, quæ debilia ſunt, vel primò ſine criſi occubunt,vel in pugna ſtatim ſuperantur: proinde iudicia fiunt ad mortem. De his lege Hippocratis obſeruationes in Epidem. de muliere Dromedai. Sexto die mane ſuperriguit, citò percaluit,toto corpore ſudauit,extrema membra frigida, delirauit, ſpiritus magnus,& rarus, paulò poſt conuulſiones à capite cœperunt, ſubitò obijt. Et de Pythione. Decimo mane ſine voce, multum frigus, febris acuta, multus ſudor: obijt.

At non eſt cum ſilentio tranſeundum,in pernicioſis, & exitialibus morbis in excrementis, & præſertim in vrinis quædam coctionis ſigna apparere conſueuiſſe, quæ falſa equidem ſunt,nam neque augentur, neque durant, ſed potius mutantur in peius. Hinc Medicos monere volumus in praxi, cùm in morborum ſtatu iudicia cernūtur cum huiuſmodi coctionis præludijs (loquor cum tironibus) licèt ſigna lethalia tunc minimè adſint: ſi febris perſeuerauerit, atque coctionis

ſigna

ſigna haud incrementum acceperint, ſigna lethalia fore expectanda. Natura enim propter magnas vires diù ſe ſuſtentare, & ſeruare potuit: tamen quicquam morborum, & cauſarum quia ſuperare nequiuit, neceſſe eſt proinde, vt longo tempore à morbo oppreſſa extinguatur, & marceſcat. Idcirco ante eius ruinam ſigna pernicioſa, & exitioſa præcedunt. Fiunt ergo ſudores, & criſes in ſtatu morbi, quando affectus omnino crudus eſt, & præludia illa coctionis non augentur, nec durant, neque infirmi à febre liberantur, vel in melius mutantur: propterea Hippocr.2.Epidem. Iudicium huius ſtatus vocabat, Iudicatorium non iudicans, quod, vt docet Galen. eſt difficilis iudicij: nam ſudores, ſeu criſes in tali ſtatu, vel ſunt immoderatæ, & nihil iuuant, vel paucæ, & peccantium humorum quantitati haud correſpondentes. De his tetigit Hippocr.1.Epidem. quando de abſceſſibus dicebat: His ſuccedebant abſceſſus aut maiores, quàm vt ferre poſſint, aut minores, quàm vt prodeſſent quicquam, ſed ſtatim redierunt, & deteriores euaſerunt. Et de ſudoribus aiebat: Sudores aut multi, aut pauciores. De his etiam dixit: Sudores multi his tantum aberat, vt recrearent, vt etiam contra læderent, & ſudabant quidem, ſed non toto corpore. Vt autem capiti huic finem imponamus, recolligendum eſt, ſudores in ſtatu morbi, & eius conſiſtentia abſolutè nec bonos, nec malos poſſe iudicari, ſecus cum adiectione. Si enim fient cum valida natura, & cum ſignis coctionis boni, & ſalutares appellari merent: ſin verò cum natura imbecilla, cuius cauſa morbi ferocitas vigeat, eo quia nullam inferat natura vtilitatem, ſed ad ſuperandos humores vitioſos impotens exiſtat: propterea illos haud concoquat, non ſolum mali, ſed etiam peſſimi iudicantur: ſiquidem in ſtatu agitur de toto axe. Hinc Auicenn. 1.4.tract.1. cap.3. dicebat: Et ſtatus eſt hora, in qua vehemens eſt pugna inter naturam, & morbum, & apparet vnius ambarum ſuper alium victoria. Quæ verba licèt ad particularem acceſſionum ſtatum dirigantur, nihilominus in vniuerſali eadem ratio habenda eſt. Reliqua autem, quæ forſitan in hoc cap. deſideranda venirent, in cap. de ſudore critico, & ſymptomatico, de quibus in 3. agetur lib. adducentur.

Sudores in morborum declinatione. Cap. XXXV.

ANtequam ad aliquam ſudorum veniamus diſcuſſionem, præſtabit inquirere, An criſes, & ſudores in vniuerſali morborum declinatione ſuccedant? Equidem Gal. 3. de criſib. cap. 5. illos ſuccedere non poſſe determinauit: fieri enim non poteſt vt morbi, qui in vigore iudicati non fuerint, deinceps in declinationibus iudicentur: nam hi ſine criſi perſeuerãt, & paulatim ſoluuntur. Confirmatur Galeni opinio à nobis tali fundamẽto: Criſis abſque pugna procedere nequit: at in declinatione pugna haud ſuccedit: natura enim ſuperauit morbũ, & materiæ dominatur, proinde reſiſtentia nulla inſurgit, ergo in declinatione criſis non contingit. Profectò natura victrix in declinatione humorum partem, poſt partẽ expellit, atque internam caliditatem, quæcunque fuerit morboſa ad partes externas, & ignobiles diffundit, quo tempore non via critica, nec coactè, nec ſtimulo operatur natura in materiæ morbificæ expulſione, ſed propria vi paulatim, & congruo ordine. Inſuper vbi acquiſita eſt victoria, non iterũ paratur bellum, ſed in declinatione vniuerſali abſoluta eſt victoria ſupra morbum, ergo non opus eſt denuo adire pugnam: morbus enim occubuit, & non mouetur, iacetq; extinctus, & non amplius viget. Criſis ergo non ſuſcitatur, nec ſudores via critica in declinatione contingere queunt.

Ex altera parte non deſunt aliqui, qui criſes, & ſudores in morbi declinatione admittunt, inter quos Auic. 2. 4. tract. 1. cap. 71. apertiſſimè fieri demonſtrauit, dum ſudores aſpiciendos tempore egreſſionis cõmonebat in principio, ſtatu, & declinatione, quoad caliditatẽ, & frigiditatem, colorem, odorem, guſtum, & quantitatem, nam his conditionibus cognitis, cognoſcimus & criſim. Eodem textu etiam dicebat: In conualeſcentia multiplicari ſudorem propter reliquias materierum, quod ſi hoc verum eſt, vtique criſes, & ſudores in morbi declinatione concedendi veniunt, ſiquidem conualeſcentia declinato morbo ſuccedit. Sed omiſſis auctoritatibus, alio fundamento in vltima parte morbi criſim ſudorificam dari probare poſſumus. Eadem proportio, quæ eſt in particularibus febrium temporibus, in vniuerſalibus morborum coincidit; ſed in particularibus febrium declinationibus, ſudores ſuccedunt, atque ſunt boni, nam in tertianis, & intermittentibus

talis

talis excretio inter bona ſigna connumeratur, ergo in generali declinatione ſudores dantur.

Inſuper Auic. auctoritate, putridas febres reperimus, in declinatione ſudorem habere, quod probatur etiam Gal. teſtimonio in loco cit. eo quia in morborum declinationibus interna caliditas ad externas partes diffunditur, quo tractu cutanei meatus aperiuntur, & datur via ſudoribus; nec ſine ratione, naturæ enim intentio in morborum declinationibus eſt ſeparare malos ab humoribus bonis, vt bonā retineat, malamq; è corpore expellat materiam, vt illud fœculentijs purgatum reddat. Quia autem purgatio hæc multis poteſt exerceri modis à natura, excretione nimirum ex aluo, veſſica, vomitu, & ſudoribus, quapropter veriſimile eſt dari ſudores. Profectò inclinato morbo calor natiuus, & virtus incipiunt vigorari, atque fortitudinem acquirere: quare facillimè materias per ſudores, vel per alias excretiones excernere queunt. Ambo hæc fundamenta concludere videntur: itaque nobis opus eſt vel meliorem eligere, vel alterutram euertere, ad hoc vt in tanta controuerſia veritatem inuenire valeamus.

Vt veniamus ad ſcopū, pro ſudoribus in declinationibus excretis, quos in affectibus cum febre copulatis fieri par eſt, duo ſupponenda proponimus. Vnum declinationem, in qua fiunt, vel eſſe veram, vel falſam. Vera declinatio inter alia, duo ſigna potiſſima habet, quæ fallere nunquam poſſunt. Alterum eſt perfecta, & omnibus numeris abſoluta concoctio, ſine qua nulla vera poteſt eſſe declinatio. Alterum eſt pulſus, qui in victoria naturæ fit magis robuſtus, ordinatus, & ęqualis. Falſa verò, & quæ ſpuria dicitur ab Hipp. 6. Epidem. ſect. 2. tex. 20. breui ſermone deſcribitur. Sitis intus relicta, ſiccitas oris, inſuauitas, & inappetentia. In com. Gal. ait: Finita febre cum huiuſmodi ſymptomata remanent, aliquid reliquiarum morbi intus eſſe relictum neceſſarium eſſe.

Alterum, quod volumus ſupponi, eſt: Sudores in morborum declinationibus, vel criticè, vel non criticè contingere. His ſtantibus, in generalibus declinationibus ſudores nullatenus criticè apparere determinamus. Criſis enim fit cum pugna, ſed in talibus non adeſt pugna, nec repugnantia, ergo ſudores criticè non mouentur. In falſa verò declinatione ſic; exiſtentes enim in corpore noxiorum humorum reliquiæ, quæ coctione indigent, facillimè hæ cum natura pugnam adire poterunt, vnde criſis ſuſcitabitur: ſiquidem falſa declinatio morbum adeſſe arguit: proinde criſim, & iudicium fieri poſſe. Sic profectò

intel-

intelliguntur verba Galeni, qui volebat vt morbi, qui in vigore iudicati non fuerint, deinceps in declinationibus iudicari nequirent, quippe loquitur de ſudore, & excretione critica, quæ rei veritate, tranſacto vigore, ſuccedere in generali declinatione non poteſt. Ad aliam verò poſitionē, ſudores dicimus in declinationibus ſuccedere: at ſine criſi, ideſt ſine pugna, & naturæ moleſtia, ipſa etenim dum victoriam acquiſiuit, & morbum ſuperauit, in materiæ euictæ expulſione intenta eſt, quam modò per aluum, modò per vrinas, vomitum, & ſudores excernit: modò verò conſumit, vel inſenſibiliter reſoluit. Nec per hoc volumus in veris declinationibus ſudores opus eſſe, vel aliam excretionē, (licèt ſine criſi) perpetuò fieri debere: quandoquidem natura haud excretionibus intenta, debellatos humores conſumit, reſoluit, & per inſenſibilem tranſpirationem euacuat.

Sudores iſti, atque excretio quęlibet in vniuerſali declinatione bona, & vtilis, eo quòd humorum reliquiæ morboſæ à calore, & fortitudine virtutis reſoluuntur, eſſe iudicatur. Id totum à natura regulatur, quæ ſuperato morbo, & euictis ſymptomatibus, perfectas, & ſalutares facit operationes. At illa iudicia dicuntur, & tamen criſes non ſunt, cū ſine pugna, & ſine reſiſtentia fiant: materiæ enim prius peccantes, iam concoctæ, & euictæ, naturæ ſubijciuntur imperio, atq; vt imbelles excernuntur, vel in halitum digeruntur. Ex hoc humorum caſtigatione, & abſoluta concoctione animaduertant tirones Medici, in declinatione generali morborum, tutò purgantia medicamenta ad purgādas reliquias, & fœculentas materias in corpore derelictas præberi abſq; periculo poſſe: rationabiliter enim (vt pluries dixit Gal. & vt cōmunis eſt Medicorum opinio) concocta materia, pharmaca infirmis propinamus. Aliqui autem inclinato morbo, timentes forſitan criſim, vel peruertere motum naturæ ſolutiua medicamenta præbere recuſant: at ſi Gal. credimus 3. de criſ. loco cit. & rationibus adductis nullatenus in declinatione criſim expectare debemus: quare iſtorum, nugæ ſunt; nulla enim ratio pharmacorum exhibitioni repugnat; ad loca autem per quæ faciliùs euacuatio ſortiri poteſt, reſpectus eſt habendus, per aluum nimirum, an per veſſicam, vomitum, aut ſudores: quo enim natura vergit, per loca conferentia humores ducere oportet.

Videamus modò an in morborum declinatione infirmus mori poſſit? ita profectò huiuſmodi determinatio lucidior apparebit: ſi enim mori poteſt, vt præcedat aliqua pugna, vel criſis oportet, vel adeò redundent peccantes humores in declinatione, vt æger ſine pugna etiā

ſuc-

ſuccumbat. Hæc porrò in vltima morborum parte nullo pacto, nec etiam horum aliquid ſuccedere conſueuere: ratio eſt clara, ex teſtimonio Gal.3. de criſ.cap.6. ſiquidem mors in pernicioſis morbis in tribus tantum temporibus, principio ſcilicet, aſcenſu, & vigore contingit: neminem enim ex languentibus quatuor tempora pertranſiſſe, & perijſſe vidit: adeo quod concludendũ puto in morborum declinatione nullatenus ægrum mori poſſe. Huic multi poſſent oppugnare, mortẽ aſſerentes nõ ſolum in primis tribus temporibus, verum atque in prauis affectibus in declinatione ſuperuenire, dicentes, ſæpè ſæpius humorum aliquam portionem haud concoqui, tanquam naturę rebellẽ, vel ex prauitate minimè euinci, proinde occultari in corpore, quemadmodum rabidum venenum in hydrophobicis ſolet latitare. Hanc dicerent in declinatione poſſe ſuſcitari, & mortem afferre, vt enim habemus in Epidemijs phræniticum quendam prima die fieri potuiſſe, ex eo quod cauſa diù latuerat in corpore, vnde repente affectũ excitauit. Quid mirum ergo eſſet, ſi relicta venefici humoris in corpore portione, atque clam occultata, in declinatione ſuſcitetur, & interitũ producat. Iſtæ cauillationes, & nugæ potius eſſent, quã veritatis fundamenta, ſiquidem dato, & conceſſo, quod malæ, & prauæ humorum portiones in corpore eſſent relictæ, atq; latitaſſent (quod difficillimũ eſſet, tranſacto vigore) hæc non diceretur vera declinatio, ſed falſa, cũ humorum concoctio abſoluta nõ fuerit. Propterea Gal. ſuum dat decretum in loc.cit. tali pacto: Nullum ſanè eſt, vigore elapſo, me quidẽ iudice, mortis periculum; nã vbi ipſa natura dominatur, & ſuperauit, hominẽ ſeruari neceſſe eſt. Hæc intelligit Gal. in vera, & generali declinatione, in qua ſymptomata, & mortis pericula iure ceſſant: ſecus autem in falſa, vt bene Conciliator diff.107. Præuidens verò Galenus aliquem tranſacto vigore mori poſſe, intulit ex noua ſuperueniente affectione, vel ex errore in victus regimine, morbum poſſe reuiuiſcere, atque mortem inferre: ex quo benè cognoſcimus nõ in vera declinatione hoc fieri, ſed in falſa, vel ex noua ſuperueniente affectione. Sed diſſeramus de particularium acceſſionum declinationibus, & an ijs mors ſuccedat? Profectò hæ vel in ſalutaribus morbis, vel pernicioſis conſiderantur: In ſalutaribus nullo quidem pacto credendum eſt in declinationibus mori poſſe: in prauis verò ſic (excipimus autem declinationes generales morborum) ſiquidem in ijs, quæ in principio, aſcenſu, vel ſtatu morbi ſuccedunt, mors prouenire poteſt, nam & criſes, & mala iudicia ſuſcitari poſſunt, & proinde ægrorum interitus:

pro-

propterea in Medicorum ore perpetuò exitium auditur, in declinatione particulari poſſe euenire, non autem vniuerſali: Hoc negotium quia eſt clarum, idcirco de his ſatis.

De ſudoribus à ſitu perceptis. Cap. XXXVI.

Situs, teſtimonio Iſidori lib.2.etymol.c.27. à poſitione nomenclaturã deducit, Poſitio verò eſt partium ordo, quippe dicitur res tunc ſita, cum totum ordinem, vel partem reſpicit. In quo propoſito, duo ſudorum genera veniunt conſideranda, alterum quod reſpiciat corpus totum, alterum verò illius partem: Cùm ſudores reſpiciunt totum, dicũtur ſudores generales, vniuerſales, ſudores totius: particulares autem ſi partẽ occupant, pectus ſcilicet, caput, manus, pedes, faciem, vel aliã corporis particulam. Quando ſunt generales, poſſunt eſſe calidi, frigidi, craſſi, tenues, multi, copioſi, aſſidui, & alterius differentię, quo fit, vt modò boni, modò mali iudicentur. Si enim cum coctione humorum ſuccedunt, atq; à natura regulantur, vtiq; ſalutares exiſtimantur: pernicioſi verò ſi apparent cum naturæ languore, ſi morbũ augent, atq; crudi exudãt, quemadmodũ ex ſuperioribus corrãdere potuimus: & in tertio huius operis libro fuſius diſputabimus. In præſentiarum verò ſciendum eſt, ſudorem aut periodicum, aut criticum, aut ſymptomaticũ poſſe euenire. Capitur hoc ex Hipp.1.Progn. quando dicebat: Sudores optimi quidem ſunt in omnibus acutis morbis, quicunque in diebus fiunt criticis, & integrè febrem ſedant: boni verò, quicunque ex toto corpore prodeuntes efficiunt, vt homo faciliùs morbum ferat; ſi verò nihil horum effecerint, inutiles exiſtimantur. In critico natura vincit: in ſymptomatico vincitur: in periodico facit facilius ferri morbũ: propterea ſi ſudor nec critici, nec periodici conditiones retinere videtur, vtique inutilis erit: nam licet calidus, & copioſus eſſet, & ab vniuerſo exudaret corpore, ſi tamen nec febrem integrè ſedauerit, aut morbum faciliorem reddiderit, proculdubio inutilis exiſtimatur, quia non confert: ideo Hipp. in Coacis dicebat: Sudores autem ſiquidem paulatim fiũt, iuuant; qui verò ſubitò, & affatim, nocent. Equidem in acutis morbis hos tales ſudores aſpicere oportet: ſiquidem hi modò copioſi, modò lentè fiunt in toto corpore; cùm autem ſubitò, & copioſi erumpunt, vires eneruant; ſi tamen illæ robuſtæ fuerint, naturæ prębẽt inducias,

vt

vt morbum concoquat: quod ſi paulatim ſudores excernuntur, licèt primò febrem non ſoluant; ſi peccantes materiæ ex robuſta natura concoquentur, vtique ſoluere morbum in erumptionibus nouiter excitatis conſueuere.

At ſi particulares fuerint ſudores in acutis, mali erunt ſi calidi, & peiores ſi frigidi, dicebat enim Hippoc. 1. Progn. 26. Peſſimi verò ſunt frigidi, & circa caput tantum, ac circa vultum, & ceruicem facti, quia cum acuta febre mortẽ indicãt, cum leuiori verò morbi longitudinẽ. Sed videamus differentiam inter calidum, & frigidum. Calidus ſudor iuxta caput, & ceruicem, non æquè pernicioſus, vt frigidus eſt, licèt malus: ſiquidem facultatis languorem, & ſyncopim futurã ab humoris grauantis multitudine arguit. At frigidus non ſolùm hæc, ſed etiam præſentem ſyncopim. Sudor calidus fuit obſeruatus ab Hipp. in Epid. in hiſtoria Pythionis, & illius, qui in Dealcis horto habitabat, quẽ ſanè ſudorem (licèt calidus fuiſſet) videtur Hipp. in eodem malitiæ gradu, cum ſudore frigido poſuiſſe: adeò quod æquales fecerit frigidum ex toto corpore, & calidum ex ſolo capite, vultu, & ceruice: differunt tamen ſi ambo fuerint particulares: nam ideo ſudor frigidus in his partibus deterior habetur, quia præſentem iam demonſtrat ſyncopim: calidus verò futuram, vt manifeſtauimus.

At ſudor frigidus aliquando non eſt tantæ malitiæ, ſi ab attenuata pituita, vel ex aliquo frigido affectu, qui caput, & cerebrum occupauerit, originẽ habet, quia vbi ſudor, ibi morbus, vt dixit Hipp. 4. Aph. Membra enim, quæ plus ſudant, illa ſunt, in quibus eſt materia faciens ægritudinem, & quæ non ſudant, non eſt materia talis, dicebat Auic. 4. 2. tract. 1. c. 67. De ſudoribus particularibus habemus in lib. de Dynamidijs apud lib. Galeni, quando oritur morbus à thorace, ſudorem incipere à capite, atque linguam fieri grauiorem, aut os amarum. Et 1. Epidem. ſect. 2. com. 75. ex Gal. In ardentibus febribus in fronte, & clauiculis parum exudare periculoſum eſſe. Et eodem lib. tex. 24. ſudare, ſed non toto corpore multum, & extrema habere frigida, febrium malignarum eſſe accidentia. Hollerius 2. de morbis ſcriptum reliquit. Deterius eſſe in partibus ſupernis tantum ſudare, quam infernis: ſiquidem ſi natura infirma tunc eſt, ſyncopim denunciat, quod ſi etiam ſudor frigidus erit, ſyncopim eſſe præſentem, probatum eſt.

Sed ſcrutemur, amabò, cur ſudor particularis tantæ ſit aliquando ponderationis, vt ex eo, vel ſyncopim, vel mortẽ præſagire valeamus. Erunt forſitan hæ partes ſudantes riuuli, ſeu canales cum corde com-

municantes, è quibus vitalis ſpiritus exprimatur,& proinde ſuccedat ſyncopis, vel mors? Vel forſitan virtus cordis in his ſudoribus adeò pauca ſit,vt nequeat ſuos radios per totum extendere: ſed in parte reſtringatur? Si prima ratio eſſet vera,in omni ſudore corporis,quandocunque partes illę exudarent,ſyncopis,vel mors ſuccederet,quod eſt falſum. Si ſecunda, mortuo corde, vita eſſet in determinata corporis particula,quod eſt abſurdum, nam cor eſt fons vitæ,quo mortuo,moritur & animal.Propterea dicendum,ſudores(licèt fuerint in toto,vel in partibus) ſi fuerint praui, & in acutis, poſſe mortem, vel ſyncopim minari. Praui erunt ſi à morbo prouenerint,cum virium iactura,& cũ langueſcente natura.De frigidis à toto,clara eſt ſentẽtia Hipp.4.Aph. 37. Frigidi ſudores,cum acuta quidẽ febre,mortem,cum mitiori verò longitudinem morbi ſignificãt. & 42.explicauit, calidos ſudores malum pręnunciare,frigidis autem eſſe minus prauos decretauit,eo quia frigidi magis diſtant à proportione vitę,quæ in calido conſiſtit.Sudores particulares ſunt diſtinguendi in morbis, nam vel ſunt ex affectu determinato,vt dicebat Hipp.4.Aphor.38. Qua parte corporis ſudor eſt,ibi morbus: vbi per morbum,Hipp.non ſolùm ſignificauit affectũ, ſed cauſam illius, & ſymptoma, ſunt equidem hæc omnia præter naturam. Idcirco aliquãdo morbum,aliquando cauſam,aliquando ſymptoma,& aliquando hæc omnia vel per eſſentiam, vel per conſenſum ſimul adeſſe in parte exudante cõiecturare oportet, iuxta quæ poteſt præſagium elici,vel ad bonum, vel ad malum. Porrò ſi exudatio hæc à natura regulatur,vtiq; ſudor vel ſit calidus, vel frigidus, bonus cenſetur: at ſi natura refragante ſuccedit, prauus iudicabitur: proueniet enim ex partis infirmitate,ex natura debili ad concoquendum, vel ex valido morbo illam irritante, proinde longum morbum, vel perniciem ſignificabit.

Vel iſti ſunt ex affectu vniuerſali, vti ſunt febres, vel affectus febribus copulati,qui vel mites morbi,vel potentes,& acuti exiſtãt. Sudor ex determinata parte profluens,à thorace ſcilicet,à facie,collo, capite,ceruice,brachijs,cruribus,vel pedibus,&c.in mitioribus morbis ſi calidus profluxerit,bonus eſſe poterit,pręſertim ſi faciet facilius ferre morbum,quod ſi in diebus decretorijs, atq; morbo cõcocto eruperit, melior exiſtimabitur: ſin contra,inutilis erit, atq; præſagium infirmæ virtutis,quæ ex debilitate coctionis morbum extendet.Dicebat Paulus Simoneta in hoc propoſito,quod ſudores ſi dorſales fuerint, minorem copiam canalium minantur. In pectore maiorem copiam. In capite

pitę

pite propter laxitatem cerebri fiunt, & præcipuè in parte anteriori. In acutis verò in his partibus apparens, Gal. teſtimonio 1. Progn. com. 26. prauus iudicatur: nam calidus ſyncopim futurã minatur, frigidus verò iam incipere indicat. In mitioribus autem, ex Hipp. longitudinẽ morbi ſignificat: idcirco in acutis calidi, & frigidi ſudores in determinatis corporis particulis ſemper mali ſunt. In hoc propoſito Horatius Augenius epiſt. 1. lib. 6. prioris Tom. ad Cinum, oportere admonebat in acutis animaduertere, dum ſudores calidi incipiunt profluere ex capite, vel ceruice, vel ex alia determinata corporis parte, vbi certi non ſumus quem exitum ſint habituri (nã ex tolerantia facili, vel difficili ſudoris indagamus naturam) Medicum debere finem obſeruare, nihil innouando, aut irritando, antequam ferat ſudoris indicium: quia ſi malus eſt, virtutem reddens imbecilliorẽ, mortis occaſionem accelerat; vbi verò bonus futurus eſt, nimis fortaſſe ſtimulans, haud parum obeſſe poterit. Et hac de cauſa, ſignum, quod ponitur in ſudoribus bonis, vt faciliùs ferat morbum, attenditur ſolum in ijs ſudoribus, qui à natura ſunt, ac terminantur citra aliquam artis induſtriam.

An autem ſudores in ſingulis determinatis corporis partibus idem præſagiant, ſpeculandum puto. Ex Gal. & Hipp. habemus, ſudores in facie, vel ceruice, collo, aut capite, vel fronte exiguos in acutis ſyncopim futuram, vel præſentem indicare: differentia huius à ſudorũ qualitate proueniebat: ſunt enim vel calidi, vel frigidi. Modò inquiramus an in brachijs, cruribus, pedibus, vel clunibus idem minentur. Equidẽ iſtorũ malitia ſumitur à loco, in quo calor innatus magis viget: ille autem magis in principalibus partibus viget, in cerebro nimirũ, corde, hepate, & teſticulis, quam in reliquis, ergo in ijs peiores erunt, quàm in alijs diſtantibus. Modò qui apparẽt in acutis in facie, ceruice, collo, capite, fronte, naribus, auriculis peſſimi ſunt, proximi his ſunt, qui in thorace, in hipocundrijs, & teſticulis fiunt: minoris autẽ periculi ſunt in brachijs, cruribus, pedibus, & reliquis ab ijs partibus diſtantibus: læſio enim in partibus animalis nobiliſſimis maiora poteſt afferre incommoda, & pericula, quàm ſi in ignobilibus eſſet, licèt in ijs denotẽt ſudores caloris diſſolutionem, & ſæpiſſimè extinctionem, vt in vxore Olimpiadę in Epidem. quę prope mortẽ ſudauit circa pedes, & crura. Propterea in acutis ſigna hęc ſunt maximi momenti: in mitioribus verò in determinatis particulis quanto à partibus principalibus magis elongantur, tanto minoris periculi eſſe conſueuere.

Sed incidimus in aliud quęſitũ, An in ſanis corporibus, particulares

Mm 2 ſudo-

ſudores contingentes malum præſagiant? Huic dicendum, duabus de cauſis ſanis corporibus ſudores poſſe erumpere, manifeſta ſcilicet, ſeu procatartica, atq; ſpontanea, & interna. Ex cauſa manifeſta, motu ſcilicet, labore, atq; alijs cauſis nō naturalibus, non eſt quod multa faciamus, nam de ijs alias fuſiſſimè dictum eſt; ſufficiat autem in præſentiarum Ariſt. adducere 2. Probl. 17. qui homines aſſeruit in facie maximè ſudare, quia illa humida, laxaque eſt: & Probl. 4. magis parte ſuperiori, quàm inferiori: nam calor ſurſum tendit, ſuperque manet: propterea humorem ſecum trahere poteſt. At ſi ſponte in ſanis ſudor erumpit, vel ex leuiſſima cauſa excitatur, vtique bonus eſſe non poteſt. Homines enim per ſanitatem exudantes, aut toto corpore, aut manibus, capite, pectore, vel in alia particula, idq; frequenter, minus ſalubres iudicandi ſunt ijs, qui non ita ſudant: ſiquidem tales ab infirma retentrice, à nimia humorum plenitudine, & à debilitate, & laxitate partium fieri aſſerendum eſt, cui colliganda eſt obſeruatio Marcelli Donati, qui lib. 1. de hiſtor. mirab. cap. 2. Reuerendum virum aſſeruit, quoties comedebat, ſudorem habuiſſe copioſum in ſiniſtra capitis parte: iudicauit naturalem debilitatem, & laxitatem partis illius eſſe in cauſa, vt ſudores erumperent.

An ſudores agant, an patiantur. *Cap. XXXVII.*

SI verum eſt, quod in philoſophicis dicitur, conatum agendi ex contrarietate vnius contrarij conſurgere: Ea enim, quæ contraria aliquo modo non ſunt, haud agunt, nam quo magis in aliqua ſunt diſſidentia, eo magis creſcit actio, & repugnandi cupiditas. Equidem apertè confitebimur inter naturam, & humores noſtri corporis, & proinde inter ipſam, & ſudorem aliquam poſſe ſuccedere contrarietatem, alioquin ipſa non moueretur, tanquam ad ſui contrarios, ad humorum expulſionem: neque ab ijs pateretur, cum eos alterare, ſeu concoquere nequiuerit. Ideo quia contraria eſſe poſſunt, inter eos adeſſe repugnantiam, atque reactionem accidere par eſt: ſiquidem omne in agendo repatitur, vt Ariſt. 2. de gener. 14. decretauit. Sed, quod mirum eſt, humores in noſtro corpore duce natura connaſcuntur, quomodo igitur natura permittit vt ea gignantur, quæ contraria ſibi eſſe ſuccedunt?

dunt? Admiratio autem ceſſat, ſi eos naturæ, quæ ſymetria, & moderantia præditos, primò oriri permiſſu aſſeremus, namque licèt inter eos aliqua diſſimilitudo, ſeu contrarietas ratione qualitatum ineſſe videatur, factum eſt ſummi Opificis prouidentia in ſanguinaria maſſa quietè viuere, & ad corporis nutritionem compenſari; quod Dei ſupernaturali potentiæ attribuendum venit, qui ignem cum aqua in corpore noſtro viuere facit, quæ duo ſunt contraria, & tamen in naturalibus duo contraria ſimul adeſſe non videntur. Quocirca vt viuant, ſupernaturali virtute opus eſt. Viuit bilis cum pituita, & ſanguis cum atro humore, & hæc omnia videntur eſſe contraria, viuit & calidum innatum etiam cum humido radicali, vt perdoctè Aloyſius Granatenſis in Catechiſmo in Symbolum Fidei recitauit, & viuent hæc longiſſimè, ſi moderantia, & ſymetria conſeruabuntur. At ſi humores iſti in habitum præter naturam, atque in diſſimetricam improportionem mutantur, quod multis fieri poſſe modis contingit, vtique eos natura iudicat reprobos, & ſibi contrarios (ſiquidem naturalia diſtant, & opponuntur ijs, quæ præternaturalia ſunt) proinde alterare, & concoquere tentat; repatitur tamen in agendo; nam & ipſi agunt in naturam reſiſtentia, & oppoſitis qualitatibus: tandem ex reactione modò ipſa natura conuincit humores, & ad ſui trahit naturam, & obedientiam, quod tunc ſuccedit, cùm eos à mala qualitate, & ſæuitia purgat: modò ſuccumbit: nam ipſorum maior eſt actio, & potentia. Quomodo igitur ſuccedat inter naturam, & humores contrarietas, credo benè eſſe probatum: propterea eodem ordine inter illam, & ſudores contrarietatem compingere poterimus: ſudores enim ex humoribus, & humidis excrementis connaſcuntur.

Sed aliquis forſitan de contrarietate illata inter naturam, & humores nos incuſare tentabit, aſſerens, tantùm fieri in ſtatu præter naturam: quod ſi hoc confitebimur, proculdubio redarguet in ſanis corporibus non dari contrarietatem inter humores, & naturam, nec perinde inter hanc, & ſudores: nam ſudor in ſanis ex ſero humorum conſtat, qui eſt amicus naturæ. Cui dicimus, naturam mouere ſudores in ſanis etiam ex contrarietate: ſi enim ſuperabundant ſeroſæ humiditates, vel cibales ſint, vel humorales, vtique ex copioſa quantitate contrariæ ſunt naturæ, ſi ſunt acres, vel plus iuſtò ſenſibiles, naturæ excedunt ſtatum, hinc etiam contrariæ: ideo requirunt repurgari, & ſi repurgari, ergo à ſuo contrario, quæ ipſa natura eſt, cui faculta-

tes,

tes, & actiones inſeruiunt, & ad corporis tutelam mouentur. Itaque euacuatio vtraque mediante contrario inſurgit, vt æſtiuis temporibus per frigidi potus opera ſuccedit. Hinc benè noſcimus, ſudores modò agere aduerſus naturam, modò verò pati, prout vnius, vel alterius actio, maior, vel minor fuerit: clarum eſt hoc in criticis, & ſymptomaticis ſudoribus, quorum primi ex natura agente, reliqui ex patiente erumpunt. Sed an etiam habitus corporis poſſit eſſe ſudori contrarius? Cui dicimus, quòd ſic: nam in ſudorum excretione quandam triſtem ſenſationem, & perturbationem illum compati veriſimile eſt, & eo maiorem, cum ſudores ex acribus, & mordacibus humoribus fieri ſuccedunt, vel quando nimia fit corporis reſolutio ex colliquationibus factis, vel quando qualitates calidæ, vel frigidæ nimis ſentiuntur, ſiue alijs modis, è quibus modò magna, modò parua infertur corpori perturbatio.

Finis Secundi Libri.

IVLII CAESARIS BARICELLI A SANCTO MARCO

DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI,

De hydronoſa natura, ſiue de ſudore humani corporis.

LIBER TERTIVS.

In hoc de ſudorum præſagijs diſputabimus, ſed primò de criſibus. Cap. I.

QVia de ſudorum præſagijs, & potiſſimum de criticis, & ſymptomaticis verba facere intẽdimus, ne per ignota graderemur, aliquid de criſibus, & diebus decretorijs in medium adducere conſultauimus: ſic profectò ſudorum præſagia, & vtrunque caput fore elucidanda exiſtimamus. Exordiamur ergo à criſibus, eo quia in ipſis ſudores exerceri plerunque obſeruamus. Summa omnium ſit per criſim, naturæ, & morbi conflictum, ſeu iudiciũ omnes intelligere: hinc dies critici iudiciales dicti ſunt; nã in ipſis de naturæ, & morbi exitu iudicium celebratur: propterea de criſibus agens Gal. in lib. 3. de criſ. c. 12. criſim eſſe ſubitam, præcipitamq; in morbo mutationem vel ad ſanitatem, vel ad mortẽ, aſſeruit. Et 2. Aphor. comm. 13. ita deſcribitur: Criſis, ideſt iudicatio, eſt ſubita in morbo, vel ad ſanitatem, vel ad mortem mutatio: fit autẽ natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum præparante. Hippocrates etiã tales permutationes, quando repentè in morbis fiunt, criſes, & iudicationes vocare cõſueuit:

uit:

uit: quia autem in ijs nonnunquam integra ſanitas reſtituitur; ſępè verò mors euenit, vel ſaltem permutatio ad ſalutis, vel ad mortis vias inducitur, propterea factũ eſt vt criſis modò bona, modò mala vocetur. Habentur hæc omnia in Gal. 3. de criſib. c. 1. Hippocrates breuibus, more ſolito, ita de criſibus 1. Epidem. loquutus eſt: Criſis eſt ad ſalutẽ, vel ad mortem mutatio, vel inclinatio ad melius, vel ad peius. Hinc criſis, quando ad ſalutem mutatur optima, ad mortem verò peſſima vocari conſueuit: reliquæ autem mutationes criſes imperfectæ appellantur, & cùm ad melius tendunt, bonæ; cùm verò ad peius, malę iudicantur. Horum omnium, teſtimonio Galeni, duæ ſubitò exercentur, & fiunt: ſiquidem criſes vel ad ſalutem, vel ad mortem concurrunt: reliquæ verò paulatim erumpunt, aut morbo nimirum marceſcente, aut quia in dies ægri vires diſſoluuntur.

Quatuor igitur in totum criſes reperiũtur: alij autem longè plures examinant, aſſerentes, criſium alias bonas, alias malas, alias perfectas, alias imperfectas, alias fideles, & certas, alias verò non, quaſdã manifeſtas, quaſdam obſcuras, alias periculoſas, alias citra periculum, alias ſignificata per dies indicatorios, alias verò abſq; vlla indicatione prorumpere. Verùm quia iſtæ omnes differẽtiæ ad illas quatuor reducuntur, tanquam ad propria genera: immo potius ad duplex genus, ad criſim nimirũ bonam, vel malam: propterea de ijs præcipuè tractandum, quippe criſis ſi bona eſt, poteſt dici fidelis, perfecta, aut imperfecta, manifeſta, aut obſcura, indicata, & citra periculum: Mala verò infidelis, nõ indicata, obſcura, imperfecta, periculoſa, &c. Quadruplex ergo poteſt dici quoad genus, duplex verò quoad qualitatem. Inter criſes imperfectas, datur criſis permutationis: De hac loquutus eſt Auic. in lib. de criſib. Si vi morbi, & ſymptomatis critica moueantur ſigna, ſpecie, ideſt ſimilitudine, non re ipſa ante coctionem materiæ morbificę, ſignificatur criſis permutationis futura. Hæc etiã duplex eſſe poteſt, laudabilis, & funeſta. Laudabilis iudicabitur illa, quæ ad partes externas, vel ſaltẽ ad illas, quæ longe à principibus exiſtunt (viſis coctionis ſignis) erumpet. Per hæc profecto ſigna naturæ firmũ eſſe robur iudicamus, quo non ſolũ concoqui, & ſuperari potuit materia, verum atq; longè à partibus nobilibus expelli. Funeſta verò, quæ fit extra diẽ criticum, nullis antegreſſis coctionis ſignis, erumpit; quo fit vt noſcamus criſim hanc à naturæ fieri irritamento, ex copia, vel mala humorum qualitate, quibus ante tempus in ægri perniciem cogatur moliri excretionem.

Galenus

Galenus 2.Aphor.com.13.dum aſſeruit,criſim fieri ſuperante à bonis mala, & ad excernendum præparante modum docuit, quo vtitur natura in iudicio critico, quod præuia malorum humorũ ſeparatione exercet,idcirco rationabile duxit ægros ante criſim turbari,atq; grauiter eſſe,quia conflictus,& labor pręcedit:natura enim dum laborat, & ſtudet à bonis malos humores ſecernere,vtiq;(illis repugnantibus) iudicium parat,& corpori moleſtias inducit. Hinc criſes, & mutationes fiunt, quæ quando perfectæ ſunt, in excrementis ſigna coctionis exiſtunt: ſignificantur hæ à die indice,in decretorijs abſoluuntur,atq; in iudicium ſalutis peragunt. Quæ autem ad corporis interitum accelerant,oppoſitis vigent ſignis, & proinde malæ criſes perfectè appellantur. Imperfectæ verò illæ ſunt,quæ non ſubitò ad mortem,nec ad ſalutem mouentur: ſiquidem paulatim ad ſalutis,vel mortis iudicium iuxtà bona,vel mala,quæ cum ijs fuerint requiſita,peragunt.In hac re multa laude dignus eſt Auic.2.4.tract.1.cap.2.qui loquens de criſibus dicebat, quod morbus eſt ſicuti inimicus exterior ciuitati, & natura ſicut dominus conſeruans eam: inter quos leues pugnæ,& rixæ concurrunt,de quibus non curatur, ſed in die iudicij vehementiſſima pugna eſt,& vnius reſtat victoria,alteri verò ſuperuenit mors.

Dies in quibus morbi finiũtur,has habent differentias. Alij ſunt verè,& perfectè decretorij,principes,& radicales: horum priores 7.14.20.exiſtunt. Alij indices,& contemplabiles vocantur, & hi criſim futuram alio die,in quo ſigna coctionis apparent: atq; alia indicia futurę criſis,pręſagiunt. Hi ſunt, Quartus,index ſeptimi. Vndecimus, 14.Decimus ſeptimus. 20. Alij intercidentes, ſeu intercalares dicti ſunt, eo quia inter iudiciales,& indices intercidunt, & in iſtis imperfectæ criſes eueniunt, cuius naturæ in prima ſeptimana tertius, & quintus eſt, in ſecũda nonus, & decimus tertius, in tertia decimus nonus. Reliqui dies vocantur à Medicis vacui,& medicinales: ſiquidem non indicãt, neque iudicant,aut prouocant: ſed ſolum idonei ſunt,vt Medici in ijs medicamentis expurgantibus vti poſſint. Huius naturæ ſunt 6.8.10.12.16.18. Tres ergo claſſes retinent dies, qui in morbis pro criſibus faciendis ad bonum, vel ad malum obſeruantur, licèt ſalus, vel mors abſque iudicijs ſæpè etiam ſuccedat. Propterea viſum eſt in his,morbos modo ſimpliciter, modo cũ aliqua excretione, vel abſceſſu reſolui: vel ægros in ijſdem quouis modo interire. Qui ſunt in prima claſſe perfectiſſimi iudicatorij exiſtunt, & ad vigeſimum extendũtur; at minus perfecti,& minus proprij ad quadrageſimum : hi ſex numero exi-

ſtunt nimirum 7.14.20.27.34.& 40. Qui ſunt in ſecunda claſſe indices dicti in extenſis morbis comparãtur,& ſex etiam ſunt 4.11.17.24.31. 37. Intercidentes verò,qui in tertia morantur claſſe decem ſunt 3.5. 6.8.9.13.18.21.& 30. volui addere dies pares, pro aliquot morbis, qui per pares exacerbantur: primi autem numerati,pro imparibus deſeruiunt.

At alij videntes forſitan ſcripta Galeni, & Hipp. in Epid.& Progn. de triplici obſeruatione dierum à nobis ordinem prolatum irritabũt: omnes dicentes dies eſſe decretorios, atq; criſes tum in paribus, tum atq; imparibus diebus euenire,quo fit vt dies alij, præter iudicatorios non reperiantur. Dicebat enim Hipp.3.Progn.1. Febres autem iudicantur in eiſdem numero diebus, in quibus ſuperſunt homines, & ex quibus moriuntur: ſimpliciſſimæ etenim febres,ac ſignis firmatę ſecuriſſimis,quarto die,aut citiùs interimunt. In com. Galenus dies decretorios nominari illos ſcripſit, in quibus morborum fiunt mutationes: ſiquidem ægri in ijs,aut ſtatim liberantur,aut moriuntur,vel mutãtur in melius,vel in peius,aſſeruitq; criticos,& decretorios dies illos eſſe, in quibus naturæ pugna cum morbo, vel ipſorum alterius victoria apparet,quo fit vt modò ſalus, modò mors ſubſequatur,quod ſi negotiũ taliter incedit,vtique in morbis omnes dies eſſe decretorios confiteri oportebit. Nonnulli poterunt reſpondere, omnes dies eſſe decretorios,ſi nos miſcemus morbos,qui paribus,& imparibus iudicãtur morbis: ſecus verò ſi alterutros tantũ conſiderabimus: cauſa enim difficultatis alia eſſe non videtur,quàm morborum diuerſitas,nã omnes morbi nõ æqualiter iudícantur. Hipp.1.Epid.com.3.tex.14.hos expreſſit. Eſt autem primus decretorius circuituum, qui diebus paribus iudicãt 4.6.8.14.28.30.48.60.80.100. Et circuituum, qui iudicant imparibus 1.3.5.7.9.11.17.21.27.31. de quibus loquens etiam 4.Aphor.36.dicebat: Sudores febricitanti ſi inceperint boni, & tertia die 5.7.9.11.14. 17.20.27.34. Hi enim ſudores morbos iudicant;qui verò nõ ita fiunt, laborem ſignificant,& morbi longitudinem,& recidiuam: quę vltima verba videntur ſolum eligere dies impares, quemadmodum eodem lib. Aphor.61.apertius manifeſtauit. Febricitantem,niſi diebus imparibus ſebris reliquerit,ſolet recidiuare. Ideo in tanta controuerſia afferamus opinionem noſtram.

Equidem is ſolùm debet cenſeri criticus, quo frequenter perfectæ criſes ſecurè iudicatæ,atq; ſalutares eueniant. Quamuis etenim eiſdẽ numero diebus morbos ad ſalutem, & ad mortẽ iudicari, & paribus,

ac imparibus terminari obſeruatũ ſit;nihilominus omnes dies in cunctis morbis eſſe decretorios haud decidendum puto: ſed impares plerunque veriùs decernere ; pares verò prauè , aut diminutè , vel raro : ſiquidem mortis iudicia haud ordine ſignato die,vel temporis indigẽt certitudine,quapropter minimè cõuenit à diebus mortis decretorios dies determinare , quamuis etiam in veris decretorijs homines emori obſeruemus. Sed veniamus ad Hipp.qui duplicem dierum doctrinam videtur inſtituiſſe:in Aphoriſmis enim,& Progn.criticos affert,qui ſecundùm hebdomadas,atq; qnaterniones connectuntur. In Epidemijs verò quoſdam intercalares , qui admodum ab illis diſtant , percurrit . Sed huius ratio eſt , nam cognouerat Hipp. morbos aliquos paribus , aliquos verò imparibus moueri,ideo quaſi coactus,hos inter iudicatorios connumerauit:proinde 1.Epid.com.3.protulit:Quæ diebus paribus exacerbantur paribus,quę verò acceſſione fiũt diebus imparibus, diebus quoq; imparibus iudicari.Ideo intercalares dies ſæpiſſimè vim iudicandi recipere,ſtatuere oportet,non quidem(vt multi autumant) à Lunæ motu,ſed potius materiæ. Motus hic profectò aliquando per pares in acceſſionibus videtur , frequentius verò per impares effici . Cauſa omnium materia ipſa eſt, cui ex innata qualitate prædictos motus generare datum eſt,in quibus adeò vehementes parit acceſſiones, quod ante diem propriè iudicatorium criſim ſuſcitent . Hoc maximè fit, cũ natura defeſſa vel coctionem abſoluere nequit, vel adeò ab humoris prauitate irritatur,vt facilliſſimè expulctrici potentiæ locum cedat; quo tempore coctionis opus relinquit,quemadmodum in acutiſſimis morbis , quando dies tertius criſim quarti, aut quintus illam , quæ in quarto futura erat obſeruamus.Succedit hoc vel ex vehementia acceſſionis,qua acceleratur iudicium,vel quia relaxata natura in quarto diſtrahit criſim vſque ad quintum .

Sed perpendamus, quæſo,dubitationem à multis ventilatam , Cur Hipp.4.Aphor.numerando dies,qui ad criſim ſunt probandi,quartum relinquat? Occaſio dubitationis à multorum inſurgit obſeruantia,qui criſim in quarto habuere,& iudicati ſunt.In Epidem.3.hiſtoria eſt Periclis in Abderis,qui per ſudorem quarta die eſt iudicatus : & 7.Epid. idẽ legitur de vxore Elcominis,quę menſium fluxu fuit iudicata.Huic reſpondet Gal.in com.Hippocratem quartum prætermiſiſſe:nã morbi plurimi peracuti, qui cũ ſudore iudicantur, tertio,& quinto magis, quàm quarto iudiciũ ſuſcipiunt:rariores enim ſunt,qui die quarto iudicãtur.Hæc ſolutio cũ ſuperioribus circa ea,quę attulimus de morbis,

qui per pares,vel impares terminantur dies conſona videtur:ibi profectò ſtatutum fuerat, morbos plerunque per impares dies, verius, & frequẽtius,per pares verò rariùs terminari. Hinc benè dicebat Rodericus à Fonſeca ſuper eodẽ Aphor.quod bona iudicatio ſi fiat in quarta,eſt,quia tertiæ, vel quintæ diei iudicationem arripit: ratio eſt, nam morbi,qui per dies pares exacerbantur,licèt in illis iudicari videantur infirmi,vt attulimus,difficilè tamen,vt plurimum eorum iudicium inſurgit. Imò Gal.ipſe 3.de criſib.teſtatur ſe die quarto ſemel tantũ criſim vidiſſe:Archigenem verò bis.Amatus Luſitanus,qui aliorũ viderat ſolutiones,in ſuo tract.de criticis ſcriptum reliquit,ex induſtria Hipp. in Aphor. quartũ diem reliquiſſe, nam eius intentio iudicium morborum bilioſorum erat percurrere : ſiquidem hi, vt plurimum 3.5.9.11. 14.17.20.27.34.terminãtur: rariùs verò in quarta die. Hinc duplicem morborum inſtituit differentiam, bilioſorum ſcilicet,& ſanguineorũ. Bilioſi tertio,vel quinto die potius,quãdo peracuti ſunt, finiũtur,quia eiſdem diebus, acceſſiones ſuas habent,cũ quibus criſes ſępè ſimul incidunt,rariſſimè verò in quarta. At de ſanguineis morbis,& ſynochis ſecus eſt,hi enim tantum abeſt, vt tertio,vel quinto die terminẽtur,vt potius quarto ſemper criſim habeant. Hæc opinio non eſt paruę conſiderationis, quando illam in 3.de criſib.à Gal.acceptari inuenimus.

Quomodo autem dies decretorij oriantur, & quæ ſit eorum cauſa, varia eſt auctorum opinio. Pythagorici enim tales ad vim numerorũ retulerunt, aſſerentes, Deum, & naturam certis numeris gaudere. Aſtrologi ad varios ſtellarum errantium, & fixarum aſpectus. Galenus ad Lunæ aſpectus. Alij ad Lunæ, & Solis ſpeciatim aſpectus. Amatus Luſitanus ad armonicam conſonantiam. Ludouicus Lemoſius ad expulctricem potentiam, humoris copiam, acceſſiones, morbos, ambientem, & naturam. Fracaſtorius ad motum proprium humoris melancholici. Alij alias adduxere rationes, quas,cùm ſit pręter noſtrum inſtitutum,omittimus.

De ſudoribus bonis,criticis,& ſalutaribus. Cap. II.

QVia de criſibus, & diebus decretorijs verba fecimus, vt certiori methodo criticos ſudores explanare potuiſſemus; inſtituti occaſio ergo inſurgit, vt ad illorum ſpeculationem accedamus: ſiquidem ſudores hi ſalutem promittunt, & fidelem, quapropter à nomini natura exordiũ capiamus.

piamus. Sudor criticus ſecundùm eius nomenclaturam ex bona, vel mala criſi ſuſcitari poteſt: ſiquidem criticus dies, criſim, ideſt iudicium ſolùm indicat: capitur ex antiquorũ ſententia, qui dies criticos nuncuparunt, quibus criſes, & morborũ iudicia contingere ſolebant. Vt autem bonorum, & malorum ſudorũ differentiam habeamus, ſapientiſſimi Medici triplicem circa illos adaptarunt notitiam: Optimos equidẽ vocarunt criticos: Mediocres periodicos: Peſſimos verò ſymptomaticos. Nec ſine ratione, criticus enim dies, in quo (omnium iudicio) perfecta criſis, & ad ſalutem contingit, is verè eſt. Sic & à pari, ſudores critici ij eſſe exiſtimantur, qui perfectam criſim, & ad ſalutẽ perficiũt. Differunt à periodicis, nam hi imperfectam faciunt criſim. Differunt à ſymptomaticis, quia hi prauum inducunt iudicium. Critici apparent in ſalutaribus morbis, & in febribus continuis potiſſimum. Periodici in febrium intermittentium, quales ſunt Tertianæ, Quartanæ, & cęteræ interpollatæ febres apparent: de his loquitur Hipp. 7. Epid. in hiſtoria Pythodori. Symptomatici in acutis, prauis, & malignis morbis obſeruantur.

Sudores critici ideo dicuntur tales, quia cum criſi, & in diebus criticis ſuccedunt. Hinc Foreſtus in ſchol. 9. obſeruat. lib. 7. ſudores criticos dicebat ex iudicio ſic vocari, eo quod quaſi ex ſententia ſua hominem iudicent, aut puniant, aut liberent: idcirco ſæpiſſimè homines ex acutis vexatos morbis, à bonis, & criticis ſudoribus iudicari, & liberari obſeruamus. Profectò ad liberanda corpora ab emunditijs, & excrementis nulla eſt præſtantior via, quam ſudorum eruptio. Hi teſtimonio Gal. in arte parua, cap. 99. à noxijs materijs vniuerſum euacuant corpus, quo fit vt critici ſudores boni, vtiles, certi, fideles, perfecti, & alijs nomenclaturis, cum ſalutis promittant certitudinem, appellari queant. Equidem critici ſunt ij, qui in affectionibus de morbo ad ſanitatem de intemperie, ad temperiem, de ſtatu lethali ad vitam hominum corpora commutant. Vt autem talium naturã venari queamus, conditiones, quæ ad criticorum ſudorum eruptionẽ requiruntur in medium adducere opus eſſe exiſtimamus: ſiquidem hę multæ ſunt.

Prima omnium, quæ maximè neceſſaria conditio exiſtimatur, ſine qua nullo pacto excretio bona iudicari poteſt, humorũ eſt concoctio. Quid enim eſt humorum coctio, niſi ſupra peccantem materiã naturæ victoria? Cùm autem ſudores critici ab iſtius fiant victoria, coctionem præire opus eſt: ſi ſecus etenim fieret, mala (omnium ſententia) ſuperueniret excretio. Docebat totum hoc Hipp. 1. Epid. quando dicebat;

Coctio-

Coctiones criſis celeritatem,ſalutiſq; ſecuritatem ſignificant: cruda, verò,& inconcocta,& in malos abſceſſus conuerſa,vel iudicij fruſtrationem, vel dolores,vel diuturnitatē,vel mortem,vel eorundem malum reditum denunciant. Vide,amabò,quanta ex cruditate veniūt incommoda,& pericula: idcirco ſudores critici,quia excretiones perfectæ,& fideles tenentur, morbo concocto,& cū ſignis coctionis apparere conſueuere. Hæc autem ab excrementis noſtri corporis potiſſimum deſumuntur,ex vrinis ſcilicet,alui fœcibus,ſputis,&c. in quibus cùm viſæ fuerint coctiones,proculdubio criſes ad ſalutem exoriri potuerunt. Sint autem oculatiſſimi in dignoſcendis coctionis ſignis Medici in excrementis: ſiquidem aliquādo vrina in febribus bona datur, & cum ea pulſus bonus,æger tamen moritur. Tetigit hoc Auic.in lib. 4.Fen.1.cùm de febribus ageret peſtilentibus. Sunt quippe ex ijs peſtilentibus febribus nonnullæ, in quibus neq; æger, neq; ipſum tangens excellentem calorem perſentiunt, immò ipſius ægri pulſus,& vrina à naturalibus nō multū diſtant, & tamen febris ipſa velociter interficit. Vnde in ore Medicorum habetur: Vrina bona, & pulſus bonus, ſed ęger tendit ad mortem. Quapropter in tali ſtatu ſudores ſi erūperent, non critici,non ſalutares, ſed ſymptomatici,& exitiales iudicandi venirent. Ne autem Medici ſit fallax iudicium in noſcendis huiuſmodi ſudoribus, & excretionibus, cùm in peſtilentibus febribus vrinæ concoctæ, & bonæ apparuerint: pro præſenti diſcuſſione aliquid in medium adducere non erit à propoſito alienum. Galenus 3.de præſag.ex pulſ.c.4.ita de re hac loquutus eſt: Sanè videatur quibuſdam perplexa, & incognita, ſi quando nec differentia vlla pulſuū,à naturali ſtatu deficiat, & ſeipſe ægrotus febrem non dicat percipere: & vt rem difficiliorem faciam,ne ex vrina quidem petere in eiuſmodi affectibus firmā notitiam ſemper licet: ſed eſt etiam ferè anceps colore, & ſedimento ſimilis naturali. Sexcentos tales in peſtilentia diuturna conſpeximns, vbi Medicos cerneres nihilo plebe præſtantiores,immò verò imperitiores multo nonnullos experiente plebeo. Vulgus enim ferè ſi nihil aliud: at expirationem ægrotorū videas obſeruare,quę ſi fœteat,peiorē caſum expectant. Hęc Gal. Sed vnde hoc eueniat,inueſtigare oportet. Conciliator,& Gentilis de Fulgineo ſuper.loc. Auic.dicunt,in febre peſtilente hæc bona apparere omnia, quia peſtilens febrilis calor ità crudeliter naturā hominis inuadit,vt in eum natura ipſa nō reagat, ſed liberè quo velle agat ſinit,& eum vt tyrannum in domo aliena potentem dimittit,& ad ſuas functiones peragendas ſe vertit;vnde vrina

cum

cum ſublimamento optima euadit, & pulſus ordinatus incedit. Sed reſponſio hæc veritatem non deguſtauit: propterea dicendum, quòd febris peſtilẽs potiſſimum aut humores in cordis ſinibus, aut ipſius cordis corpus occupat: ſi humores, non adeò lethalis eſt, ſi corpus, mortifera, & exitioſa, proinde ait Gal. in cit. loc. quod calor febrilis peſtilẽs ab ægroto non percipitur, quando cordis corpus apprehendit, quia tunc febris hectica eſt, in qua febrilis calor non ſentitur: imò in ea pulſus, & vrina non multum à naturalibus diſtant, pręcipuè in eius initio. Alteram dat rationem Gal. in lib. cit. c. 3. de pugnantia temperamentorum, quam Lector videre procuret, ſi huius rei perfectum ſcopum attingere optabit. Veniamus modò ad inſtitutum noſtrum.

Explicemus autem, an ad faciendos ſudores criticos, opus ſit vt materiæ peccantis, totalis coctio, eorũ præcedat eruptionem, an potius ſemicoctio? Equidem dubitatio hæc maximi eſt momenti, in præſentiarum verò dicamus, totalem coctionẽ eſſe neceſſariam, aliter perfectum iudiciũ fieri nequiret: ſiquidem in ſudore verè critico de neceſſitate conſequi debet. Propterea Hipp. in ſuis obſeruationibus excretionem verè criticam hiſce verbis declarare vſus eſt: Perfectè eſt iudicatus. Legimus hoc 1. Epid. in hiſt. Cleonactidis. Octogeſima riguit, febris acuta corripuit, multum ſudauit, vrinis ſubſidentia rubra leuis, perfectè iudicatus eſt. De Herophonte autem, quia ſudauerat, nõ planè cocto morbo, vocabulo perfectè non vtitur. Ita loquitur: Nona ſudauit, iudicatus eſt, morbus intermiſit, quinta reuerſus eſt. Ecce modò, quòd ex ſemicocta materia morbus recidiuã facit. Hoc innuebat Hipp. 2. Aphor. Quæ relinquuntur in morbis, recidiuam facere conſueuerunt. Ex perfecta autem coctione iudicia certa, & integra ſuccedunt, nec ægri amplius recidiuant. Manifeſtiùs hoc oſtendit Hippoc. 3. Epidem. vbi loquens de Pericle in Abderis, dicebat: Quarta circa meridiem multum calidum ſudorem per totum excluſit, à febre liber iudicatus eſt, non redijt. Et de Anaxione. Trigeſima quarta ſudauit per totum, à febre liber penitus eſt iudicatus.

Perfecta igitur, & totalis coctio in ſudoribus verè criticis requiritur: quod ſi totalis non eſſet facta, quando ſcilicet natura partim concoxit, & humorum reliquum pergat alterare; vtiq; ſudores illic tẽporis apparentes perfectè critici minimè ſunt: non enim integrũ agunt iudicium, nec integrè morbũ tollunt, ſed infirmos recidiuare ſinunt. Hos tales bonos appellamus, quippe quodãmodo morbum alleuant, & cũ aliquot ſignis coctionis erumpunt. Circa temporis autẽ apparitionem,

tionem,& modum à verè criticis maximoperè differunt: quippe hi cũ aliqua humorum tantùm coctione apparent; cùm verò in febribus intermittentibus, quales ſunt ſudores periodici, vel in continuis erumpunt, vtiq; imperfectam perpetuò criſim,& nunquam integram excoctionis indigentia iudicationem faciunt. Proinde ſuſcitantur in continuis in principio aſcenſus, quando humorum coctiones in ſalubribus morbis apparere conſueuere: in intermittentibus verò quandocunq; coctionis ſigna eluceſcere incipiunt: idcirco ſudores critici imperfecti, non planè cocto morbo erumpunt: perfecti autem ſecus obſeruantur: ſiquidem hi non in morborum principio, vel aſcenſus excernũtur: ſed vel in ſtatu, vel parum ante illum, quãdo ſigna coctionis manifeſta ſunt,& morbus eſt concoctus: quod ſapienter Gal.1.de criſib.c.7.manifeſtauit: Decernentia in melius non ſtatim apparere, ſed vel in augmento, vel in ſtatu, quo tempore natura, vel planè cõcoxit morbum, vel partim concoxit,& reliquum tentat alterare. Hinc ſi criſes fiũt in morbo concocto, vbi ſunt ſigna perfectæ coctionis integræ iudicantur, ſiquidem morbum penitus tollunt: propterea ſudores tunc erumpentes verè critici, & perfecti appellari conſueuerunt. In morbo autem partim cocto, quippe critici dicuntur, ſed imperfecti; quia morbum alleuant,& faciunt ægros faciliùs ferre morbum: boni tamen,& quodammodo ſalutares, exonerant enim corpus,& ad parandas meliores criſes naturam diſponunt.

Secunda criticorum ſudorum conditio eſt, vt in aliquo decretorio die tales ſuſcitentur, non enim ſufficit cum ſignis manifeſtæ coctionis apparere: ſi in alijs diebus extra ordinem criticorũ dierum erumpunt. Profectò ſuperius probauimus, decretorios dies, eo quia in ijs morborum,& naturæ iudicia,& ſententiæ terminantur, veluti terminos exiſtere. Quod ſi fortè ſudores in diebus haud decretorijs ſuccederent quippe in termino non competenti fuiſſe eruptos diceremus; proinde infidos,& malignos eſſe ſuſpicaremur: ſiquidem non decreto naturæ prodirent, ſed ex aliquo forſitan morboſo irritamento, vel peccantis materiæ ſtimulo irritati, ad excretionẽ tenderent. Profectò criſis quęlibet ſi in die decretorio non contingit, infida redditur: ſiquidem non lege naturæ, ſed ob morbi magnitudinem, motum, & acuminis velocitatem, vel aliam occaſionem diem criticum anteuertit, proinde nec bona, nec perfecta iudicari poteſt. Hinc Hipp.3.Progn.24.ad oſtendẽdam diei decretorij vim ad ſalutem,& ad mortem dicebat: Quibus febres neq; ſalutaribus notis apparentibus, neq; in diebus decretorijs con-

conquieſcunt, ij mortem, vel recidiuam timere debent. Propterea 4.Aphor.vt dies doceret, in quibus ſudorum eruptio laudari conſueuit, hæc intulit: Sudores febricitanti ſi inceperint boni, & 3.5.7.9.11. 14.17.20.27.34. hi enim ſudores iudicāt morbos: qui verò nō ita fiunt, laborem ſignificāt, morbi longitudinem, & recidiuam. Sunt ergo dies decretorij potentiſſima indicia ſudorum criticorum bonitatis, ſi cum ſignis manifeſtæ coctionis, & ſub eorum norma ſuſcitantur, quemadmodum in omnibus Hipp. obſeruationibus videre poſſumus: dicebat enim 1.Epidem. de Herophonte: Iudicatus eſt die ſeptima decima. Et de Melidia: Iudicata eſt perfectè vndecima die. Quia autem hoc notiſſimum eſt, plura exempla non opus ſunt.

Sed conditio hæc non tam ſicco pede cōpenſanda eſt, nam ſudores critici non ſolum in die decretorio, vt erumpant, opus eſt, verum atq; vt prius exiſtant indicati. Siquidem criſis nō indicata, periculoſa cenſetur, nam naturæ tenorem, legem, conſuetudinē, & peculiarem conditionem à vi morbi eſſe euerſam oſtendit, eo quia pugnando nullum victoriæ præſtitit indicium, quemadmodum & ij facere ſolent, qui ad inuicem digladiantur. Equidem qui victoriæ palmā eſt conſequuturus, perpetuò inimici ſui impotentiam commonſtrat: nāq; licèt ab illo compatiatur aliquid, omnimodo tamen ſupra illum ſuę ſuperioritatis indicium præſtat, & præſagium. Hæc ſigna victoriæ in morbis, in diebus quibuſdam ſignatis manifeſtare natura conſueuit. Hinc Hippocr. 2.Aphor.24. dicebat: Septennorum quartus eſt index. Alterius ſeptimanæ octauus principium. Eſt autem & vndecimus contemplabilis: ipſe enim quartus, eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus verò & decimus ſeptimus contemplabilis: ipſe ſiquidem quartus, eſt à quarto decimo, ſeptimus verò ab vndecimo. Volebat in his diebus indicibus aliquid naturam feciſſe Hippocrates cōmonſtrare: ſiquidem ſignum indicis, altero die inceptum opus perficiēdum manifeſtat: quod ſi tale deficiat, defectuoſum iudicium vereri oportet, & forſitan naturam in pugna ſuccumbere, quia vniuerſum opus tempore criſis velle perficere ſummè iudicatur periculoſum. Quapropter ſudores criticos indicatos, fideliores, & tutiores arbitramur: ratio eſt, quia quod perficiendum ad totalem ſupereſt victoriam, vtique natura certiori fiducia perficiet. Hoc autem in ſalutaribus affectibus intelligere oportet: in lethalibus enim, & exitioſis (vt inferius indicabimus) indicatos ſudores, maiora pericula, quā qui indicati non fuerint, infirmis promittere cōſueuere.

Tertia cōditio eſt, vt ſudores huiuſmodi criticus rigor aliquis præ-

cedat: rationabiliter enim hic ante ſudorum apparitionem optatur, quia ex hoc tenues, acutoſque humores à venis in ambitum corporis fuiſſe propulſos ſignificatur: ſiquidē hi quoties per ſenſiles partes excurrunt, acredine, & tenuitate neceſſariò vellicant, & pungūt: indè cum extremarum partium refrigeratione vehemens ſuſcitatur rigor. Hæc eſt doctrina Gal. in lib. de rigore, conuulſ. & palpitat. Erumpunt deinde ſudores, nam calor, qui à cōcuſſione rigoris, & frigiditate partiū intus erat retractus, foras exurgit, proinde magna, & acuta febris excitatur, cuius calore extenuati humores in copioſum reſoluūtur ſudorem: quo tempore ſi robuſta fuerit natura, vtiq; affectus ſedabitur, & æger à morbo vindicabitur. Hic adnotandū volumus, non de omni rigore in præſentiarum intelligere nos velle (ſiquidem dimittimus rigorem ſine febre, aut in acceſſionis principijs, vel ex caloris occluſione, & alijs modis factum) ſed illū potiſſimum, qui in morbis acutis boni, aut mali aliquid oſtendere poteſt: Inter hos optimū eſſe cenſemus, qui iudicatorius fuerit, cuius naturę ſupponuntur hi, qui febribus acutis ſuperueniunt. Sit omnium teſtis Hipp. 4. Aphor. 58. A febre ardente habito, rigore ſuperueniente, fit ſolutio: in quo loco in ardente febre potius exemplificauit auctor, quia hæc faciliùs, quàm reliquæ febres per ſudores poteſt iudicari: ſiquidem intermittentes, rigore ſuperueniente neceſſariò non ſoluuntur.

Sed quis dubitaret, cur Hipp. abſolutè loquatur, ardentem febrem ſolui ſuperueniente rigore, ex quo intellexit per ſudorem: cum ſolui etiam poſſit vomitu, alui deiectione, vrinis, & hemorragia eodem die ſimul eruptis? Huic dicendum, Hippocratē intelligere, vt plurimum à tali exolui excretione: ſiquidem rigor in febre huiuſmodi, quaſi criticus ſemper eſt; & criſes plerunq; ſunt ad bonum: propterea habemus 1. Prorrhet. rigorem ſine ſudore eſſe malū. In Epidemijs pluries Hipp. quod ex rigore febricitātibus ſuccedit, beneficium declarauit, quippe eo ſuperueniente, multi ſanati ſunt: dicebat enim de muliere decumbēte in littore. Vndecimo ſuperriguit, igni eſt correpta, ſudauit, febre eſt liberata. Et de Charione: Decimo ſeptimo ſuperriguit, febris acuta, ſudauit, decretoriè eſt liberatus. Gal. etiam 9. de criſib. c. 3. eos, qui rigēt, dicebat, optimè ſudare, & 1. Prorrhet. habemus, ſudores, qui rigores conſequuntur, bonos exiſtere, ſi vnà cum ſignis coctionis appareant. Hinc animaduertendum, infirmos à rigore tantùm ſanari non poſſe, niſi præuia humorum excretione: rigor enim ſanari ſignificat, minimè autem ſanat, nec quilibet rigor poſſe prodeſſe iudicandus eſt,

etiam quod exinde ſuſcitetur excretio, ſed is tantum, qui poſt ſigna coctionis,& in die decretorio apparuerit: propterea ſudores criticos conſequi debere iudicatorios rigores manifeſtatum eſt.

Quarta cõditio ſumitur à quantitate ſudoris,qui vt ſit criticus,multus eſſe debet;nihil enim,vt 1.Prorrhet.com.1.inquit Gal.eorum,quę decretoria exiſtunt,exiguè ſecerni cõuenit:nam eo caſu,vnum duorũ præſupponere opus eſt, aut copiam,quæ tolerari à facultate nequit, aut naturæ imbecillitatem,quæ proponit ſuperflua excernere,ſed nõ poteſt. Itaq; ſudori optimo larga eruptio ſolet eſſe familiaris, quippe natura dum morbũ concoxit,totam peccantem materiam nititur expellere, cuius excretio ſi fuerit per ſudorem, vt integrũ conſequatur iudicium,veriſimile eſt vt copioſa exiſtat. Hoc videre eſt in Hippocr. 1.Epidem.in Cleonactide,in cuius hiſtoria dicebat:Octogeſima riguit, febris acuta corripuit,multum ſudauit,vrinis ſubſidentia rubra, leuis, perfectè eſt iudicatus. Et 3.Epidem.de virgine in Abderis,quæ decũbebat in ſacra via. Vigeſima ſeptima ſudauit multum,à febre libera. At videamus cuius figuræ, dum multi, & copioſi concitantur, critici eſſe queant. Hipp.1.Progn.26. laudauit ſudores illos, qui cum guttis euaporãt,quæ figura ad rotunditatem inclinat,& inter alias perfectiſſima iudicatur. Propterea ſudores optimi guttatim excerni debent, indicãt enim duas corporis perfectiones,vna,quod humiditas per poros robuſtos,& non relaxatos exeat: relaxati enim, & flaccidi figuratos non reddunt. Altera eſt,quod ex tali figura denotant coctionem à natura accepiſſe,craſſiuſculamq; ſubſtantiã acquiſiuiſſe, quę talis figuræ cauſa eſt: crudi enim,& incocti,vel fluxibiliores, & figuræ incapaces exiſtũt,vel craſſi,& tenaces,vt in ijs difficulter forma imprimatur. Tertia huius rei datur ratio,quæ forſitan allatis erit certior,quod critici ſudores, quia excernuntur cum modeſtia, temperatè, & ſine expreſſione,vel impetu morboſo,guttatim euaporent,vt pororum figuram naturalium imitentur.

Quinta conditio à qualitate ſudoris exoritur. Optimi enim,& perfectè critici, calidi eſſe debent, quippe in ſudoribus caliditas, probæ coctionis,Teophraſti teſtimonio,ſignũ indicat: nec ſine ratione, nam materia in corpore,quę à calore nequit euinci,ſi per viam ſudoris excerni cõtingit,profecta frigida potius,quàm calida erumpit. Hac etiã ratione Hipp.4.Aphor.42.in ſudoribus ſuperfluis aſſeruit calidos ipſis frigidis minoris eſſe malignitatis. Sudor multus calidus, vel frigidus ſuperfluens,frigidus magis,calidus minus,morbũ ſignificat. Si ergo in

malis iudicijs, calidi ſunt, frigidis meliores, tantò magis in ſalutaribus iudicijs erunt iudicandi: ſiquidem calidi magis naturæ, quàm frigidi aſſimilantur. Illa equidem calore naturali (vt multi aiunt) tanquam inſtrumento ad ſuas operationes exercendas vtitur, proinde ſecundum agentis qualitatem, opera queunt verificari, quod ſi natura ipſa calor eſt, ſeu calorem famulum habet, quippe ſudores ij laudari poſſunt, qui calidi erumpunt in ſignum, quod ab ipſa moueantur. Propterea tales dici ſolent decretorij, nam facultatem robuſtam denotant, quę ſuperuacuos humores digerat, & in ſudores reſoluat. Verificantur hęc omnia in Epidem. in hiſtorijs Periclis, Nicodemi, mulieris moroſæ, virginis Lariſſæ, &c. in quibus obſeruauit Hipp. ſudore copióſo, & calido omnes fuiſſe liberatos. De Pericle ita dicebat 3. Epidem. Quarto circa meridiem ſudor prorupit toto corpore multus, & calidus ſine febre iudicatus eſt, neque redijt. De Nicodemo: Sudor ei toto corpore copiosè calidus emanauit, ſine febre iudicatus eſt. De muliere moroſa: Sub hanc noctem ſudor multus toto corpore, & calidus prorupit, liberata febre, dormiuit. De virgine Lariſſæ: Inhorruit ac mox ſudauit toto corpore multum, & calidum, ſine febre eſt iudicata.

Sexta cōditio à loco ſudoris cognoſcitur. Optimi equidem ex toto corpore erumpere debent: hac enim via validam, & potentem, quæ æqualiter calorem, & ſudores per omnes corporis partes diffundat, naturam eſſe cognoſcimus. Profectò in facultate languida oppoſitum obſeruamus, potiſſimum in malignis affectibus: in ijs etenim non ex toto procedūt ſudores, ſed vel ex capite tantum, vel thorace, aut alijs particulis: quod ſi aliquando à toto excerni videntur, vel ij pauci exiſtunt, & quod peius, frigidi, & pernicioſi, vel adeo exuberantes, vt ſufferri nequeāt. Propterea Hipp. 1. Progn. 26. laudauit ſudores calidos, & à toto corpore profuſos, atq; copioſos: nam hæc inter alias, ſudoris critici, & ſalutaris characteres exiſtunt. Ponderantur hæc omnia in obſeruatione Periclis, Nicodemi, de quibus loquuti ſumus, & in multis alijs ab Hipp. adductis: quibus ſignis optimorum ſudorum conditionem circa eruptionem à corpore bene cognoſcimus.

Sed dubitaret quis, an ſudor particularis copioſus, & calidus poſſit ſalutarem, & bonam criſim facere? Cui dicimus, quòd ſic, ſed nō optimam: ſiquidem hæc à toto erumpit, illa verò à parte. Idcirco iudicia optima, & perfecta, & integra eſſe iudicantur: bona verò non integra, ſed imperfecta, & quæ recidiuam minentur.

Septima conditio ſudorum criticorum à ſignis concomitantibus cogno-

cognoſcitur. Hæc ſalutaria eſſe debent, potiſſimum autẽ in excretis, qualis eſt bona hæmorrhagia, vomitus, excretiones alui, & vrinę, ſputa, &c. quę tanquam optima vnà ſimul cũ ſudoribus criticis illuxerint: hinc ægri melius ſentiuntur, & ad integrale iudicium diſponuntur. Profectò oculatus Medicus in hiſce ſudorum criſibus hęc, & alia præmeditetur ſigna ſalutaria, vt indubitatum valeat de ęgri ſalute referre præſagium: ſiquidem ſalutaria, præter allata, hæc numerantur. Mente conſtare, facilis anhelitus, facilis tolerantia, pulſus bonitas, virium robur, decubitus decens, facies ſanis ſimilis, venter, & hypocondria non dura, alui excrementa æqualia, compacta, & coloris aurei, vrina ſubflaua, cum hypoſtaſi alba, æquali, continua, ſputum album, non fętens, quod facilè expuitur. Hæc ſi cum critico ſudore adfuerint, quippe indubitatam ſalutem promittunt. Profectò eruditiſſima natura in parandis iudicijs conſumato vtitur artificio: alterat enim, & digerit ſuperfluos humores, & quantum potuerit extenuat, deinde vel per vomitum, vel alui deiectionem, ſi craſſiori ſunt mole, excernit, qui verò magis extenuati fuerint, per ſudores, vel vrinas; & hæc eſt cauſa, quod in criticis, & optimis ſudoribus vnà elucent optima ſigna. Hæc autem modò antecedunt, modò verò eadem die vnà erumpunt, vel paulò poſt ſubſequuntur, vt in pluribus exemplis in Epidemijs negotij veritatem commonſtrare conabimur. De muliere, quæ in littore decumbebat, ita dicebat Hippoc. 1. Epidem. Circa decimam quartam vomuit birioſa flaua ſatis, multa ſudauit, à febre libera iudicata eſt. De Melidia: In vrinis ſubſidentia alba, leuis, ſudauit, iudicata eſt perfectè vndecima die. In 3. Epid. de Pericle: Vrinarũ copia, quę concoctę multã ſubſidentiam habebant. Nox quieta. Quarta circa meridiẽ multum calidũ ſudorẽ per totum excluſit, à febre liber iudicatus eſt. Et de Anaxione: Tuſſijt, eduxit matura multa. Vrinis ſubſidẽtia multa, alba, ſine ſiti erat, bene ſpirãs. Trigeſimaquarta ſudauit per totum à febre liber penitus iudicatus eſt. De muliere moroſa. Ad hanc noctem, multum ſudorem calidum per totum corpus excluſit, à febre libera dormiuit, reſipiuit penitus iudicata eſt. Circa tertiam autem diem, vrinæ nigræ tenues, quòd in medio ipſarum pendebat, aliquãdiu rotundũ, non ſubſidebat. Circa iudicationẽ menſes multi prodierunt. Hoc etiã quoad ſigna ſalutaria, vidit in Cleonactide, Cherione, Metone, virgine Abderę, virgine Lariſſæ, & alijs multis, in quibus facili negotio cum ſudoribus criticis, alias ſalutares notas comitari recognoſcemus. Quia autẽ locus hic, maxima dignus eſt conſideratione: ſiquidem in excretorum per-

perquiſitione potiſſimum ſudorum criticorum ſcopus videtur ineſſe: propterea, vt Lectores ingenioſos ab hoc laborioſo laberyntho extricare valeam, de cunctis ferè excretionibus ſalutaribus breuiter diſſerere decreui, ita profectò ad ſummum in hac parte literarum amatoribus videbor ſatisfeciſſe.

De ſalutaribus ſanguinis eruptionibus.

HÆmorrhagia non omnibus morbis, ſed ijs potiſſimum, qui à calidiori oriuntur ſanguine, vel à bile ei admiſta, necnon & in corporibus calidioris tēperamenti, & quę plurimo, & calidiori abundant ſanguine, ſuccedit. Sit mihi teſtis Hipp. 6. Epidem. qui ait: Sanguinis de naribus profuſio, aut ijs, qui ſubuirides, nigriq; ſunt, aut ijs, qui rubri, & virides, aut ſubuiridibus: ratio eſt, quia tales tum ex calido temperamento, tum propter calidos humores, ad excretionem hanc ſunt diſpoſiti. Idcirco in praxi ſanguinis eruptiones fieri aſpicimus in acutis, & calidioribus morbis, quales febres ſynochæ, continuæ, ardētes exiſtunt, atq; in alijs morbis ex eiſdem humoribus effectis, quales ex Gal. febres omnes continuæ ſunt, & ex intermittentibus, etiam Tertianę, & aliquando Quartanæ. Obſeruamus etiam in internis præcordiorū inflāmationibus, hepatis præſertim, lienis, diaphragmatis, ac ſtomaci. Aliquando in pleuritide, & phrenitide: raro in letargo, & peripneumonia, cum affectus hi à frigidiori ſanguine innaſcantur.

Hæmorrhagia non ſolùm à naribus ſuccedere poteſt, ſed ex hęmorroidibus, ex aluo, & ex vtero in fœminis, è quibus locis ſanguine in morbis erumpente multos ſanitati reſtitui non ſemel obſeruamus. Videamus autem quãdo talis excretio ſalutaris, & critica exiſtat. Equidē vt ſalutaris, & optima iudicetur, non ſolùm cū ſignis coctionis (vt quęlibet critica eruptio fieri debet) opus eſt, vt appareat: verum atq; alijs indiget requiſitis, & conditiones, quæ ſeptem numero commenſurantur. Prima, vt perpetuò cum ſignis coctionis erumpat. Secunda, vt largè, & copioſè ſanguis fluat. Tertia, vt in diebus criticis appareat. Quarta, vt in aliquo indicatorio die talis excretio præindicetur. Quinta, vt ideæ, & naturæ morbi, ægri, & temporis correſpondeat. Sexta, vt locis affectis congruat, vt probè à parte affecta humor effluat: quemadmodum læſo hepate, ſanguinem à dextro nare, liene verò à ſiniſtro euacuari requiritur. Septima, vt ex hac ſanguinis excretione morbus aut omnino tollatur, aut ſaltem diminuatur. Profectò cum

ægro-

ægrorum facili tolerantia hæc omnia fieri oportet, vt leuiores,& robuſtiores euadant,& pulſus meliores,vehementiores,ęquabiliores,& ordinatiores fiant. Hæc porrò optima ſigna cuiuſuis ſanguinis excretionis,ſi critica,& ſalutaris fuerit euacuatio,eſſe creduntur.Dilucidemus autem omnia auctoritatibus. Hipp. 1.Epid.com.2.tex.65. de his ita loquitur:Febribus autẽ ardentibus,quibus ritè,ac largiter ſanguis, per nares erupit, ea de cauſa maximè ſeruabantur. Hoc in Cleonactide,Pericle, virgine Abderæ, Heropyto,muliere moroſa,virgine Lariſſæ, Metone,atq; in alijs à ſapientiſſimo ſene fuit obſeruatũ: de quibus ait: Sanguis autem plurimis erupit, præcipuè adoleſcentulis, & adultis, quorum perijt maxima pars, quibus ſanguis non erupit. Et 2.Epidem. Largæ de naribus eruptiones ſanguinis liberãt ferè. De his Gal.de Metone ſic locutus eſt:Sanè enim à ſola videtur ſanguinis eruptione,& iudicatus, & ſeruatus, quamuis nõ omninò tuta ſigna haberet.In Coacis legitur: Acuti morbi iudicantur ſanguine fluente à naribus,& ſudore multo,& die ſeptimo,nono,vel decimo quarto,ſanguinem è naribus, vt plurimum, febres reſoluere adnotatur. Habemus 5.Aphor. Mulieri ſanguinem euomenti,ſi menſtrua eruperint,fieri ſolutionem.

De vomitibus ſalutaribus.

Vomitus nomine hoc loco, omnia intelligimus, quæ motu ventriculi per os excluduntur, ex quo robur naturalis facultatis conijcere valemus, vel ipſius debilitatem. Idcirco alij dicuntur boni, alij verò mali.Dicamus in præſentiarum de bonis.De his ita loquutus eſt Hipp. 2.Progn. vomitus autem vtiliſſimus eſt, ſi quam maximè ex bile, & pituita fuerit commiſtus, non admodum craſſus, nec multus: ratio eſt,nam ſynceriores excretiones deteriores habẽtur,vt ſunt vomitus æruginoſi,nigri,fœtidi,virulenti verſiculores. At bilis,& pituitę bonus exiſtimatur,nam humores hi commiſti benigniores tenẽtur. Laudat Hipp.vomitum nõ admodum craſſum, nam in pauca craſſitie nec calorem, nec frigus valdè dominari præſupponit: laudat etiã non multum,eo quia paucam in hoc humorum redundantiam conſiderat.

Vomitus cùm ſit excretio,poteſt eſſe vel critica,vel ſymptomatica. Si eſt critica in omni morbo tam acuto, quàm benigno, bona cẽſetur: ſiquidem hæc præuia humorũ coctione apparet,fitq; in diebus decretorijs, morborumq; ideæ conuenit, & proinde morbum, & ſymptomata, vel integrè tollit, vel ſaltem diminuit: quibus conditionibus,

omnes

omnes vomitus eſſe bonos conijcimus, ſi per illos humores morboſi probè expurgantur. Hoc pacto non ſolùm vomitus ex bile,& pituita bonus eſſe cẽſetur,ſed etiam biliòſus,pituitoſus,vel æruginoſus ſi criticè à natura producitur: ſiquidem in febribus pituitoſis, vomitus pituitoſus,& in ardentibus bilioſus deſideratur; Hipp.6.Epid.comm.1. tex.6. In renum doloribus, cum pituitæ,tum humoris æruginoſi vomitum laudauit. Et Gal.3.Aphor.com.1. conuulſis vomitũ æruginoſum profuiſſe ſcribit. Itaq; ſynceriores excretiones ſalutares etiã eſſe poſſunt,ſi criticè humores fuerint expurgati, & vnà cũ bonis euacuationibus,& ſignis apparuerint. Verùm vomitus,qui ſine perfecta coctione fiunt,licèt aliquando ſint boni, eo quod morbum alleuent, & ſymptomata diminuant, ſalutem tamen niſi longo tempore futuram promittunt, & proinde multas recidiuas arguunt. Caſus inuenitur in hiſtoria vxoris Epicratis. In mitioribus verò morbis,pernicioſi vomitus,vt ſunt nigri,& ſynceri, vel exitium,vel longitudinem, vel recidiuas,& labores præſagiunt. In acutis,ſi vomitus morbum alleuant,faciuntq; vt ægri faciliùs ferant morbum, licèt ex ſyncerioribus humoribus procedant, quales ſunt nigri,æruginoſi,fœtidi, & virulenti,&c. ſalutares eſſe iudicantur.

De ſalutaribus alui deiectionibus.

Excrementa ex aluo ritè prodire nequeunt, niſi in ventre inferiori fuerit ſanitas, ſiquidem cum illa, optima, tum ratione perfectæ coctionis, tum verò humorũ ad ipſum à viſceribus confluentium potiſſimum, quando nihil noxij ab hepate, liene, & alijs partibus, è quo illius actio vitietur,influit eſſe iudicantur. Audiamus de omnibus doctiſſimum Hipp. 2. Progn.13. qui breuiter omnes bonas conditiones reſtrinxit. Alui excremẽta inter bona indicia ſunt,ſi mollia,ſi figurata ſunt,ſi eodem ferè tempore,quo in ſecunda valetudine deijci ſolebãt, excernuntur:ſi his,quæ ingeruntur,proportione reſpondent,vtpotè, quę inferiorẽ ventrem rectè valere declarant. Si verò liquida fuerint, præſtat vt ſine ſtridore, neq; frequenter, neq; ex breuibus interuallis deijciãtur:etenim fatigatur ęger ſi crebrò ſurgit,vigilijſq; conſumitur. Cùm verò affatim, ſæpèq; deijcit,ne animus eum deficiat periculũ eſt. Conuenire debent excrementa his,quæ aſſumũtur,& his terue interdici,noctu verò ſemel deijci, idq; maximè matutinis temporibus, pro cuiuſque conſuetudine. Ad finem iam tendente morbo,bonum eſt,ſi

craſ-

craſſiora reddantur, ac rufa, & odoris fœditate, ſani hominis aluum vehementer non excedant. Lumbricos etiam cũ excrementis ſub fine morbi deſcendiſſe nihil nocet. Venter in quouis morbo vacuus, corpulentuſq; eſſe debet.

His notis cognoſcimus bonas, & criticas alui excretiones. Hoc autem in die decretorio, & cum ſignis manifeſtæ coctionis, atq; in ſtatu morbi apparere (vel ſint liquidæ, flauæ, croceæ, rufæ, porraceę, nigrę) conſueuerunt: quippe ſalutares ſunt, cum humores vitioſi, & concocti purgantur, de quibus Gal. 4. Aphor. com. 22. dicebat: Quando igitur poſt morbi coctionem aliquis humor vitioſus excernitur, tũc corpus à natura expurgatur, & propter hoc atra bilis, & alius omnis humor huiuſmodi, vbi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificant euacuationem. Si verò aliter excernitur ſine ſignis coctionis, infidelis caſus eſt. Ideo cuiuſuis coloris excretiones (licèt pernicioſæ videantur) cum ſignis coctionis in ſtatu criticè apparentes, ſalutares exiſtunt: ſiquidem cõprobatur hoc, teſtimonio Hipp. 4. Aph. 47. Excretiones in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, omnes malæ, & ſi benè exeunt, ſiue per alui excretionem, ſiue per vrinas bonæ. Huiuſmodi excretiones in ijs morbis ſuccedunt, in quibus nulla pernicioſa ſigna apparent; plerunque vnà cum optima ſanguinis eruptione, vel copioſo ſudore, vel alia ſimili euacuatione erumpunt: proinde maxima reſultat tolerantia, & vtilitas in ægris, nam febres, & ſymptomata vel integrè ſoluuntur, vel in magna parte diminuuntur: inde fiunt ægri robuſtiores, & ad ſalutem reducuntur.

De vrinis ſalutaribus.

IN vrinarum obſeruatione tria proponimus obſeruãda in morbis, ſubſtantiam ſcilicet, colorem, & ſedimentum: ita fecit Gal. 3. Epid. dum optimã vrinam eam eſſe dicebat, quæ in ſubſtantia fuerit mediocris inter tenuem, & craſſam, copiæ aſſumpti potus correſpondens, color ſubrufa, ſubflaua, cum ſedimẽto albo, leui, & æquali. Cuius opinio licèt ſit vera, contrarietatem tamen aliquam reſpectu coloris habere videtur; ſiquidem liquidò conſtat, in optimis vrinis non vnicum colorem perpetuò obſeruari. Sit omnium teſtis ipſemet Gal. qui 1. de criſib. 12. dixit, optimam eſſe magis ſubrufam, quàm ſubflauã. & 2. de ſanit. tuen. rufam, bilioſamq; vrinam eſſe præſagium perfectę coctionis determinauit. Cauſa omniũ eſſe videtur corporis temperies, ætas,

ſexus, victus, atque vitæ ſtudium, è quibus in vrinis colores facillimè mutantur. Hinc eſt, vrinam modò coloratam, modò verò diſcoloratã videri etiam in peracta coctione: ſiquidẽ corpora calidiora vrinas habent magis tinctas, frigida verò minus. Iuuenes, vrinas magis tenues, & coloratas pueris habent. Pueri ijs craſſiores. Senes tenues, & minus coloratas. Mulieres viris magis tenues, minuſq; coloratas, cũ copioſo ſedimento. Crapulantes vrinas mingunt cũ multo ſedimento, & crudo. Ieiunantes, vigilantes, & laborantes, cum pauco ſedimento, magis coloratas. Otioſi multum habent ſedimentum cum vrina diſcolorata. Quas diuerſitates videns doctiſſimus Hipp. breuitatis ſtudioſus, nec ſubſtantiam, nec colorem in vrinis attendendũ duxit, ſed ſolùm ſedimentum, ratus forſitan cum optimo cõtento neceſſario colorem bonum, & ſubſtantiam mediocrem conſeruari. Ita dicebat 2. Progn. Vrina illa optima eſt, in qua per totũ morbi decurſum reſidet albũ leue, & æquale: hæc nimirum ſecuritatem, breuemq; morbum ſignificat. Hac ſedimenti conditione volebat Hipp. innuere, vrinã eſſe perfectè coctam, ac proinde ſecuritatem ſalutis, & celeritatem criſis in morbis portendere: ſiquidem adiungit, quod ſi aliquid horum deeſt, vt modò liquida ſit, modò album, leueq; in ipſa reſideat, hæc vt longiorẽ morbum denuntiat, ita ſecuritatem minorem pollicetur: nam mutatio coctionis, & cruditatis ſignificat naturam cũ morbo paribus viribus pugnare. Idcirco talis vrina non erit fidelis: propterea Gal. 1. de criſib. optimam vrinam videtur aſſerere in ægris eſſe ſanorum ſimilem, diſſimilem verò longè non bonam.

Veniamus modò ad diſcuſſionem bonarum vrinarum quoad tria propoſita fundamenta. Diſſeramus primò de ijs, quę conſiderantur ſecundùm ſubſtantiã. Hæ vel tenues, vel craſſæ, vel mediocres eſſe poſſunt. Tenues, ſed benè coloratæ, bonæ iudicantur, vt Gal. 1. Epidem. Planũ eſt tenues, ſed boni coloris vrinas, ob caloris bonitatẽ, ſalutem promittere. Animaduertendum autẽ has vrinas, propter tenuitatem, longiori indigere tempore ad coctionẽ perficiendam: & propterea indicare ſalutẽ, ſed longè futuram. Fuit hoc obſeruatum ab Hippocr. in Claxomenio, & Charione. Tenues verò diſcoloratiores, dũmodo alia ſigna ſint ad ſalutem, abſceſſum indicant. De his Hipp. 2. Progn. 24. Si vrina tenuis, & cruda ſic diù fertur, vt reliqua ſigna ſalutaria ſint: plerunque infra ſeptum tranſuerſum, abſceſſus oriri ſolet. Hoc in Pythione apud Hipp. videri poteſt. In mutationibus vrinarũ illæ bonæ exiſtimantur, quæ ad meliorem vel colorem, vel ſubſtantiã, vel ſedimentum

tum

tum peruenerint;propterea craſſiores,quæ poſt principium minguntur,cùm prius fuerint tenues,bonæ determinantur:nam ex hac mutatione accedit coctio. E craſſis etiam fieri tenues,optimum eſſe,Hipp. cẽſuit 4.Aphor.Quibus vrinæ craſſæ,grumoſæ,paucę,non ſine febre, multitudo veniens ex his tenuis iuuat, maximè verò tales redduntur, in quibus ſtatim ab initio,vel non ita ſedimentum apparuerit.Inſuper copia vrinarum in die decretorio apparens, ſalutarem criſim promittit,& eo certiùs,ſi fuerit cum bonis ſignis.De his Hipp.4.Aph.Quibus ſperatur abſceſſus futurus ad articulos,liberat ab abſceſſu vrina multa craſſa,& alba facta,qualis in laborioſis febribus quarto die,quibuſdam incipit fieri: ſi verò ex naribus fluxerit ſanguis, breui admodum ſolutio fit.

Ex coloribus in vrinis laudatur ſubflauus,ſubrufus,ſubcroceus,modicè palleus,ſubluteus. *V*rina ſubrubra cum ſedimẽto ſubrubro iudicatur ſalutaris, licèt teſtimonio Hipp.2.Progn.27.morbũ diuturniorem ſignificet. Subrubra vrina,in qua ſubrubrum,leueq; reſidet,quãquam morbum diuturniorem, eundem tamen ſalubriorem declarat. Color niger in lienoſis,& in ijs,qui in morbis ſanguine abundant melancholico,atq; in menſtruis ſuppreſſis, quæ melancholica ſint,nõ eſt perpetuò malus, vt Hipp.3.Epid.com.3.tex.82. obſeruauit in Herophonte.Hinc vrinæ multæ,& nigræ criticè excretæ,vtiles iudicãtur, de quibus vide Gal.eodẽ lib.tex.74. *V*rinæ turbatæ,in quibus reſiderit citò album, leue, & æquale, bonæ ſunt, ex Gal. teſtimonio in 4.de ſanit.tuen.Si verò celeris ſeparatio craſſi,à liquido in ea cernitur,ſitq; quod ſubſidet album leue,& æquale iam iam ſeparaturam eos omnes naturam indicat. Claræ, quæ ſubitò turbantur ob id vtiles dicuntur, nam ſignificant naturam aggredi humorum coctionem. Ex turbidis ſi claræ fiunt,optimæ ſunt.Ex diſcoloratis coloratę,ex coloratioribus, minus coloratæ; ex carentibus ſuſpenſis,quæ nebulam,ſuſpenſum,vel ſedimentum habere incęperint. Quæ albæ, & æquales fieri incœperint,omnes bonæ exiſtimantur. *V*rina colore oleo ſimilis aliquando, (peracta morbi coctione) bona eſſe ſolet. Hic nota, quod non loquimur de vrinis pinguibus, & oleoſis : proinde vide Gal.3.Epid.com.1. tex.4.

Vrina erit bona,ſi habuerit nebulam,melior ſi ſuſpenſum,optima,ſi ſedimentum album,leue,& æquale.In quo propoſito ſcias,ſedimentũ huiuſmodi eſſe perfectæ ſecuritatis in morbis: bonũ verò ſuſpenſum, vel bonam nebulam ad prædicendam ſalutem ſufficere. Hinc Hipp.

4. Aphor. Quibus ſeptima iudicatur in ijs nubeculã habet vrina, quarta die rubram, & alia ex ratione. & Gal. ait, quod non ſolùm rubra aliqua nubes apparens antea non viſa, iudicationẽ ſignificet, ſed & alba, multò plus ipſa, adhuc autem magis, & ſublimamentũ album, æquale, atq; conſiſtens: hinc Hipp. 2. Progn. nubeculam dixit, quæ inuenitur in vrina, ſi fuerit alba, bonitatem indicare, quia alba, cocta eſt: vt autẽ talis exiſtat, vt aliquam habeat craſſitiem opus eſt, at non tantã, vt pondere ſubſideat. Inſuper bonæ ſunt vrinæ, quæ carentes ſuſpenſo, nebulam, vel ſuſpenſum, vel ſedimentum habere incœperint, nam mutationes ad melius ſemper bonæ exiſtimantur.

De ſputis ſalutaribus.

SPutum quia ex affectu thoracis contingit, ſi ſine febre cõſpicitur, ſolet in vexatis à tuſſi, difficili reſpiratione, vel doloribus fieri: cũ febre verò in pleuriticis, peripneumonicis, & ſuppuratis. Si eſt ſine febre, hoc in thoracis affectu ſine inflãmatione, & febre optimum cenſetur ſi album leue, & ęquale fuerit: Mediocre inter tenue, & craſſum, nullo prauo colore tinctum (quales eſſent color flauus, pallidus, rufus, viridis, liuidus, porraceus, aut niger) facile, & ſine multa tuſſi, & labore eductu, atq; tuſsim, dolores, & difficilem reſpirationem ſedauerit. Hæc omnia videri poſſunt in Gal. 1. Aphor. com. 12. à calore enim naturali coquente materiam contingunt, quæ alba ſunt, & non aſpera, leuia, & æqualia, quorum cohærentia nec humida ſupra modum, & fluida, nec etiam nimium craſſa eſt.

In pleuriticis, & peripneumonicis, illud ſputum ſalutare ineſſe creditur, quod haud diſsimile à rectè valentiũ apparet; quod in ſtatu morbi ſolùm (peracta humorum coctione) erumpit: propterea dicere ſolemus, ſputa cõcocta, alba, leuia, & ęqualia, media inter tenuia, & craſſa, & quæ promptè excernũtur, exiſtere. Idcirco dicit Gal. 1. de criſib. 8. nullatenus pulmonis, vel coſtarum affectu laborantes in morbi principio, ſputa rectè valẽtium ſimilia poſſe excernere, & in 6. Epid. dixit: In pleuriti, & peripneumonia in principio ægrotos, ſi ſalutari morbo laborauerint, aliquid expuere, atque hoc coctionis principium indicare: quod ſi tenue expuant, mediocrem coctionem, & craſſum, perfectã. Et 1. Aphor. 12. docuit: In ijs affectibus, ægros nihil expuere, morbum ſignificare crudiſsimum: Tenue expuere, coctionis principium: Craſsius, maiorem coctionem; Craſſum album, leue, æquale, & quod

facilè

facilè educitur, perfectam coctionem, & hoc eſt optimum ſputum.

Hippocrates in his affectibus loquens de ſputo in morbi principio 2. Progn. 43. dicebat: In pulmonis, coſtarumq; doloribus oportet, vt ſputum celeriter, facileq; ſcreetur, & cruor ſputo vehementer miſceatur. Etenim ſi multo poſt doloris initium, aut cruentum, aut rufum, aut non ſine multa tuſſi, nec adeò commiſtum expuitur, vitioſum cenſetur. & tex. 50. Sputum cruentum, cui paulum ſanguinis admiſtũ eſt, in morbi principio, inflammato pulmone proiectum, ſecuritatẽ, atque auxilium pollicetur: quod verò ad ſeptimum vſque diem, longioriue ſpatio tale apparet, non adeò tutum eſt. Cõprobantur hæc in Coacis: Vbi in doloribus pleuriticorum vtile eſſe ſputum colorari, & in omni pleuritide, & peripneumonia optimum, facilè, citòq; educi, & flauum ſputo admiſtũ eſſe habemus: ex quo non ſolùm alba ſputa bona erunt: ſed flaua cruenta, pallidaq; excreationi commiſta; in principio tamen, vel augmento, & non in morbi ſtatu: ratio eſt, nam huiuſmodi excretio inflammationem ex bile flaua, & ſanguine fieri infert, quæ ex alijs humoribus facta minus eſt periculoſa.

Huiuſmodi ergo ſputa in principio, & augmento morborum viſa, non iudicantur inutilia: minus tuta tandem exiſtunt, ſi tardiùs, vt dixit Hipp. prodibunt, eo quòd morbum denotent tardiùs concoquẽdum, & propterea longum eſſe, & non ſine periculo: longitudo enim morbi ſemper aliquid mali præſagit. At ex eo, quod inflammationem eſſe benignam ſignificant, atque aliquid humoris illam facientis expurgari, lethalia non ſunt, ſed longitudinem tantùm morbi præſagiunt. In die decretorio multum ſputum, & concoctum, facilèque eductum, atque cum alia bona euacuatione viſum, & bonis ſignis optimum eſt, atque vnum ex iudicatorijs iudicantibus appellatur, quod ſi dolorem tollit, tuſſim, atque febrem, alio non indigemus ſigno, vt optimum, ac criticum ſputum iudicare valeamus. In ſuppuratis Hipp. 2. Progn. 65. his verbis ſputi bonitatem demonſtrauit. Cæterum à periculo tuti ſunt, quibus eodem die eruptio facta eſt, febris cõquieuit, deſieruntq; vrgere cibi faſtidium, & ſitis, aluus exigua quædam, & figurata reddit, pus album, leue, ſimplici colore, & ſine pituita eſt, atque ſine dolore, leui tuſſicula eijcitur. In anginoſis, qui ad ſuppurationem deuenerint, laudatur etiam ſputum ex purè albo, leui, & æquali, atque facilè eiectum: hoc etenim coctum eſt, & à natura regulatum.

De

De abſceſſibus ſalutaribus.

PEr abſceſſus(omiſſis multis de ijs nomenclaturis)intelligere volumus humorum decubitum,cum tumore,vel inflãmatione in cute erumpentium.Hi in acutis morbis modò ſalutem,modò exitium promittunt;quemadmodum & cæteræ excretiones: hic autem de ſalutaribus tantum agimus. Qui ſalutẽ promittunt,boni,& ſalutares dicuntur,& hiſce conditionibus erumpunt. Non apparent niſi cõcocta materia,& cũ ſignis coctionis,in die decretorio: In partibus à viſceribus, & affectu diſtantibus:ſolent ex natura propria eſſe boni,nam perſeuerant,& non retrahuntur: imò increſcunt, & ſuppurantur, & vnà cum bonis ſignis apparẽt,& vltimò ęgrotos iuuant. Non ſine ratione boni dicuntur,qui cum ſignis coctionis prodeunt: ſiquidem ſæpiſſimè probatum eſt,humorum coctiones iudicij ſecuritatem promittere: & excretiones poſt coctã materiam haud vnquam malè apparere: idcirco abſceſſus (antegreſſis ſignis coctionis) laudabiles erunt:ſecuriores autẽ ſi in aliquo decretorio die eruperint. Optimi verò ſi in locis remotis,& ignobilibus concitantur, quemadmodũ Hipp.2.Progn.67. ſcriptum reliquit,vbi dicebat : In vehementi,periculoſaq; pulmonia non inutiliter in cruribus naſci abſceſſus, nec poſſe aliud quicquam melius accidere,præſertim ſi mutato ſputo ſic appareant. In cuius com.Gal. dixit:Siquidem vera ſit ſententia Hippoc.2.Epid.præſcripta de bonis abſceſſibus,vt optimi ſint, ſi maximè deorſum, & quam longiſſimè ab affectione abſiſtant,magis verò ſi concoctione pariter fiant. Profectò abſceſſus, qui ſuaptè natura dici merentur ſubſtantia, figura, loco,colore,magnitudine,& copia cognoſcũtur, reſpectu ſubſtantiæ,molles, duris meliores iudicantur, capitur ex Hipp.6.Epidem.com.1.tex.13. Tubercula foras ex tumeſcentia, & acuminata in turbinemque ;gracileſcentia æquabiliter matureſcentia non circũ dura decliuia, & non bifida meliora: contraria verò mala,& ſi quãplurimum contraria peſſima. Reſpectu loci laudantur abſceſſus, qui ad exterius mouentur,qua ratione laudamus tumorem in collo in Anginoſis, atq; Eryſipelam ab interioribus ad exteriora verti, vt Hipp.6.Aphor.37. at magis laudamus ſi non ſolùm ad exteriora fluxerint humores, ſed cauſauerint abſceſſum in locis ignobilibus,& diſtãtibus. A colore laudamus bonitatem in ijs, qui rubro, aut flauo, aut albo fuerint, dummodo mediocri magnitudine extiterint ſcilicet, vt minores haud ſint,quàm euacuatio

fieri

fieri poſſit humorũ,neq; maiores,quàm conuenire poſsint. Ex copia, abſceſſus humorum peccantiũ copiæ debent eſſe vniformes,alioquin immoderatiùs apparentes haud tuti iudicantur, cùm eorum copia ad internas partes,vel principes extẽdi poſſit. Abſceſſus,qui perſeuerãt, ſalutares ſunt,ſiquidẽ à facultate robuſta fiunt, à qua etiam augentur, atq; citò matureſcunt,& ſuppurantur:hinc magis laudabiles,vt Hipp. 2.Progn.64.Quibus ex pulmonia abſceſſus ſecundùm aures oriuntur, ac in partibus infernis ſuppurantur,& ad fiſtulam perueniunt,iſti euadunt. Qui verò vnà cum bonis,& laudabilibus ſignis erumpũt,proindeq; morbos fugant, vel ſaltem diminuunt, ægrotoſq; iuuant,iudicio omnium optimi ſunt, nam à valida procedunt natura, & præualente, & meritò tutam præſagiunt ſalutem , cùm iudicatorij iudicantes talibus conditionibus exiſtant. Hæc ſunt ſigna,& ſalutares excretiones, quæ criticos ſudores comitari poſſunt.

Vltima conditio criticorum ſudorum , ab effectu, & opere ſudoris capitur : ſiquidem criticus integrè affectum ſoluere debet, & omnem morbi extirpare malitiam : propterea conſueuit Hipp. varijs nomenclaturis iſtius bonitatẽ extollere: modò enim à ſudoribus verè criticis dicebat,aliquos perpetuò eſſe liberos:alios ſine febre fuiſſe iudicatos, vel quod ab ijs febris ceſſauit,aut quod decretoriè febre,quis eſt iudicatus,& alijs nominibus,per quæ conditiones, & ſigna ſudoris critici voluit exprimere:ſiquidem excretio hęc perfectam arguit ſalutem in infirmis , & integram, quia integrè morbus tollitur. Hoc in perfectè criticis,qui optimi dicuntur,cernitur:de quibus Hippoc.1.Progn.26. dicebat: Sudores autem optimi ſunt,per omnes acutos morbos:ſi per diem eueniunt decretorium,& integrè febrem ſedant.

Hic autem adnotandum ex conditionibus allatis ſudorum criticorum compenſari excellentiam,qui enim iſtarũ aliquas habuerint,vtiq; boni erunt,qui plures,meliores,qui omnes optimi,& ſaluberrimi. De bonis ita loquutus eſt Hipp.loco citato: Boni etiã ſunt,ſi ex toto corpore prodeant,faciantq; vt æger faciliùs ferat morbũ:ſi verò nihil tale efficiãt, nequaquã vtiles ſunt.Hiſce verbis voluit innuere Hipp.ſudores cum paucis conditionibus eſſe inutiles,cum multis,bonos,vel meliores,cum omnibus, eſſe integrè perfectos : ſiquidẽ boni ſunt,qui copioſi ex toto corpore erumpentes, licèt integrè febrem non tollant, efficiunt tamen vt ægri faciliùs morbum ferant:ratio eſt,nam ij affectũ alleuant,& ſymptomata diminuũt: idcirco ab optimis diſtãt,eo quod non perfectè iudicent: quippe ſalutem promittunt,ſed non niſi longo

tem-

tempore futuram: proinde ij recidiuas aliquando præſagiunt,& morbi longitudinem. Obſeruatur totum hoc apud Hipp.in hiſtoria illius, qui in Dealcis hortu decumbebat, de quo ait: Decima ſeptima mane extremitates frigidæ, contegebatur, febris acuta,ſudauit per totum, alleuatus eſt,intelligebat magis,non à febre liber,ſiticuloſus. Vomuit bilioſa,flaua,pauca. Ab aluo ſtercora prodierũt paulò poſt nigra,pauca tenuia: vrinæ tenues,non boni coloris. Decima octaua non reſipiſcebat:ſoporoſus.Decima nona per eadem.Vigeſima dormiuit,omnia intelligebat:ſudauit:à febre liber:non ſitiebat.Vigeſima prima parum mente motus eſt,paululum ſitiebat: præcordij dolor,& circa vmbilicum palpitatio perpetuò. Vigeſima quarta vrinis ſubſidentia: intelligebat omnia. Vigeſima ſeptima coxæ dextræ dolor. Vrinæ tenues,& ſubſidentiam habebant: in reliquis commodiſſimè habebat. Circa vigeſimam nonam oculi dextri dolor: vrinæ tenues. Quadrageſima egeſſit pituitoſa,alba,aliquanto plura:multum ſudauit per totum:perfectè iudicatus eſt. Qui benè ruminabit hiſtoriã hanc, quippè differentiam bonorum,& optimorum ſudorũ facilè percipiet. De his loquens Hollerius 2.de morbis dicebat: In febre ſudor eſt optimus,qui fit die critico,præcedentibus ſignis coctionis,qualitate tepens,toto diffluẽs corpore,ſubſtãtia tenui,nullo graui odore, cum pulſo bono,& vndoſo,& à quo leuatur febris,ægerq; incipit habere ſalubriùs: contra verò peſſimus eſt ei contrarius. Hæc de ſudoribus criticis ſufficiant,qui excernuntur cocto morbo,in die decretorio,concitati à rigore,quantitate copioſi, qualitate calidi, fluentes à toto cum ſignis ſalutaribus, atque integrè febrem ſoluentes, quo fit vt ſtatim ægri leuiores, & robuſtiores videantur, & ad priſtinam reducantur ſanitatem. Præſtitit de narratis epilogum compilare.

De ſudoribus ſymptomaticis,diaphoreticis,& epidemicis. Cap. III.

SYmptomatici ſudores,ex teſtimonio Gal.3.Prorrhe. com.6.vel ab humorum redundantia,vel à retentricis facultatis debilitate fieri cõſueuere.Hos Medici in quatuor claſſes diuidere ſolent, in modicè malos ſcilicet,peiores,grauiores,&peſſimos. De modicè malis locutus eſt Hipp. 1.Progn. quando afferebat, tales nec integrè febrem ſoluere, nec efficere vt ęgri faciliùs morbum

ferant.

ferant. Volebat porrò Hipp. inferre, huiuſmodi excretionibus nihil ægros alleuari, licèt ex toto erũperent corpore: Qua occaſione peiores vocamus, qui nec ex toto excernũtur, nec facilitatem affectus infirmis adducunt. Grauiores verò ſunt ij, qui grauiorem gignunt morbum. Omnium autem peſſimi ſunt, qui frigidi, & qui circa caput, vultum, & ceruicem erumpunt, ſiue in alia corporis particula: quippe hi cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori verò longitudinẽ morbi pręſagiunt. Ita ſcriptum reliquit Hipp. 4. Aphor. Hinc factum eſt, vt apud auctores noſtros reperiri cõtingat, ſudores ſymptomaticos modò mortem, modò labores, recidiuas, morbi lõgitudinem, malam mutationem: ex eo quod tales vel mali, vel peiores, vel peſſimi ſunt, denotare. Propterea eos ſolemus appellare infideles, inutiles, pernicioſos, peſtilẽtes, & diuerſis ignominiæ nomenclaturis: ſunt enim criticis oppoſiti, & oppoſitis diſtinguuntur conditionibus. Hanc proferens differẽtiam Foreſtus lib. 7. obſeruat. 27. in ſchol. dicebat: Erupit ſudor aut naturæ vi, quiddam ſuperuacaneum robore expellẽtis, aut ſpontè, proprioq; impetu: illum naturalem, hunc ſymptomaticum appellant.

Prima conditio talium ſudorum à cruditate morbi deſumitur: ſiquidem hæc malorum ſudorum vera origo, & fomes eſt: propterea ſymptomaticos in morbi principio fieri ſæpenumerò obſeruamus, eo quod illic temporis cruditates maximè vigere ſolent. Hæ multorum malorum cauſæ eſſe ſolent, idcirco Hipp. 1. Epid. dicebat: Cruda verò, & incocta, & in malos abſceſſus cõuerſa, vel iudicij fruſtrationem, vel dolores, vel diuturnitatem, vel mortem, vel eorundem malum reditũ denunciant. Idẽ met 2. Epid. 1. tex. 2. Sudores in principio apparentes, morbum iudicatu difficilem ſignificare, ſcripſit, quippe criſes hę malę iudicari queũt, dum nulla coctionis ſigna manifeſta illuxerint. Natura enim in principio haud ſuperuacaneorũ humorum coctiones molita, vel à copia, vel à mala illorum qualitate, vel à morbi vehementia ad iudicium irritatur. At non ſolum in morborum principio, verum atq; in aſcenſu, & conſiſtentia morborũ praui ſudores, & exitiales obſeruantur in praxi, quando inualida natura nec in principio, nec in alijs morborum partibus talium ſuccorum coctionem præ debilitate moliri potuit. Hinc in augmento, vel in ſtatu ſigna contraria coctioni aſpiciuntur, ſucceduntq; iudicia pernicioſa, & lethalia. An autem ſudores in morbi principio crudo morbo erumpentes, aliquo pacto ſalutares dici queant; credo me longiſsimè in cap. de ſudor. in morb. princip. huic negotio ſatisfeciſſe.

In morbis pernicioſis,à ſymptomaticis ſudoribus exitiales excitantur criſes,modò perfectæ,quibus ægri ad interitum iudicantur:modò imperfectæ,è quibus in peius fit mutatio,tamen infirmi nõ ſubitò ſuccumbunt. Ratio omnium eſt, virium conditio,quæ ſi validæ fuerint, vtiq; acerrimè contra morbum pugnabunt: Hinc iteratis vicibus natura ipſa alioquin robuſta,cum cedere nequeat, pugnam cum morbo adire cogitur: propterea antequam interitus adueniat,nonnullæ criſes imperfectę contingere ſolet. At ſi vires inualidæ fuerint perfectas, & lethales,ad interitum cauſabunt: ſiquidem natura in prima pugna cum præ imbecillitate quicquam morbi alterare, ſeu concoquere nequeat:ſubitò morbo validioribus prædito viribus ſubijcitur. Signa tamen vtriuſque criſis eadem erunt,ſiquidem ambæ cum crudo morbo ſuſcitantur. In hoc autem differunt, perfectæ enim cum omnimoda cruditate: imperfectæ verò cum incœpta aliqua humorum coctione erumpunt. Hinc perfectæ in principijs morborum:imperfectæ autem in aſcenſibus, vel vltra illos plerunque ſuccedunt, quando aliqua coctionis ſigna apparere incipiunt,quę in huiuſmodi morbis ſtabilia non ſunt: quippe ad ſolitam cruditatem (licèt pluries reuertantur) redire ſolent. Mirum equidem non eſt,in lethali morbo naturã robuſtis viribus munitam aliquid contra morbum poſſe intendere, atq; aliquid alterare, quo fit, vt aliqua coctionis veſtigia, quamuis leuia,appareant, ſiquidem nec augmentum recipiunt,nec diù durant. Ecce modò quãtum exitij humorũ cruditas in pernicioſis morbis indicet:in his equidem corpora debilia ſubitò in prima pugna interitui parantur: robuſta verò licèt pluries cum morbo colluctentur, ex quo non ſemel, ſed bis,& pluries iudicia videntur,aucto tamen morbo,& viribus deſtitutis,potentiæ morboſæ finaliter ſuccumbunt.

Secunda ſymptomaticorũ ſudorum à die apparitionis ſumitur conditio, quippe hi vel in diebus intercalaribus, vel in iudicatorijs erumpunt,atque modo indicati,modò verò abſque indice criſim ſuſcitant. Differamus de omnibus. Vtiq; in morbis lethalibus veriſimile eſt maius commonſtrari periculum ex indice, quàm ſi nihil commõſtratum ante fuiſſet: ratio eſt, nam quemadmodum critici ſudores, & ſalutari indicari debent, ſiquidem illis conditio hæc ad augendã bonitatẽ neceſſaria eſt. A pari ipſi ſymptomatici,ſi etenim indicantur,augetur in ijs mali præſagium,& certitudo. Hoc videre eſt in Philiſco 1. Epidem. qui nigra vrina quarto die apparente,ſexto obijt. Sileno etiam, cui 4. & 7. mala ſigna apparuerunt, vndecimo acceſſit mors. Vxor Philini

20.

20. mortua eſt, mors tamen, & mala ſigna 14. & 17. fuere indicata. Videamus modò an in efficienda morte, ſeu præſagienda, decretorius dies, maiorem præſtet, quàm dies intercalaris certitudinem. Porrò à diebus iudicatorijs in lethalibus morbis magis, quàm à reliquis diebus certificamur. Ea enim, quæ præter naturam ſunt, tantò prauiora iudicantur, quãtò maiorem ordinem, legem, & modum ſeruauerint: ſiquidem arguunt maiorem cauſæ vim, & poteſtatem, quæ ſupra vires naturæ habet efficaciam, cum tenore, & modò naturam ordinatè ſuperandi. Itaque ſymptomaticos ſudores, ſi in aliquo dierum criticorum apparuerint, maius, quàm in alijs diebus afferre periculum, manifeſtatum eſt. Hinc iure ab Hipp. 3. Epidem. 3. tex. 65. appellantur ſudores non decretorij. Hos obſeruauit in Philiſco, qui in quinto ſudauit. In muliere, quæ in mendacio foro decumbebat, quæ ſeptimo ſub veſperum ſudauit, & in alijs, qui criſes ex ſudoribus in iudicatorijs diebus habuere: omnes tamen mortui ſunt.

Tertia conditio à rigore, vel horrore ſudores conſequentibus deſumitur: quippe ſudores ante has affectiones apparẽtes ſymptomatici eſſe conſueuere. Porrò in ſalutaribus morbis, ſudores à rigoribus ſuſcitari bonum eſſe diximus, idcirco in malignis prauum iudicamus, ſi poſt effuſos ſudores, horrores, vel rigores apparuerint. De his habemus in Coacis deſcriptum præſagium. Qui ſubinde ſudant, & rigent, lethale. & paulò poſt: Qui ſæpiùs inhorreſcunt, multumq; ſudant, ęgrè ſaneſcunt. Ratio adducitur ex Auic. 4. 2. 1. cap. 71. Horror, vel rigor ſignificat expanſionem humoris in corpore, quem ſudor antecedens haud excreuit, forſitan reſpectu copiæ, vel naturæ inobedientis. Hinc Hipp. 7. Aphor. 4. A ſudore fieri horrorem malũ aſſeruit: nec ſine cauſa, ſi enim vnde ſperatur rigoris, vel horroris deletio, horror, vel rigor ſequatur, vtique malum eſt arguendum: nam ex ſudore maximè horroris, vel rigoris abolitionem ſperamus: ſiquidem ſudore, euacuari humores, qui has affectiones ſuſcitare valent, pręſupponimus: propterea ſi poſt illum horror, vel rigor conſequitur, prauitatem, & morbi malitiam indicamus.

Rigor, & horror magnitudine, loco, & cauſa diffident. Rigor enim vehementior eſt horrore, at horror peior illo: ſiquidem à duplici materia conſtare ſolet. Rigor eſt affectus totius corporis: horror verò ſolius cutis. Rigor vel à materia calida, vel frigida per ſenſiles corporis partes delata efficitur. Horror verò à miſcela vtriuſque per cutim expanſa ſuſcitatur: proinde videtur eſſe medius inter frigus, & rigorem,

& eſſe proprius compoſitarum febrium. Iſtæ affectiones vidẽtur cum ſudore quandam habere cognationem, quemadmodum calidum, & frigidum, in eo, quod alterum alteri ſuccedit: ita voluit Hipp. in lib. de veteri Medicina. In febre enim poſt frigus ſequitur calor, & poſt calorem frigus. A pari poſt horrorem, vel rigorem ſudor conſequi in febribus conſueuit, & poſt ſudorem ſæpè horror, vel rigor ſuccedit. At ſi ſudor hos affectus conſequitur, bonus eſſe poteſt: ſecus verò malus: præſagium enim (poſt ſudores, horrores, vel rigores fieri) vitioſæ euacuationis præcedentis, vel infidæ criſis factæ iudicatur.

Malignitas horroris, vel rigoris poſt ſudores ſuccedentium ab affectus eſsẽtia iudicatur: ſi enim morbus paruus eſt, vbi alterutra affectio apparet, parua erit malignitas: ſi magnus, magna: propterea in febre intermittente minus malũ, maius verò in cõtinua prçſagimus. At quia rigores, vel horrores in cõtinuis febribus, ſudoribus ſuccedentes, modò in actu ſudoris, modò eadẽ die, poſt ſudorẽ, modò verò poſt duos, vel tres dies eueniũt. Idcirco animaduertendũ eſt, has temporis differentias ſemper malũ indicare: peius tamẽ præſagiet alterutra affectio, ſi poſt aliquot dies, quã ſi eodem die ſudoris apparuerit. Verùm eodẽ die ſi alterutra ſuccedet, malum valde indicabit, ſiquidem horror, vel rigor poſt ſudorem excitatus à virtutis imbecillitate integram criſim facere nequeuntis inſurgit. Hinc affectiones has, vt mala ſigna in huiuſmodi caſibus reputamus: quo fit, vt antecedentes ſudores etiam malos, & ſymptomaticos iudicemus, eo quia à viriũ imbecillitate, atq; à redundantium copia, qui nequeunt à natura regulari, ſuſcitantur.

Quarta conditio in ſudoribus ſymptomaticis ab excretionis ſubſtãtia carpitur. Sunt enim aliqui craſſi, & aliqui tenues: Craſſi vel fiunt à colliquatione partium corporis; vel à crudis, lentis, & craſſis humoribus. Craſſi à colliquatione in febribus colliquatiuis erumpunt, & Diaphoretici vocantur, vt inferius loquemur. Febres colliquatiuæ eæ dicũtur in quibus ſolidç partes, vel earũ alimentũ ſenſibiliter eliquatur, aut inſenſibiliter diſſoluitur, quæ autẽ ſint partes huiuſmodi, aliàs declarauimus. In præſentiarũ verò duo eſſe in corpore noſtro, quç principaliter colliquationem recipiunt, pinguedinem ſcilicet, & carnem, ſupponendũ eſt: at vnus eſt calor, qui colliquationẽ facit, igneus tamẽ, qui quãdo eſt intenſior, carnẽ eliquat: moderatior verò adipes, & pinguedines, quia eliquabiliores ſunt. Totũ hoc à Gal. docemur 3. Epid. 3. comm. 71. vbi inquit: Nam calor eſt feruentiſſimus, qui carnem fudit: moderatior, qui pinguedinem, nempe fuſa omnes putant Medici, quç

aluo

aluo exeunt, à pinguibus deiectionibus diſtare, in peſte quidem longiſſima noſtræ ætatis colliquati, prope aliquid omnes excreuerunt, quidam mera aduſta, quidam moderatiùs, omnes tamen putridæ.

Colliquationes hæ in huiuſmodi febribus, modò per vrinas, modò per aluũ, modò per ſudores ſenſibiliter excernuntur: hi omniũ peſſimi iudicantur, nã ex diſſolutione naturæ, & reſolutione proprij alimenti fiunt. Craſſi verò ab humoribus lentis, & craſſis adorti, quãdo abſq; coctione erũpunt, mali perpetuò exiſtimantur. Equidẽ ſi in debili ſuccedunt corpore, facillimè ad exitiũ naturã diſponunt: ipſa etenim longo indiget ſpatio ad copiã illorũ alterandam, & concoquendam. Idcirco in mitioribus morbis longitudinem morbi præſagiunt: in acutis verò exitium, eo quia mole, & copia illorũ natura grauata, cùm præ debilitate nequeat alterare; & morbũ ſuperare, neceſſariò ſuccũbit. Quapropter ſudores craſſi tã à colliquatione, quã à crudis humoribus abſq; coctione facti, pernicioſi eſſe poſſũt. Tenues æquè pernicioſi eſſe queũt: fiunt enim vel à calore febrili, & vehemẽti, vel à naturali, ſed debili, & defectiuo. A febrili extenuari ſolẽt humores, atque extrahi per cutim. Gal. 2. Progn. tenuiores fieri humores docuit, cũ ab inflãmatione detinẽtur. Ideo tales in febribus malignis, adurentibus, & ſymptomaticis videri ſolẽt, in quibus incẽdiũ in viſceribus ſentitur: quod ſi calor vehemẽtior fit, non ſolũ ex humorũ extenuatione ſudores tenues cauſare poterit, verum atq; craſſos ex partiũ ſolidarum, quas inuadit colliquatione. A diminuto naturali calore fiunt etiã ſudores tenues, læſę commutatricis, ſeu cõcoctricis facultatis ratione; quę quãdo à ſcopo aberrat, humores generat tenues, qui ſi per cutim excernuntur, tenues ſuſcitant ſudores: inter quos maximi erunt periculi ij, qui, teſtimonio Ariſt. 3. de part. animal. c. 5. à tenuitate, & aquoſitate ſanguinis oriuntur: vnde dicti ſunt ſudores cruenti, ſeu ſanguinei, vt in cap. proprio differuimus. Craſſi ergo, vel tenues, dum à morbi potẽtia procedunt, vel à languida natura ſymptomatici, & pernicioſi eſſe conſueuere.

Quinta conditio à ſudoris quãtitate reſultat. Quippe ſymptomatici vel ſunt multi, copioſi, aſſidui, & continui, non conferentes: vel pauci, & defectiui. Multi in febribus (omnium iudicio) ſi neque à tenuitate excrementi, nec corporis raritate fiunt, humorũ copia denotant: hinc ſi critici, ſeu iudicantes non fuerint, perpetuò mali iudicãtur, eo quod natura in ſuperanda, & concoquenda illorum multitudine, longo indiget tempore: ideo factum eſt, vt in ijs Medici contemplantes ſine ſignis coctionis hos erumpere, vel mortem, vel morbi longitudinem,

labores,

labores,& recidiuas minari affirment. In acutis autem hi quaſi perpetuò mortem præſagiunt: ſiquidem natura haud habet inducias pro ſuperanda copia, ſed ex affectus vehementia breui extinguitur: propterea modò vocantur inutiles, vt habemus in Prorrhet. modò verò nocentes, vt Hipp. 1. Epid. Sudores multi his tantũ aberat, vt recrearent, vt etiam contra læderent. Quòd ſi nõ ſolùm multi, verum atq; copioſi fuerint, vtiq; peſſimi, & pernicioſi reputãtur, & eo maximè ſi in acutis febribus videntur. Si enim copioſi, ex Gal. 3. de ſympt. cau. cap. 2. aut propter corporis raritatem, aut excremẽti copiam, aut propter eius, quod vacuatur, tenuitatem fiunt: quando tales crudo morbo erumpũt, ex inſigni humorum copia, & à languidiſſima natura ſuſcitari neceſſe eſt: idcirco cùm inuincibilem excrementorũ copiam, atq; ſummã virium imbecillitatẽ arguant, proculdubio exitium perpetuò cõmonſtrant. In confinio iſtorum ij ſunt, qui non copioſi, ſed aſſidui, & continui exiſtunt, vt plurimum enim exitiales, nãq; vel à corporis raritate, vel à virium imbecillitate proueniunt. Raritatem autem corporis in acutis morbis à diſſipata retẽtrice fieri cognoſcimus: quapropter aſſidui ſudores in reſoluto corporis habitu, atq; in ſyncopizantibus fieri conſueuere. Sed ſi huiuſmodi ſudores pernicioſi iudicantur, haud minoris periculi exiſtimantur qui aſſidui, & copioſi ſunt: ſiquidem in acutis, quando iudicatorij, non exiſtunt, inutiles habentur, & plerunque lethales ſi vnà cum virium languore erumpunt. Hipp. mentionem de ijs fecit in obſeruatione Eraſini 1. Epidem. quando dicebat: Habebat hic febrem perpetuò cum ſudore. Et in Prenetico: Virulenta vomuit, febris horrida copioſus ſudor, aſſiduus toto corpore. Mali ergo ſunt, & pernicioſi tum multi, tum copioſi, & aſſidui ſudores, ſi per viam ſymptomatis, & in acutis ſuccedunt. Moderati verò, qui non liberant ægrum, exiſtunt, non æquè ſuſpecti: ſiquidem ij in huiuſmodi morbis diuturnitatis tantum præſagium eſſe valuere.

Sudores aſſidui in ſudorificis febribus apparent: de quibus Hipp. 7. Epid. tex. 1. dicebat: Poſt Canem febres fiebant ſudorificæ. Copioſi, & aſſidui viſi ſunt in febribus illis ſudorificis, & peſtilentialibus, quæ anno 1486. in Anglia populariter graſſari cœperunt: quibus correpti ſtomachi, & capitis æſtuoſo cruciabantur dolore, & toto corpore ſudorem fœtidum effundentes, intra viginti quatuor horas animo deficiebant, & moriebantur, vt Polydorus Virgilius in Chronicis Angliæ ſcriptum reliquit. Hæc lues, quæ Hydronoſa à præſtantiſſimis Medicis vocata fuit, poſt tot orbis tumultus, poſt bella, cædes, & rerum

cari-

carítatem,& annonam,anno 1529. ex Anglia in Noruegos,Danos,& ad alias regiones tranſlata eſt. Differebant tamen hæ à ſudorificis febribus ab Hippoc.obſeruatis 7.Epidem.Anglicæ enim ita peracutæ, malignæ,& contagioſę erant, vt vnico paroxiſmo vel ad ſalutem, vel ad mortem terminarētur. Imò in quibuſdam in quinque horis,in alijs in decē,aut duodecim morbus iudicabatur. Hoc adnotarunt Ioannes Tyengius,& Liuinus Sandeſius Gaudentius, Medici; & inter hiſtoricos Mambrinus Roſſeus in par. 3. hiſt. ex Tarcagn. & Gemma Coſmocrit.lib.1. cap.8. ſiquidem nemo ad horas 24. peruenit. Quæ verò ab Hipp.narrantur,erant febres iudicatu difficiles,& non valde ſiticuloſæ:paucis in 7.& 9.deſinebant:alijs 11.14.& 17.finiebant.

Ex humorum copia perpetuus eſt ſudor in febribus, quas Typhodes, Aſſodes, Helodes, ſiue ſudorificas appellamus. Hę ex genere illarum febrium ſymptomaticarum ſunt, quæ internas inflammationes, (teſte Hollerio lib.2.) conſequuntur. In ægrorū viſceribus,vel phlegmone, vel eriſipelas generatur : proinde ſuccedunt febres Phlegmonodes dictæ, & Typhodes. Ab Angina,Phrenitide,Peripneumonia, Phtiſi,Pleuritide,Hepate, Splenitide, & Nephritide febris fit Phlegmonodes: ab Eriſipelate verò Typhodes. Aetius verò ſymptomaticas febres,quę fiunt in viſceribus ex Eriſipelate hoc modo diſtinguit: Si Eriſipelas fuerit in ventriculo, oritur febris Lyppiria : ſi in hepate Typhodes: ſi verò in pulmone Crymodes. Datur & aliud febris ſymptomaticæ genus,quam Fernelius lentam vocat.Oritur hæc non è viſceris,partiſue inflammatione:ſed è latente obſtructione,& putredine viſceri admodum impacta. Simulat hæc motus ſymptomaticæ febris, tum eius, quæ Phlegmonodes, tum quæ Typhodes eſt, varijs tamen ſeiungitur ſignis, vt Petrus Foreſtus lib. 6.obſeruat.in ſchol.37.adnotauit. Videntur etiam aſſidui ſudores in febribus cardiacis:at nō ſemper ab humorum copia,ſed potius à reſoluto corporis habitu,à retentrice labefactata, & à viribus deperditis, quemadmodum in febribus ſyncopalibus, in animi deliquijs,in iliacis,coliciſue doloribus,& corporis alijs cruciatibus,& colliquationibus obſeruamus.

Veniamus modò ad ſudores paucos, qui haud minora pericula,quā multi prenūciare ſolent. Hos Auic.multa ſignificare voluit in morbis, obſtructionem nimirum cutis,humorum craſſitiem,expulſtricis debilitatem,paruitatem digeſtionis,ventris mollitiem,& fluxum.Galenus verò 3.de cau.ſympt.2.de ijs ita dicebat: Pauci fiunt ſudores,cùm ſcilicet vel quod ſuperfluit, exiguum eſt,vel glutinoſum,vel craſſum, vel

meatus

meatus ſunt anguſti. Accidit autem id vel obſtructionis occaſione, vel conniuentiæ: ac obſtruuntur quidem craſſis, & glutinoſis ſuccis. Conniuent, ſiue contrahunt ora propter atrophiam, vel refrigerationem, vel mollitiem. In 2. de ſanit. tuen. cap. 12. ſudores paucos voluit denotare corpus nimium exiccari, digeri, atq; conſumi: hic autem de exercitatione, & non de morbis principaliter loquitur: de his in cap. de ſudore pauco fuſius nos diſſeruimus.

Sudores pauci in morbis, in acutis autem potiſſimũ ſi nullis conſpectis coctionis notis eruperint (quemadmodũ cũctæ excretiones ſymptomaticæ fieri ſolent) perpetuò ſuſpecti ſunt. Hi ſi in die decretorio apparebunt, naturę debilitatẽ in humorum expulſione, forſitan impeditæ à craſſitie, vel lentore humorum, ſeu à meatibus anguſtis, indicabunt. In alijs verò diebus extra decretorios tantum abeſt, vt boni ſint, vt potius praui, quippe ex irritamento apparent, & extra naturæ ordines ſuſcitantur. At à copia tantùm craſſorum, & lentorũ humorũ eos fieri noſcimus, quando cutaneus habitus nec atrophia fuerit contractus, nec multum refrigeratus, aut emollitus, & meatus nõ fuerint obſtructi, quo tempore natura ſi vires ſortita fuerit imbecilles, pauci ſudores erumpentes, mortem denotabunt. Profectò ex ſudorũ paucitate, naturam moliri ſuccorum expulſionem: non poſſe tamẽ excernere, niſi tenuiorem ipſorum partem cognoſcimus. Conſimiles ſunt intercepti ſudores, ſeu diminutæ exudationes, de quibus Gal. 1. Prorrhet. dicebat: Sudores quoque, qui cęperũt, ſed protinus ceſſauerunt, praui ſunt. Et Hipp. in Coacis: Quibus non intermittit febris, frequens exſudatio, cũ hypocondrij tenſione, vt plurimum malignus eſt morbus. Omnis enim euacuatio, quę incipit quidem, ſed protinus ceſſat, praua eſt; ſiquidem melius eſſet nihil moliri naturam (modò non ſit extincta, ſed quoniam ſit maximè coctioni intenta) quàm inutiliter ex morboſæ materiæ irritamento ſtimulatam aggredi excretionem. Quare paucus ſudor, modò non ſit cum magno virium robore, perpetuò malus eſt. Eſt enim iudicatorius, non iudicans, & præſagit vel naturam minimè humorum copiam ferre poſſe, vel partium robur vehementer diſſolui, atque inde ſudorem effluere.

At occaſio inſurgit, vt de pauco illo ſudore ſcribamus, quem Gręci epidroſin appellant. Fernelius autem madorem. Nos verò modò deſudationem, modò gręco vocabulo ſudorem diaphoreticum. Hic profectò omniũ peſſimus eſt, & maximè exitialis. Dicimus diaphoreticũ, pronunciantes ex hoc corporis digeſtionem, ſeu euaporationem:

dia-

diaphoreſin græcè, Latini digeſtionem, ſeu euaporationem vocant, vt Gal. 13. method. med. c. 16. adnotauit. Hinc diaphoretica dicta ſunt, quæ per halitum digerunt, vt habemus 5. ſimpl. med. facult. c. 5. Hinc etiam emplaſtra quædam, diaphoretica vocãtur à vi diſcutiendi: nam, teſte Gal. 6. de compoſ. med. facult. c. 13. extrahendi, & digerendi facultatem habere videntur. Hinc in ægris modò à toto corpore, modò circa extrema, plerunq; circa caput, ceruicem, collum, pectus erũpit: propterea Gal. 3. Prorrhet. de hoc dicebat, ἐφιδρῶσιν, ideſt deſudationem iam ſæpius quidem in hoc ſcripſit libro; ſed nunquam ita lucidè cognoſcamus, nunquid ſudores circum thoracem, caputq; apparẽtes, ita appellet, an eos, qui toto emanat corpore, vbi tum pauci, tum nihil conferentes ſint: prauum autem vtrũq; horũ eſt; deterius autem, quod in ſuperis fit partibus: nempe cum omnis deſudatio demonſtret, vel copiam in ſudantibus partibus, vel facultatis retentricis imbecillitatẽ, vtrumq; eorum in locis, tum thoracis, tum capitis fuerit, deterius eſt ſignum, quàm ſi in alia quapiam parte fuerit. Hæc Galenus.

Originem habent huiuſmodi deſudationes à languida natura, quando adeò deuicta eſt, vt nec humores, nec humiditates alimẽtales retinere queat: propterea tales plerunque apparent, dùm illa aut maximoperè opprimitur, aut diſſoluitur: tunc enim ſudor à reſolutione proprij, vltimiq; alimenti ſolidarum partium, aut earundem colliquatione, & naturæ diſſolutione efficitur. Credendumq; profecto eſt multa vi, multoq; labore, & longa expreſſione prodire: proinde pernicialem iudicamus; quemadmodũ eos eſſe declarauimus, qui antè acceſſiones expreſſi effluunt, vt in cap. de ſudore in morborum principio à nobis diſputatum eſt. Si ergo diaphoreticus ſudor à naturæ languore deriuatur veriſimile eſt in ijs morbis contingere, in quibus maximè natura affligitur, & anguſtiatur. In quo propoſito Garioponthus Medicus antiquiſſimus dicebat: Diaphoreticos multi cardiacos appellãt, quos ita cognoſces, vt cœperint nimijs, & acerrimis agitari febribus, ſudorem patiuntur incongruum, & non criticum, ex quo vehementi periculo vrgentur; qui ſudor tanquam ſymptoma appellatur. Verùm Galenus apertiùs in lib. de tremore, palpit. & conuulſ. c. 5. de diaphoreticis loquutus eſt. At ſi per ſudorem digeſti fiant tremuli, vt in deliquijs, cardiacis, & ſtomachichis, calefacere hos extremum malum eſt: quippe contrarium in his con uenit, nempe cutem denſare, &c.

At textus hic videtur quodãmodo diuerſus à 3. Prorrhet. com. 33. vbi Gal. duo ſuppoſuit, dum omnem deſudationem, vel copiam in ſu-

dantibus partibus,vel facultatis retentricis imbecillitatem demõſtrare probauit:hic verò vnum tantum. Omittit enim copiã in ſudantibus partibus, & dum exemplificat in deliquijs, cardiacis,& ſtomachichis, in quibus plerunque deſudationes à reſolutione naturę difflant:retentricis facultatis languorẽ,ſolum eſſe cauſam ſudoris diaphoretici pręſupponit. Equidẽ dubitatio hæc maximi eſt momenti;idcircò,vt Gal. ipſum conciliemus, ſciendum volo, ſudorem diaphoreticum propriè fieri à diſſolutione naturæ, à colliquatione, ſeu reſolutione proprij alimenti,quo fit vt facultas retentrix fiat imbecillis,& vires languidę, & vltimò exitium ſuccedat. Diaphoreſin enim Latini digeſtionẽ, ſeu reſolutionem vocãt,vt diximus. Propterea ſudor hic meritò à multis colliquatiuus vocatur, nam naturã, & partes ſolidas reſoluit: inde ex difflatione humiditatũ alimentalium in acutis morbis mortem,in diuturnis verò tabitudinem,ſeu marcorem pręſagimus. Quare Gal.in lib. de tremore,palpit.& conuulſ. ſudorem verè diaphoreticum conſiderauit,quod teſtatus eſt per illud:Si digeſti fiant.In Prorrhet.verò accepit deſudationem pro cõmuni vocabulo,& diaphoretico,& pauco ſudori,qui in ſudantibus partibus à copia humorũ prouenit: ſiquidẽ hic ęquè pernicialis eſſe poteſt. Dum enim natura ab humorum mole,vel eorundem opprimitur multitudine, aut cõtumacia,vt imbecillior facta,nõ poſſit eos exactè propellere: vtiq; irritus eſt eius conatus,nam ſubtiliores illorũ partes,tantùm excernere poterit,quæ nõ ſatis erunt morbo ſoluendo: quo tẽpore ſi vires robuſtæ fuerint,morbi longitudinem promittunt: ſin verò debiles,atq; acutus fuerit affectus,mortẽ: ſiquidem natura ab illa humorũ copia,quos concoquere nequit,ſuffocari poterit. Idcirco Galenus comparans vtriuſq; ſudoris perniciem, ambos docuit in Prorrhet.in thorace, & capite, ob partium,quæ afficiuntur dignitatem deteriores eſſe, quàm ſi in alia parte effluxerint: & ſic non reſtat dubium in eius dictis.

Diaphoretici ſudores à deſudationibus,quæ ab humorum multitudine procedunt,varijs notis diſtinguuntur.Hi enim quia fiunt à facultate retentrice debili in febribus nõ ſtatim à principio (in quo par eſt, vires,& facultates haud eſſe imbecilles,licèt à copia premantur) erũpunt. Equidem poſt temporis ſuſcitantur interualla,quãdo natura laboribus, & vehementia affectus defatigata, cùm nequiuerit morbum ſuperare, deiectari incipit, & emori: inde facultas retentrix habenas laxat,& humores etiam vtiles excerni ſinit. At Mercatus doctiſſimus tom.1.in c.de cau.morb.incidens in hoc quæſitum,ſudores diaphore-

ticos

ticos à particulari natura caloris fieri inſinuat. Sic & ſudorem diaphoreticum ait, & colliquantes fluxus mouet, calor adeò paruus, vt vix ſui notitiam præſtet: ſed in adeo ſubtili, & tenui ſubſtantia ſitus, vt facilè ſeſe vbiq; inſinuet, & prædicta mala efficiat, igneam, acrem, & peſtilẽtem, atq; vſtiuam conditionem nactus, cum ſumma tenuitate, quæ notitiam caloris obſcuret. Cuius opinio adaptari tantum poteſt in ſudore diaphoretico ex colliquatione partium ſolidarum adorto, ex qua natura diſſoluitur. Nam ſi omnes huiuſmodi ſudoris cauſas recenſere volumus, quia, vt diximus à prelanguida natura ſuſcitatur, alias preter caloris conditionem inueniemus. Mouetur enim hic ex immoderatis etiam euacuationibus, ſanguinis è naribus ſede, vel vtero ex ſuperfluis excretionibus factis ex aluo, vel vomitu, & ex alijs, ex internis, vel externis cauſis, quales ſunt dolores grauiſſimi, ſuffocationes, & ſtrangulationes generatis, è quibus natura facillimè imbecillitatur, & languescit: hinc humores vtiles, & alimentales retinere non valens, præ languore, & retẽtrice deperdita, per cutis meatus excerni facit, & ſudores diaphoreticos mouet. De his in 3. Prorrhet. 34. legitur: A profluuio ſanguinis è naribus, paucum ſudorem cum refrigeratione malum.

Conſimiles his ſudores exiſtũt, qui à morſibus venenatis, ex toxico, & venenis exhibitis oriuntur: ſiquidem ex his proſternitur virtus, & natura ipſa, & cordis calor corrumpitur: hinc pauci ſudores, & madores ex languore excitantur: de qua re vide Matthioli Commentaria ſuper lib. 4. Dioſcor. cap. 73. qui apparuiſſe diaphoreticum ſudorẽ narrat in fronte cuiuſdã latronis, cui erat propinatum nappellum: ita etiã Gal. ſcripſit 3. de loc. aff. Hoc etiam tetigit Marcellus Donatus lib. 6. de hiſt. mirab. c. 1. dum loquitur de nonnullis rabie infectis, qui per digeſtionem exſudant. Hic auctor rabiem à principijs, nullo præcedente contagio generari poſſe contendit: ſupponens in humano corpore humores aliquando tales generari poſſe, qui rabidi canis venenum æmulentur. Sed hæc alia inquiſitione indigent.

Multæ itaq; cauſæ ſunt, à quibus diaphoretici ſudores fiunt. At in febribus adurentibus, peſtiferis, & colliquatiuis à vi, & acredine caloris excitantur: quando ex colliquatione adipis, membrorum, & viſcerum erumpunt: in ijs equidem humores in halitũ diſſoluuntur, & corpus reſoluitur vniuerſum. Hi ſudores plerunq; circa frontẽ, ceruicem, collum, aut pectus, aut circa extrema effluunt: ſunt exigui non augeſcentes, rarò calidi, vt plurimum ſubfrigidi, adſuntque in eorum ortu multa ſigna, quæ naturam languidam declarant. Hæc ſunt pulſus pre-

languidi, vires infirmi debiles, facultatum potentiæ naturalium penè emortuæ,& alia. In ijs verò,quæ ab humorum copia, inter alia,multitudinis ſigna eluceſcunt. Sed de his ſatis.

Sexta conditio circa ſudorum qualitates ventilatur: quippe innoteſcunt viſu,auditu,odoratu,guſtu, & tactu, è quibus ſenſibiles qualitates deriuantur, quæ nobis eorum pericula ſæpiſſimè præſagiunt. Incipiamus à qualitate tãgibili, è qua calidi,& frigidi ſudores veniũt. Hi quandocunq; ſuccedunt crudo morbo, & abſque ſignis coctionis, perpetuò mali iudicantur: peiores tamen frigidi, quàm calidi. De his Hipp.4.Aphor.ita loquitur: Sudor multus calidus,vel frigidus ſuperfluens,frigidus grauiorem,calidus verò minorem morbum ſignificat. Propterea auctor Prorrhet. nam horum vterq; nec febrem ſoluit,nec alleuat ambos in acutis eſſe inutiles decretauit. Calidi ſudores,quãdo boni exiſtimantur ex coctione eorum materiæ, & ab innato calore dicuntur calefieri, quo fit vt ſub naturæ tutela adeſſe conſtituantur. Secus verò cum mali exiſtunt: erumpunt enim humoribus crudis, & ſine notis coctionis, hinc malitiam arguunt,nam à calore febrili calefieri dicuntur,& à morbo ſuſcitari. At licèt à feruore ignei caloris ferueſcant, minoris tamen ſunt periculi ipſis frigidis: ratio eſt,nam frigidorum materia tantæ eſt contumaciẹ,vt nec à natiuo, ne à febrili calore calefiat. Quapropter Hipp.volens frigidorũ ſudorũ malitiã patefacere in cit.lib.dicebat: Frigidos ſudores cũ acuta quidem febre mortem, cum mitiori verò longitudinem morbi ſignificare. Hinc Galen. in comm.innuit hæc: Cùm ergo hæc aliquando duo contingerint humores, qui ſunt in vaſis putreſcere, vt eam, quæ ſolida corpora regit naturam(quæ ſecundùm Hippocratẽ,eſt calor naturalis)vel extingui omninò, vel proximam eſſe extinctioni, quæ quidem ex his euacuantur,frigida ſentiuntur: eam verò, quæ fit ex putredine caliditatẽ nihil prohibet vehementiſſimam eſſe: atq; ideo ſignum exitiale oſtendens in animalis corpore humorum multitudinem ſuperabundare, tantam habentium frigiditatem,vt neque à calore natiuo,neque à febrili calefiãt. At Ludouicus Mercatus tom.1.in cap.de ſignis ſalutis,& mortis ex vitio facultatis naturalis, alterius videtur eſſe ſententiæ, dum ait: Ego tamen arbitror nõ fieri ob hanc rationem huiuſmodi ſudores lethales: quia rarò acuti morbi ex humore adeo frigido,& denſo, atque incoctibili efficiuntur: ſed à vi, & natura partium ſolidarum emortua, & calore naturali deſtituta, vnde ſeroſi humores à febre liquati,& fuſi,cutemq; petentes,non ſatis calefieri poſſunt, ob reuocatum calorẽ,

ex

ex vi caloris febrilis intus feruentis, quo extremę partes refrigeſcunt, & talis ſudor efficitur, indicans emortuum calorem innatum, & extremum eius interitum, ac victoriã extranei, ac febrilis, quod certiſſimæ, ac citiſſimæ mortis indicium eſt. Sed dormitat quandoque bonus Homerus: nam, vt Mercatus ſuæ conſequatur opinionis intẽtum, neceſſe habuit frigidorum ſudorum tempus diſtinguere. Hi equidẽ ſi in principio, vel paulò poſt, morborũ erumpunt, ex frigidorũ humorum copia, à natura haud euicta poſſunt euocari, tunc enim veriſimile eſt illorum poſſe multitudinẽ redundare, quæ adeo frigida eſſe poteſt, vt ex eius contumacia, nec à naturali, nec à febrili calore calefieri poſſit; quod ita Gal. potuit conſiderare: & eo magis, quia tunc calor natiuus quaſi obrutus ex illorum copia tunc eſſe creditur. Tranſacto autem principio, ſeu aſcenſu ſi in morborum cõſiſtentia, vel paulò ante tales eruperint, nemini dubium eſſe credo Mercati doctiſſimi opinionem præualere. Tunc etenim natura laboribus defeſſa, & ex mole, & humorum copia incocta obruta, & reſoluta emoritur naturali calore deſtituta, & ſudores frigidos, quaſi mortuos ſuſcitat, tanquam indicia ſui exitij. Poſſet & alio medio quæſtio reſolui, ſudores frigidos in acutis, cum viribus debilibus ex natura emortua prouenire, caloreq; naturali proximè extinctioni, vel extincto: cum robuſtis verò ex cõtumacia crudorum humorum, qui calefactioni rebelles exiſtunt. Vtcunque tamen ſudores frigidi euenerint, perpetuò mali iudicantur, nam ex ſe pernicioſi ſunt: quapropter meritò ab Hippocrate in Progn. vocantur peſſimi, ſi fuerint in acutis: in mitioribus enim longitudinem præſagiunt. Confirmauit Hipp. in 3. Epidem. in poſtrema peſtilenti conſtitutione eorum malitiam, quando dicebat: Sudores intempeſtiui frigidi multi, perpetuò: multa frigiditas, vt vix calor reuocari poterat. Experimentum ſucceſſit in Philiſco, in vxore Dromedai, atque in alijs, qui frigido ſudore obiere.

Sudores hi in acutis modò ex toto corpore erumpunt, & copioſi: modò circa caput, collum, ceruicem, pectus, vel extrema exudant, & pauci: omnes exitioſi ſunt. At exitialiores exiſtimantur, qui pauci, & in extremis ſuſcitantur: ſiquidem mouentur à virium iactura: proinde ſudor hic iudicatorius eſt, non iudicans; arguit enim ſummam malitiam, & ſyncopim præſentem, vt mulieri in mendacio foro, & alteri ex abortiuo fœtu contigiſſe retulit Hippocr. 5. Epidem. Liquidò igitur cõſtat, frigidos ſudores in acutis exitiales eſſe, morteq; ferè perpetuò cõmonſtrare. At de eorũ malitia tunc certiores erimus,

quando

quando hi in aliquo dierum decretoriorum eruperint: vel cum ijs alia pernicioſa ſigna apparuerint. De his vide, quæ diximus lib. 2. in cap. de calido, & frigido ſudore.

A viſu veniunt conſiderandi ſudorum colores, è quibus eorũ naturam compenſamus, quippe Gal. 4. de ſanit. tuen. c. 4. colores ſudorum notam eſſe humorũ peccantium in corpore demõſtrauit: quapropter qualis fuerit ſudoris color, talẽ eſſe ſuccum in corpore abundantẽ eſt aſſerendũ. Si enim fuerit rubeus, ſudor vel à ſanguine, vel à bile rubea ſuſcitabitur, ac vterque erit malus: nam ſi à ſanguine, è vitiata hepatis natura, è vitioſo corporis habitu, vel eius debili contentrice: ſi verò à rubea bile, ex adurẽtibus febribus pernicioſis, & ex viſcerũ inflammationibus prodibit, quo fit, vt ex ambobus, timorem, & pericula acquiramus. At ſi admodũ flauus, luteus, ſeu vitellinus fuerit, ex bile, & eius ſpeciebus aduſtis, & putrefactis orietur, & proinde pernicioſus in acutis ſi ante criſim, & crudo morbo videri continget. Pernicioſior autẽ ſi porraceus, ſeu viridis, æruginoſus, aut cęruleus. Indicãt enim ſudores hi efferatũ morbum, & miſcelam prauorum humorum ex bilis differentijs, atq; putredinoſę pituitæ cum atro, & funeſto humore, è quibus exitium promittitur: ſiquidem quãtò plures humores fuerint, qui quantitate, & mala qualitate peccauerint, tanto morbus peior, & exitialior efficietur. Omnium tandem exitialiſſimi ſunt ſudores violares, plumbei, liuidi, & nigri, qui atræ bilis indicia ſunt. Hi ſi in morborum principio, vel abſq; ſignis coctionis in alijs temporibus apparuerint, exitium ineuitabile præſagiunt, quippe humor hic inſuperabilis eſt, & in corpore veneni naturam ſapit: proinde mortem citiſſimè procurat, cum furiens, & à vi morbi ſuſcitatur, vel per ſudorem, vel per aliam excretionem, vt Hipp. 4. Aphor. 21. 22. 23. 24.

A guſtu cognoſcuntur ſenſibiles ſudorum qualitates ex ſaporibus, quãdo ex infirmorum querimonijs cum in os defluunt, ſenſum, & eorum naturam intelligimus, & exinde coniecturamus præſagiũ. Profectò quanto ſudores ſenſibiliores in guſtu fuerint, tanto prauiores humores indicabunt, quando abſq; coctione eruperint, cũ coctione verò meliores. Quare ſudores ſi acuti, acres, atq; admodum amari fuerint, mali iudicantur: ſiquidem fiunt ex humoribus ſummè putridis, igneis, bilioſis, & calidis, quales in acutis, & ardentibus febribus oriri cõſueuere. Acidi, pontici, ſeu acerbi, vel humorum diuerſorũ cruditatẽ magnam arguunt, vel humoris melancholici, & acidæ pituitę miſcelam: propterea vel morbum longiſſimum, vel (ſi debilitas in ægris fuerit)

mortem.

mortem. Admodum ſalſi ſi in acutis cũ malis ſignis eruperint, mortis etiam erunt indicia. Aquei, & inſipidi frigidorum humorum copiam oſtendunt: hi in febribus mitioribus longitudinẽ morbi, in acutis verò cum viriũ imbecillitate, exitiũ, & eo citius ſi fuerint frigidi denũciant.

Ab Odoratu adnotantur ſudores, qui vel bene olentes, vel graueolentes eſſe cõſueuere: de his multa à nobis adducta ſunt in lib. 2. idcirco in pręſentiarũ ſatis ſit ſcire, ſudores bene olentes in morbis exiguã putredinem: inodoratos verò vel nullã, vel humores craſſos, & lentos adeſſe in corpore, qui morbi præſagiant longitudinem denotare. Graueolentes autem magnam arguere putredinem: propterea tales in grauibus morbis ſemper haberi ſuſpectos credibile eſt. Sub graueolentia, multi ſudores veniunt conſiderandi, vt fœtidi, marcidi, rancidi, terrei, oleracei, agreſtes, & alij. Hi omnes à diuerſis putredinis gradibus veniunt, & propterea exitioſi ſi in malignis morbis ante criſim, & non concocto morbo apparuerint. Hinc Gal. in lib. de diff. ſympt. c. 4. ſudorum grauitatem indicium putredinis in humoribus præſeferre monſtrauit. & 2. Progn. 22. ex deiectionũ graueolentia colliquatiuas febres ineſſe aperuit. Idcirco fœtidi ſudores, vel alterius mali odoris, (ex eo, quod connaſcantur à vehementi putredine, & potenti humorum corruptela, quæ niſi ſuperatur à natura, ineuitabile exitiũ prædicit) perpetuò abſq; ſignis coctionis erupti, malignitatẽ affectus præſagiunt. In peſte, & febribus peſtilentibus (quia has continuò intenſę humorũ putredines, & ſummæ corruptelæ comitantur) ſudores fœtentes, & graueolentes ſentiũtur. Ita innuit Franciſcus Thomaſius in ſuo tract. de peſte: ita Alphanus, Ingraſſia, & alij. Sic erant ſudores illi Anglici peſtilentes, quemadmodũ Foreſtus lib. 7. obſer. ſchol. 27. adnotauit. Propterea timendi ſunt tales ſudores in continuis febribus, nam ex ingenti gradu putredinis, ſæpiſſimè non regulati à natura, mortem prædicunt. In alijs verò morbis, quid ſudores hi oſtendant, in leproſis nimirum, ſcabioſis, &c. vide quę lib. 2. attulimus: ibi etiam adnotantur ſudorum præſagia ex auditu deſumpta:

Septima conditio circa ſudoris loca verſatur: ſiquidem vel à toto, vel à parte corporis effluũt. Dicebamus in criticis optimos illos eſſe, qui à toto corpore fluebãt: quo motu Medicis coniectura reſultat de fortitudine, & potentia naturæ: quippe dum illa robuſta eſt, atq; minimè oppreſſa à morbi viribus, ęqualiter à cunctis corporis partibus humores calore extenuatos excernit. Dum verò vel morbi vehementia, vel internis ardoribus, aut ſuperuacaneorum ſuccorũ copia turbatur,

tanquam inualida nequit æquè mouere humores, ſed vel per aliquas particulas diffundit, vel ſi à toto non niſi ex maxima imbecillitate, & ex virium proſtratione, aut à maximo irritamento, quo cogitur ante tempus adire criſim, ad excretionem inducitur: propterea ambo hi ſudores mali, & ſymptomatici abſq; dubio iudicantur. Si enim à toto ex irritamento, tanquã intempeſtiui, & non excreti ex humoribus coctis vtiles eſſe nequeunt. Si à virium languore peiores declarantur: nam à retentrice offenſa procedunt. Si autem non à toto, ſed aut ex capite, aut thorace, ceruice, collo, aut alijs extremis partibus effluunt, equidẽ peſſimi ſunt in morbis acutis; in mitioribus verò lõgitudinem morbi, & varia pericula præſagiunt. Cur autem ſudor in fronte, capite, vel ceruice in acutis peior, quàm in alijs partibus iudicetur, aliàs diſcuſſũ eſt. De his dicebat Hipp. 1. Epid. Sudabant quidẽ ſemper, ſed non toto corpore. Et paulò poſt: *Paululum in fronte, & clauiculis exudabant, ſed nemo per totum corpus*: per hæc profectò volebat Hipp. maximã illorũ malitiam patefacere. Hinc Gal. 3. Prorrhet. com. 33. horum ſudorum malignitatis volens reddere cauſam, omnem deſudationẽ docuit, circa frontem, ceruicem, vel collum, aut clauiculas erumpẽtem, aut facultatis retentricis imbecillitatem, aut copiã humorum ſignificare. Verùm de eorũ pernicie tunc certiores erimus, cùm illi frigidi fuerint: quippè hi præſentem ſyncopim, calidi verò futuram indicant. At ambo in acutis pernicioſi exiſtimantur, nam & mortẽ pronunciãt: ſecus verò in affectu mitiori, in quo morbi longitudinẽ ſignificare autumant: ſed perperã locus hic haud eſt intelligẽdus: ſiquidem ſudores in hiſce partibus in febribus mitioribus, ſi cũ virium imbecillitate fiẽt, periculo non vacabunt: quippe fortitudo opus eſt, vt morbũ ſufferre poſſit, in quo caſu longitudinẽ morbi præſagimus: idcirco cũ imbecillitate exitium, & morbi irritationem dubitamus: imbecillitas enim virium in cunctis quippe morbis ſuſpecta eſt, quo fit vt cũ alio pernicioſo comitata ſigno, ferè perpetuò exitium præſagiat in acutis, & eo citiùs quãto ſignum erit pernicioſius. Hac ratione in ſuppuratis, quales ſunt Pleuritici, Peripneumonici, Pthyſici, &c. Sudores in fronte, thorace, clauiculis, capite, vel collo, cũ virium languore exitiales iudicantur: & eo certiùs ſi frigidi fuerint. Exudant enim hi facultate retẽtrice penè emortua, quæ humores, & humiditates nutrimẽtales amplius continere nequit. In alijs verò ex iſtis effluũt partibus, eo quod facultas ipſa extinguitur, priuſquã humorum valeat multitudinẽ alterare. Ideo ſudores in extremis viſi partibus in acutis potiſſimum inſidioſi, & exi-

& exitiales reputantur. Clarum eſt hoc apud Hipp. in hiſtoria Pithionis, mulieris, quæ in foro mendacium decumbebat, Menonis, & aliorum, qui erant moribundi. In moderatioribus affectibus etiam mali exiſtunt: nam ſi longitudinem morbi præſagiunt, naturam temporis interuallis poſſe ceſpitare etiam prædicunt.

Octaua cõditio circa opera, & fines ſudoris verſatur: Quippe infirmi poſt ſudores ſymptomaticos non ſolum à febribus non ſoluuntur, ſed neq; alleuari ſentiũt, quo fit vt clariſſimè huiuſmodi euacuationes noſcamus, vel ex humoribus crudis, & à natura minimè alteratis fieri, vel ex ſuccis non peccantibus, id quod peius eſt. Propterea in his pulſus fiunt languidiores, & natura imbecillior, eo quia inutilẽ, & perniciosam criſim procurat. Galenus 1. Prorrhet. com. 35. illos malos eſſe ſudores pronunciauit, à quibus ægri nedum nihil leuantur, ſed vel etiã læduntur. Hippocrates verò clariùs de his 1. Progn. loquutus eſt: ſiquidem ſtatuit, ſudores, qui neq; febrem ſoluunt, neq; faciunt vt ægri faciliùs ferant morbum, eſſe inutiles, atq; malos: nam aut morbum lõgum, aut exitialem oſtendunt. Hinc 7. Epid. 1. quaſdã febres aſſeruit poſt ſudores haud refrigeratas, ſed potius cõcalefactas fuiſſe, ex qua ratione in conſtitutione illa, longæ, & iudicatu difficiles ſuccedebant. Non enim ex ſudoribus cauſa morbifica euacuabatur, quemadmodũ à ſimili lib. 1. Prorrhet. 7. capere poſſumus, vbi ſic ſcribitur: Qui relinquũtur in præcordijs ardores, febre perfrigerata, mali ſunt, tum aliàs, tum in ſudoribus. In comm. ait Galenus: Nempe, qui per totũ corpus ita fiũt ſudores, ſed exigui, quod non flammeam illam, quæ hypocondria fatigat, ſoluunt caliditatem, boni non ſunt. Et 2. Prorrhet. 32. Si ex perfrictione ſudantes recaleſcant: & tex. 33. Flammans quoque cum ſudore facies in his mala. Et tex. 34. Si in ſudoribus vigiles recaleſcant. His exemplis, huiuſmodi ſudores malos eſſe noſcimus: ratio eſt, quia his excretionibus ægri non alleuantur, nec affectus tollitur: ſiquidẽ morbi cauſa haud exciditur. Quid profectò eſt poſt ſudores recaleſcere, quam illos exprimere morbũ haud euellere? Et facies flammans cum ſudore nonne mala eſt? Prouenit enim à cõmota materia, quæ certante natura cũ morbo ebullit, atq; ad caput aſcendit, & per poros cutaneos haud excernitur: hinc ſudores illi mali ſunt: namq; materiam per ſuperiores partes transfuſam, cũ vaporoſo calore, minimè excludunt: propterea infirmi cũ vultu flammeo leuiter exudãt, & deinde in peius ruunt. At apertiùs Hipp. 4. Aphor. de ſudoribus febrem nõ diminuentibus loquutus eſt, dum dicebat: Sudor febricitãti ſuperueniens, febre

non deficiēte, malum: prorogatur enim morbus,& multam ſignificat humiditatem. Ex hac cauſa ſudores ſymptomatici modò inutiles, modò mali, modò exitiales, pernicioſi, infidi, & alijs opprobrioſis vocabulis apud ſcriptores appellantur, eo quod eorum opera infida, pernicioſa, & exitioſa exiſtunt.

Vltima conditio exprimit alia mala ſigna, quę cum malis ſudoribus ſuccedunt, è quibus illi ſymptomatici iudicantur. Hęc vel antecedũt, vel ſubſequuntur, vel vnà cũ ſudoribus erumpunt: quocunq; modo ſudores cũ ijs eueniunt, mali, & perfidi eſſe creduntur. Illa autem mala ſigna ſunt, quæ vel ſub cauſis, vel morbis, vel ſymptomatibus reponũtur: Virium nimirum proſtratio: Pulſus malus, debilis, inordinatus, & inæqualis: Mentis inconſtantia: Anhelitus difficilis: Difficilis tolerantia: Inquietudo: Facies tornatilis: Naſus acutus: Oculi concaui: Collapſa tempora: Aures pendentes: Cutis faciei tenſa: Oculi lumen effugientes: Lachrimæ inuoluntariæ: Colligere paleas, vel feſtucas: Delirare: Somnus ſuperfluus: Vigiliæ extremæ: Appetẽtia proſtrata: Oculi rubri: Venæ nigræ, aut obſcuræ: Color faciei viridis, vel obſcurus: Inferius labrum agitatum: Digiti, & vngues obſcuri, vel virides: Frigiditas extremorum: Alui excrementa nigra, vel liuida, viridia, fœtida, vel alba liquida: Vomitus praui: Deiectiones magnę: Sanguinis profluuia: Vrina nigra, liuida, vel aquoſa: Euacuationes nõ conferentes morborum ideis: quemadmodũ ſi cum lienis magnus fuerit tumor, è dextra nare ſanguis fluat: vel à ſiniſtra ſi intumuerit hepar: hæc, & alia mala ſigna eſſe poſſunt, quę cũ ſymptomaticis ſudoribus apparere poſſunt.

Cum huiuſmodi ſignis mali ſunt ſudores, & exitium præſagiunt ſępenumero: at certiùs quando plura in ægroto fuerint mala ſigna, vel ipſi ſudores ex iudicatorijs non iudicãtibus exiſtant: ſiquidem nec infirmos alleuant, aut iuuant, ſed potius in peius deducunt, & mortem accelerant. Sed quid mirum, cum ſudores hi, & ſigna mala pręuia cruditate oriantur; è qua principium, & origo omnis malignitatis morborum exſurgit, vt aliàs diſputauimus: quippe ſuccũbit natura, ſi prauos humores alterare: ſi morbi vehementiam, & ferocitatem domare nequiuerit; quo fit vt praua ſigna, & cũ his ſæpiſſimè pernicioſi ſudores, atq; vltimò exitium appareant. De his loquebatur Hipp. 1. Epidem. 1. tex. 24. cùm dicebat: Sudabant quidem non ex toto corpore, extrema frigebant, vt vix calorem reciperent. Et in Coacis: Qui ſubinde ſudãt, & rigent, lethale. Et poſtea: Qui ſæpius inhorreſcunt, multũq; ſudant, ægrè ſaneſcunt. At pręter hæc in multis hiſtorijs hic admirãdus ſenex

de talium ſudorum cognitione loquutus eſt, vt videre eſt in obſeruationibus in Euryanactis filia: In vxore Theodore, Dromedai, Euxenij, & in alijs in quibus ſudores, modò cum delirio, modò cũ conuulſionibus, extremarum partium frigiditate, cum ſpiritu magno, & raro, modò cum ſiti magna, faſtidio, & anhelatione varia comitati videtur; atq; cum prauis alijs excretionibus, quæ quia ferè perpetuò ſymptomaticos ſudores conſequi ſolent, rationabile eſt, vt breuiter has percurramus, quemadmodum de ſalutaribus egimus in cap. de ſudore critico.

De praua ſanguinis eruptione.

Praua, & ſymptomatica ſanguinis eruptio contrarijs à critica notis diſtinguitur. Primò, quia hæc nullis cõſpectis ſignis coctionis prodire ſolet: in qua re licèt aliquando larga hæmorrhagia optima iudicetur, etiam cruda exiſtente materia morboſa, tamen de ſe nec vnquam bona erit, niſi bona ſigna cum ea apparuerint: aliter iudiciũ erit difficile. Hæc autem ſi cum pernicioſis apparuerit ſignis, vel hanc illa conſequantur, tantum abeſt, vt bona iudicetur, ſed vt potius exitium portendat. Praua erunt ſigna nigredo in vrinis cum ſedimento nigro: Vrinæ turbidæ ſubiugales, nõ clareſcentes, tenues, aquoſæ: Vomitus fœtidi, virulenti, verſicolores, nigri, nigræ deiectiones, & colliquationes: Iſta enim ſigna, vel alia praua exitioſam hanc excretionẽ reddere conſueuere. Hinc habet 2. Coac. A profluuio ſanguinis è naribus, paucum ſudorem cũ refrigeratione malum. Et 4. lib. Quæ diebus criticis perfrictiones fiunt vehementes à ſanguinis profluuio peſſimæ. Hæc ſymptomatica ſanguinis euacuatio, nec morbi ideæ, nec ægri naturę, cœli, anni, ætatis, nec victus correſpondere ſolet: ſiquidem ſolet apparere in morbis frigidis, & pituitoſis, in quibus nunquam eſt bona, ſed ſemper mala: imò non ſolum correſpondet his deſcriptis, ſed nec congruit locis affectis, quod negotium expreſſit auctor Prorrhet. dicens: Sanguis ad latus diuerſum eruptionis malæ, vt ſi cum lienis magnus fuerit è dextra nare fluat: Hac ratione damnatur ſanguis per vomitũ in febribus, præcipuè niger, vt Hipp. 4. Aphor. 23. Quibuſcunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, ſiue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, ſiue vti ſanguis niger deſuper exierit, poſtridie moriuntur. Ex hac mala ſanguinis excretione ægri non ſolum nihil iuuantur: ſed potius in deterius mutãtur, nam fiunt debiliores, & pulſus languidiores, inæqualiores, & longè peiores; quod ſi talis euacuatio

accidat in aliquo ex iudicatorijs non iudicantibus, lethalis iudicatur; ait enim Gal.1.Prorrhet. Iudicatoriorum non iudicantium, alia quidẽ eſſe lethalia, alia iudicatu difficilia. Poſtremo innoteſcit mala, & ſymptomatica ſanguinis eruptio ex quantitate fluxionis; erit enim aut immoderata, aut parcior, quàm deberet, aut non tota, ſed per interualla ſuccedet; quemadmodũ in criſibus imperfectis fieri aſpicimus. Hinc auctor Prorrhet. A multa ſanguinis eruptione aluum malè affici, nam nimis refrigeratur. & poſtea: In iudicatorijs perfrictionibus ſanguinis eruptiones vehementer peſſimæ: quippe largiſſima ſanguinis profuſio, modum naturæ excedens, nec à naribus, nec ab vtero, aut venis hæmorroidalibus, aut vlceribus proficua vnquam iudicatur, nam varias vt plurimum inducit offenſas.

Pauca ſanguinis eruptio, ſeu parcior debito, & quæ per interualla erumpit, vel ſuccedit in malignis, & acutis, vel mitioribus morbis. In acutis, atq; cum inflammationibus perniciosa exiſtit, namq; expulctricis facultatis languorem oſtendit, de qua Hipp. 1.Epid. Nec ſanguis de naribus, niſi paucis, & admodum paucus erupit. Et poſtea: Nam Philiſcus quidem Epamenon, & Silenus, quibus parum quarto die, & quinto ex naribus ſtillauit, mortem obierunt. Et Gal.4.de rat.vict.in acutis: Nouimus enim, quod ſanguinis è naribus ſtillationes malum quippiam ſemper eſſe ait: propterea, quod natura quidem conſpiciat, quod ſuperfluum eſt excernere, ſed ob propriã imbecillitatẽ nequeat. Hinc in praxi animaduertere debemus, ſtillam in huiuſmodi morbis, nullis conſpectis coctionis ſignis, malũ pręſagire, & eo certiùs ſi in aliquo dierum criticorum apparuerit, vel cum malis ſignis fuerit comitata: tunc enim exitialis erit. In mitioribus morbis dummodo cætera ſigna ad ſalutem videantur, diuturnitatem præcidere poteſt: imò aliquando ſtilla hæc bona, & ſalutaris eſſe poterit, ſi viſis ſignis coctionis in aliquo die iudicatorio, & in principio criſis eruperit. Hoc in Metone viſum eſt, qui quarta die paucum è naribus habuit ſanguinẽ, & quinta die largam eruptionẽ, & iudicatus eſt. Verùm in morbis ijs, qui hac ſanguinis eruptione ſolui conſueuerunt, niſi hæmorrhagia euenerit, vel per alias vias corpora euacuata fuerint, malum erit ex expulctricis infirmitate indicium, & periculo plenum. A cauſis extrinſecis autem eueniens ſtilla ſanguinis, ex motu ſcilicet valido, ex capite à Sole calefacto, ex vini potu meracioris, vel aliqua concuſſione, ſeu irritamento in naribus, minoris ſolet eſſe momenti, niſi morbus aliquis ex ea conſequetur.

De prauis vomitibus.

VOmitus ſymptomatici quia fiũt haud concocto morbo, in morbi principio, vel paulò poſt fieri conſueuere; quo tempore aut nulla, aut obſcura coctionis ſigna obſeruantur. Hi ſolent eſſe vel immodici, vel pauci; ſi immodici, vires reſoluunt; hinc in morbo valido exitium minantur, & eo certiùs ſi vnà cum alijs pernicioſis ſignis illuxerint, vti ſunt colores in humoribus porracei, nigri, virulenti, liuidi, æruginoſi, fœtidi, & ſynceri, quales fuere obſeruati in Phrenitico, muliere, quæ in foro mendacium decũbebat, & in filio Negotoridæ ante mortem. Pauci, vt Gal.2.Prorrhet.47. in acutis prauitatem magnam oſtendunt: non enim, quæ decretoria ſunt, exiguè ſecerni conuenit: quapropter ambo mali cenſentur, nam primus copia tolerari nequit, alter verò naturæ imbecillitatem oſtendit; quę proponit ſuperflua excernere, ſed nõ poteſt. Hinc pauci vomitus in malignis affectibus mali, præcipuè ſi ſucceſſerint in iudicatorijs non iudicantibus: ſiquidem tunc difficilis iudicij ſunt. Vomitus ſynceri in acutis, propterea peſſimi cenſentur, nam humor ſyncerus nondum coctus, ſed crudus excluditur: idcirco cum ſignis malis exitiales exiſtimantur: quippe habemus 2.Prorrhet.28. Vomitiones ſynceras implacidas malum: & Hipp. ait: Synceriores deteriores. Si enim vomitio fuerit porracea, liuida, aut nigra, quicunque ex his fuerit color, malum eſſe conſiderandum eſt. Si verò idem ægrotus omnes vomerit colores, exitiale admodũ ſignũ eſt: vicinum autem exitium, vomitus liuidus, ſubputris, vel graueolẽs indicat: ſiquidem colores huiuſmodi in vomitibus peſſimi habentur: namq; licèt humores nigri, porracei, æruginoſi, & alij criticè poſſint expurgari: hoc tamen concocto morbo intelligitur, quod eſt in ſtatu, vel parum ante illum: ſed hoc rarũ eſt, quapropter in potentibus morbis, in valida, & continua febre, haud conſpectis ſignis coctionis tales vomitus certam mortem præſagiunt. Vomitus verſiculores, peiores erunt, nã plures, & diuerſos prauos humores intus latere demonſtrãt. Virulenti, & ęruginoſi eadẽ ratione in acutis exitiales ſunt: quippe ex his ęgri læduntur, & in deterius abeunt. In vulneratis capite, vomitus bilioſi, mali iudicantur, ex Hipp. in Aph. Quibuſcunq; pręciditur cerebrum his neceſſe eſt, febrem, & bilis vomitum ſuperuenire. In ileo ex eodem 7. Aphor. pernicioſiſſimus eſt. Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio, malum. Hi ſunt vomitus pernicioſi, qui cum ſudoribus comitati, morbi prauitatem declarant.

De

De prauis deiectionibus ex aluo.

AT malæ excretiones ex aluo, quia à debilibus naturalis potentię actionibus veniunt, diuerſam à ſalutaribus ſortiuntur naturam, tum quoad ſubſtantiam, tum verò quantitatem, colorem, odorẽ, modum excretionis, tempus, ſigna, & finem. Nam quoad ſubſtantiam, nõ molles, vt bonæ ſunt, ſed duræ, aſperæ, liquidæ, viſcoſæ, aquoſæ, pingues, ſpumantes, miſtæ cum ichoribus, ſynceræ, & colliquatiuæ. De duris habemus 1. Prorrhet. 6. Si intercepta aluus, parua, nigra, & in ſpiras circumducta ad neceſſitatem luxauerit, & per nares eruptio fiat malum. Liquidæ malæ ſunt ſine ſignis coctionis, nam arguunt cruditatem: minus malæ ſunt in temperamento humido, & ætate puerili. Viſcoſæ vituperantur ab Hipp. 2. Progn. 21. Malum eſt ſtercus, quod exiguum, glutinoſum, & ſubpallidum eſt. Aquoſę niſi à cibis, vel medicamentis fiunt, malæ ſunt, nam arguunt ventris inferioris, & partium connexarum imbecillitatem: ideo peſſimæ in ſtatu, & declinatione morbi, non ita in principio, & augmento, eo quod tunc neceſſariò vitiantur coctiones, & natiuus calor debilis eſt. Pingues colliquationẽ arguunt. Spumantes itidem niſi fuerint à flatulentis cibis. Miſtæ cum ichoribus facultatis iecoris vitiatæ præbent indicium, quæ cũ totum chylum in ſanguinem commutare nequit, magnam eius partẽ in ichores tranſmutat. Synceræ peſſimæ, nam à ſolida partium tabeſcente ſubſtantia fiunt, & proinde in acutis arguunt calorem vehementiſſimum. De his 1. Prorrhet. ita legitur: Deiectiones in ſynceras, ſeu meras deſinentes, malum exacerbare, & (Galeni teſtimonio) peiorẽ morbum reddere. Hoc viſum eſt in Sileno in quinta die. Colliquatiuæ peiores, nam caloris incendium colliquans denotant. Has obſeruamus fieri ex febre acuta, excrementis calidioribus, ſpumoſis, & ſynceris, cum graueolentia redditis.

Quoad quantitatem, vel immodicè fluentes, vel paucę, atque ſtatim deſinentes, & ſuppreſſæ eſſe ſolent. Immodicæ vires reſoluunt: ſiquidem legitur ex Hipp. 2. Progn. Cum verò affatim, ſæpèq; deijcit, ne animus eum deficiat periculum eſt. Paucæ ſunt inutiles, nam ad tollẽdam humorum multitudinem vel non ſufficiunt, vel languidam virtutem, quæ humores noxios excernere tentat, ſed prę debilitate nequit, ſignificant. Deſinentes, & ſuppreſſæ prauæ ſunt, atque in acutis exitialis. De his Hippocr. 1. Epidem. 2. tex. 41. Ventres etſi fortè hume-

ƈti eſſent, ſtatim maligno morbo ſitiebantur.

Quoad colores albæ, bilioſæ, flauę, croceæ, rufæ, virides, porraceę, liuidæ, cruentæ, æruginoſæ, cineritiæ, nigræ, & diuerſicolores videri poſſunt. De his Gal. 1. de criſib. 12. dicebat: Copioſæ itē deiectiones, in principio morborum bilioſæ, virides, liuidæ, nigræ, verſicolores, meræ, prauę ſunt. Et Hipp. 4. Aphor. Deiectiones nigrę, qualis eſt ſanguis niger ſpontè venientes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre peſſimæ. Et 2. Progn. non ſolum paucas, glutinoſas, & pingues dānauit: ſed etiā candidas, ſubcroceas, & liuidas, eo quod colliquationis ſint indicia. Albæ, quæ non à cibis coloratę ſunt, teſte Gal. 1. Prorrhet. 13. obſtructionem, & bilis ad alia loca conuerſionē ſignificant; proinde Phrenitidis indicium. Bilioſæ flauæ, croceæ, rufæ malæ: nam bilis copiam, & vniuerſi corporis feruorem maximum declarant. Propterea dyſſenterias, & inteſtinorum roſiones prædicere ſolent, & quātò flauities maior inerit, tanto fœces deteriores adeſſe præſagiūt. Virides niſi ab herbis fiunt, putrefactionem, & aduſtionem in corpore magnam arguūt. Hinc ſapienter dixiſſe arbitror Thadeū Florentinū 2. Progn. com. 22. fœces virides nunquam eſſe criticas. Liuidæ, ex Raſi x. continen. niſi à cibis tingantur, congelationem, & egeſtionis mortificatione ſignificant. Cineritiæ putrefactionē, & incinerationem perpetuò comitantur. Porraceæ, & æruginoſę, vt voluit Hipp. 2. Progn. 23. peſſimę ſunt: nam vi morbi fiunt, & ab æruginoſa bile, caloris incendio effecta excernuntur. Cruentæ, ab Hipp. dicūtur malæ: ſed exitioſiores ſi fuerint nigræ: nam rubentes, quādo à vitio hepatis euenerint, admodum ſunt periculoſæ. Nigræ ab atra bile caloris extinctionem, & incendiū deſignant. Verſicolores plures in corpore adeſſe ęgritudines oſtendunt. Hinc Hipp. 4. Aphor. 21. Et quanto colores magis praui fuerint, plures peius. De his exemplum eſt in Epidem. in puerpera in Thaſo, & Apollonio, qui omnes cum varias excretiones habuiſsēt, mortui ſunt.

Quoad odorem admodū fœtentes, vel minus fœtentes ſentiuntur. Has omnes damnauit Hipp. 2. Progn. Nam fœtidæ admodum magnæ ſunt indicium putredinis, & in acutis ſunt exitiales. Graueolētes ſunt pernicioſæ nimirum, quia præcellentem putredinem, & vires languidas oſtendunt: propterea in febribus continuis, & malignis, quando abſq; coctionis ſignis ſunt excretæ, exitialiſſimę ſunt, & mortē minantur. De his Hipp. 2. Progn. 22. Omnium maximè lethiferum eſt, nigrū, pingueliuens, aut quod peioris eſt odoris, quàm pro conſuetudine. Per modum excretionis deiectiones iſtæ ſymptomaticæ ſunt Lientericæ,

ricæ, Cœliacæ, Diarrheæ, Dyſſentericæ, & Teneſmicæ: De quibus Hipp. 3. Epidem. 3. tex. 40. Aluus his pleriſque turbata erat, atq; deiectiones crudas excernebant, & multas, & tenues. Quoad tempus huiuſmodi deiectiones in morbi principio, atque nullis conſpectis ſignis coctionis apparent: ſæpè in augmento penes ipſarũ mutationes, quæ in deterius, ſubſtantia, quantitate, colore, & odore mutantur. Propterea ſemper malæ ſiquidem iudicantia in melius haud in principio apparent, ſed in ſtatu potius, quando humores natura concoxerit. Hinc ex iſtis retentricem debilem, atq; expulctricem irritatã forſitan copia, vel perniciosa humorum qualitate immaturius excernere cõiectura mus. Quoad ſigna. Hæ excretiones cum malis ſignis ſemper comitantur: quæ vel antecedunt, vel ſequuntur, vel cum illis oriuntur. De his 2. Prorrhet. In ardẽtibus febribus cum aliquantula perfrictione, deiectionibus aquoſæ bilis, multiſq; oculorũ peruerſio, ſignum malũ, tum aliàs, tum ſi catochi. Et in lib. 3. Ventris deiectiones ſubueniẽtes, cum perturbationibus, & vrinæ tenues, aquoſæq; ſuſpitionem habent; & poſt ſanguinis eruptionem, deiectiones nigræ, malæ. Hæ fuere obſeruatæ in Sileno, Hermocrate, Pario, Apollonio, & alijs. Quoad finem. Ægri his conſpectis tantum abeſt, vt releuentur, vt potius in deterius mutentur: ſiquidem fiunt languidiores, pulſus imbecilliores: tandem noui ſuccedunt labores, & vltimò exitium.

De inſidis, & pernicioſis vrinis.

MAlæ vrinæ, quia ex actionibus naturæ debilibus proueniunt, ſemper cũ cruditate prodeunt: propterea tenues, albæ, aquoſę in affectibus pernicioſis exitium minantur; eo quia ſummam, ad quã euincendam longo natura indiget tempore, cruditatem arguãt. Ideo in febribus mitioribus cum validis viribus, tenues, & aquoſæ poſt tẽporis ſpatium diuturnum, ſalutem promittunt. In vehementibus verò cũ languidis exitiales ſunt, quo fit priuſquàm malignã concoquat materiam peccantem naturã ſuccumbere. Certiùs autem hæ tales mortẽ præſagiunt, quando diù perſeuerauerint, atq; cũ malis ſignis poſt principium incœperint. Hinc Hipp. 2. Progn. 33. vrinam tenuem, & aquoſam exitialem, & in pueris deterrimam eſſe ſcripſit. Huiuſmodi etiam in acutis febribus, teſtimonio Hipp. 4. Aphor. totum impetũ flauę bilis ſurſum ad caput ferri demonſtrant. Quibus vrinæ albæ, & perſpicuæ, malæ, præſertim ſi in delirantibus appareant: in cuius comm. ait Gal.
nullum

nullum phreneticum cum tali vrina ſanatum vidiſſe. Craſſæ etiã malæ ſunt, & præcipuè in principio apparentes; nam eo tempore tenuiores eſſe ſolent, vt Gal. 4. Aphor. com. 32. Ita craſſæ, turbidæ, non reſidentes, ſiquidem naturam languidã oſtendunt. De his Gal. 4. Aphor. com. 70. dicebat: Quæ non reſident, ſi verò adfuerint, longũ fore morbum oſtendunt: ſi imbecillitas, ægri mortem prænunciant. Malæ etiam, ſi quod ſubſidet, malum erit, vt Gal. 4. de ſanit. tuen. c. 4. Malæ ſi farinæ craſſiori ſimilem habuerint ſubſidentiã. De his Hipp. 2. Progn. 28. Mala eſt vrina, cum id, quod reſidet parti farinæ craſſiori ſimile eſt, peior verò ſi lamis, ac vituperatur quoq; alba tenuis, quamquam longè maius periculum illa portendit, in qua quædam, tanquã furfura reſident. Has Galenus vocat exitiales 4. Aphor. 31. in acutis; in mitioribus verò longitudinem morbi præſagire decretauit. Vrinæ craſſæ ſine ſedimẽto in acutis lethalis: malæ etiam, quæ cum pauco, aut crudo, ita & tenues, vt Hipp. 1. Epidem. Hic eſt animaduertendum, vrinas craſſas ſedimentum ex humore albo, & crudo ſubſidente, ad inſtar veræ hypoſtaſis aliquando habere: quod tamen bonum non eſt.

Vrinę multæ, tenues, aquoſæ, & ſine cõtentis nihil iuuantes in acutis ſunt exitioſæ, vt Hipp. 3. Epidem. 3. tex. 4. Multæ quoque craſſæ, aut turbidæ non reſidentes, aut iuuantes damnantur, & maximè in morborum principijs, quando nihil concoctum excernitur. Paucę tenues, in ardentibus febribus, atq; acutis inflammationibus, peſſimæ, nam ſerum ſanguinis ab igneo calore conſumitur. Paucę acres nihil alleuantes, lethales: ex ſummi enim caloris incendio fiunt.

Nota, quòd vrina turbida duplex eſt, aut tenuis, aut craſſa: ratio eſt, nã multę vrinę claræ emictę, poſtea turbantur: nonnullę turbidę emictæ, turbidę reſtant: aliquę turbidę emictę, reſidẽt poſtea, & clareſcũt. Per vrinas claras, quę poſtea turbantur, naturam debere coctionem incipere cognoſcimus: per turbidas verò clareſcentes, non modò incepiſſe, ſed etiam aliquid concoxiſſe: per vrinas turbidas permanẽtes, & non clareſcentes autem totum oppoſitum iudicamus; propterea in acutis omnibus his pernicioſiores habentur. Hoc obſeruauit Hipp. in hiſtoria vxoris Philini. & Gal. 4. Aph. com. 70. de his ita loquutus eſt: Nonnullæ igitur vrinæ longo tempore manent perturbatę, nonnullę verò citò ſedimentum craſſum habent, & citò morbum ſolutum iri ſignificant: quæ verò non reſident, ſi vires affuerint, longum fore morbum oſtendunt: ſi imbecillitas adſit, ęgri mortem pronunciant: Quare ex his capimus, vrinas perpetuò turbidas cæteris eſſe magis prauas:

quod etiam confirmauit Gal.4.de ſanit.tuen.cap.4. At multo peiores aſſerimus,quæ in principio morbi turbidę permanent his,quæ in augmento turbantur: ſiquidem in aſcenſu calor naturalis aggrediens coctionem,vrinas ſolet flatibus conturbare:illæ autem paulò poſt probè reſident,& clareſcunt.

Ratione coloris rufa,& tenuis damnatur ab Hipp.2.Progn.30. Cęterum vrina rufa, & tenuis apparens crudũ morbum ſignificat, quod ſi diutiùs talis permanſerit, ne priuſquã morbus quieſcat æger viribus deſtitutis ſuccũbat,periculum eſt. Vrina aurea in acutis febribus,atq; internis inflammationibus diu permanens, ſuſpecta eſt ob magnã alicuius viſceris inflãmationem. Nigra vrina in acutis apparens,niſi fuerit critica, ſine periculo nec vnquam eſt: ſiquidem notat aduſtionem ſanguinis. Hinc Hipp.2.Progn. in viris, & mulieribus eam, in pueris autẽ tenuem,& aquoſam,tanquam exitiales damnauit. Tenues,nigrę, & paucę vrinę magnã arguunt malignitatem. Vrinę nigrę, & verſę in aquoſas lethales ſunt, ex Gal.1.Epidem.2.tex.75. In Prorrhet.habemus vrinas nigras in turbulentis,& vigilibus phrenitidem denotare. Nigrę malè olentes,mortales ſunt,teſte Hipp.2.Progn.31. Pernicioſiſſima eſt vrina, quæ mali odoris, tenuis diluta, nigra, & craſſa eſt. Hinc nigra nubecula etiam damnatur, hinc vrinę nigrę cum nigro ſedimento,omnium peſſimæ cenſentur, vt Galenus 1.de criſib.12. Minus autem pernicioſę iudicantur ſi ſolum ſedimentum fuerit nigrum: ad hoc minus ſi ſolum ſuſpenſum, & multò minus ſi ſolum nebula.

Vrinę oleoſę, in quibus fuerint pinguedines ſupernatantes ſimilis telis araneorum peſſimę ſunt, ſiquidem colliquatiuę exiſtunt. De his Hipp.2.Progn.35.Neq; leuiter terrere nos debet vrina,cui pinguedo telis Araneorum ſimilis innatat, quippe, quę hominem tabe conſumi ſignificat. Vrinę omni carẽtes ſedimento, nebula ſcilicet,ſuſpenſo,& hypoſtaſi, malè iudicantur, niſi ęgri ieiunauerint, vigilauerint,aut laborauerint,vel corpora fuerint admodũ bilioſa,vt Gal.1.de criſib.11. Sedimentum diuulſum, quod cruditatem denotat damnatur, nã nunquam tutò ſalutem promittit,ſicut inęquale. Hinc Hipp.2.Progn.21. Si verò intermittit,atq; interdum ſubſidet album,ac leue morbus diuturnior,ac minus eſt ſecurus.Subrubrum non laũdatur ab Hippoc.eo quod morbum,licèt ſalutarem,diuturnum tamen ſignificet. Nigrum ſuſpenſum diuulſum,inæquale,malum, ſed minus quàm ſedimentum. Pingue ſupernatans in vrinis,malum, quippe conſumptionẽ denotat. Vrina, quæ inſcijs ægris mingitur, & à non recordantibus mala,

vt

vt 1. Prorrhet. 28. denotat enim infirmitatem naturalium, & animalium functionum. Vltimò adnotandum proponimus in multis malignis, & perniciosis febribus mingi ſæpiſſimè vrinas ſubſtantia, colore, & hypoſtaſi rectè valentibus ſimiles, quod ſignum mortale eſt, & denotat mortem ineuitabilem, nam bilis, è qua vrina coloratur, aut cerebrum, aut aliud viſcus inuaſit: hinc nihil cum vrinis è malis ſuccis excerni veriſimile eſt.

De prauis, & lethiferis ſputis.

Sed veniamus ad ſputa mala, & exitialia, atq; ab eorum ſubſtantia exordiamur. Hæc vel admodum tenuia, vel craſſa, viſcida, tenacia, vel ſpumoſa eſſe ſolent. Quæ tenuia admodum ſunt, cum in ijs, qui nullo morbo laborant, tum in ijs, qui febre, vel alio affectu moleſtati reperiuntur, ſuſpecta iudicantur: vel quia tuſſim moleſtiſſimam pariunt, vel quia talia à calore debili innaſcuntur, à quo nec concoquuntur, nec incraſſantur: ideo cruda dicuntur, & eo magis ſi in principio morborum apparent, in quo cruda omnia eſſe ſolent. Auicenna 1. Par. Cantic. Tract. 2. ſputorum tenuitatem, leuem, & ſubtilem eſſe humorem, qui morbum facit, ſignificare deſcripſit: & ob id velocis digeſtionis morbum eſſe: ſed recurre ad Auerr. in comm. in Pleuriticis autem, & Peripneumonicis ſputa admodum tenuia poſt principium, aut admodum craſſa, aut viſcida, ſpumoſa, aut rotunda, mala cenſentur. Verum in principio apparentia non inutilia iudicantur, licet ſatis crudum morbum nũcient, ſiquidem talia tractu temporis maturari poſſunt. Si autem per multos alios dies apparuerint, atq; nil amplius concocta, peſſimè damnantur. Admodum craſſa idcirco mala exiſtimantur, quia ſæpè reſpirationis meatus obſtruunt, & ob id ſuffocationem minantur. Fiunt enim craſſa, vel ob craſſæ, & viſcidæ pituitæ, vel alterius craſſi humoris miſcelam, vel forſitan à calore denſante, vt ijs quibus ad thoracem à capite deſtillationes fluunt, contingit. Hoc innuit Hipp. 7. Aphor. 38. Deſtillationes in ventrem ſuperiorem, ſuppurantur intra viginti dies: Vigeſima die etenim ſuppurãtur, ideſt deſtillationes illæ craſſæ euadunt, vt pus referant. Indicant hæc ſputa, propter materiæ peruicaciam morbum tardè eſſe ſolubilem, ſputa viſcida, & tenacia in Pleuritide longi morbi ſigna ſunt: itidem ſpumoſa in morbo eodem propter putreſcẽtem pituitam exiſtunt. Si fuerint autem admodum ſpumantia peſſima iudicantur, &

ſyncera potiſsimũ bilioſa, rufa, viridia, liuida, nigra, ſiquidem à calore immodico, adurente, & colliquatiuo fiunt.

Quoad quantum. Copioſa ſputa, quę ægros non iuuant, eo quia, nec tuſsim, nec difficilem reſpirationem, nec dolorem mitigant, inutilia, & exitioſa exiſtimantur. Multa verò in affectu thoracis ſi in principio, & ſtatu morbi apparuerint, duplici cauſa bona eſſe poſſunt, vel quia validam arguunt virtutem, vel quia materiam eſſe benigniorem, & naturæ obedientem declarant. Pauca verò in iiſdem affectibus perpetuò mala cenſentur. Si autem in Decretorio die multa, ſputa, & mala viſa fuerint, atque nihil ægrum iuuauerint, vtique plena erunt periculo: ita, & pauca, non enim ad euacuandum humorem, inflammationem facientem hæc ſufficiunt. At peiora iudicantur, ſi talia cruda fuerint, & excreationi difficultatem parient. Sputa, ſimplicia, & impermiſta ex ſe bona iudicantur, in Pleuritide autem, & Peripneumonia morbi cruditatem denunciant. De his locutus eſt Galenus 4. de ration. in Acut. 44. vbi ſputa tenuia, ſalſa, exigua, & ſynceris coloribus infecta, cruditatem ſignificare ſcripſit. Auicenna vero dixit morbi. Longitudinem. Permiſta, vt puri carunculis, aut lapidibus praua ſunt: quippè vlcus in partibus ſpiritualibus, aut magnum incendium, quo materia aduritur, & lapideſcit, præſagiunt.

A Figura ſputa rotunda damnantur, nam intus magnum calorem, quo humor eſiccatur adeſſe deſignant. Hippocrates 6. Epidem. 3. tex. 36. rotunda ſputa futurum delirium præſagire demonſtrauit; credo ex aliqua forſitan (vt notat Mercurialis in tractat. de ſputis) obſeruatione facta hoc aſſeruiſſe: ex huiuſmodi enim ſputis, vt voluit Galenus in Com. Pthiſim præſagimns: proinde praua iudicantur; De his etiam 2. progn. 46. Hipp. locutus eſt, quando, Album, viſcidum, & rotundum inutile eſſe ſputum dicebat.

A Sapore. Inſipida ſputa ex ſe mala eſſe nequeunt. Salſa, & tenuia, ſemper cruditatem arguunt, imo ſalſa ſputa in Pulmonis vlcere inſanabile malum ſignificant. Idcirco ſalſa ſputa, perpetuò ſuſpecta eſſe queunt: ſiquidem infirmi ſæpiſſimè cum talibus in Pulmonis vlcera, & in alias prauas affectiones incurrunt. Dulcia in pleuritide ideo bona eſſe perhibentur, quia ex ſanguinis prædominio ſuccedunt. Acida verò mala, quia ex acidis humoribus. Amara inſuper, & acria, peſſima exiſtimantur. Hic aũt vnum adnotandum conſulimus, hmõdi ſapores in ſputis, ſæpè numero propter pituitæ miſcelam obſcurari,

quod

quod vſu venit Medicos etiam ſapientes, humorem bilioſum adeſſe in partibus Pulmonis aliquando non animaduertere: nam licet ſputa flaua, pallida, vel rufa aſpiciant, quia tamen ea amara, vel acria infirmi relatione non obſeruant, decipiuntur. Hinc fit, vt corroſis pulmonibus, ſputa cruenta, vel purulenta appareant: inde Tabes, & vltimo mors ſuccedit, lege de his Gal.4.de loc.affect.

A colore. Bilioſa ſputa, vt pote, quæ flauo, pallido, vel rufo fuerint colore, in ijs, quibus Pthiſis aliqua ſuſpitio eſt, à Galeno 2. de loc. aff. cap. 10. mala iudicantur: hæc autem acria, vel amara obſeruantur. Rubra in pleuritide, quanto citius apparuerint, tantò meliora: citra verò pleuritidem mala, in affectibus enim Pulmonis, vlcera facta denotant, & Pthiſim præſagiunt. At in vtroque affectu, ſputa alba, flaua, pallida, rufa, viridia, æruginoſa, porracea, fulua, liuida, nigra, varia, fętida, ſyncera, cum difficultate eiecta; ſi tuſſim, dolorem, & malam reſpirationem, haud mitigauerint, peſſima iudicantur: Peiora autem ſi hæc febrem concitauerint. Alba ſputa in morbis bilioſis inutilia ſunt, ratio eſt, quia non purgant humorem peccantem. Flaua, pallida, atque cruenta non admodum ſputo permiſta, poſt principium apparentia morbum difficile concoctu, longum, & ea de cauſa periculoſum præſagiunt, in principio autem obſeruata facilem ſolutu declarant. Viridia æruginoſa magnum incendium, & copioſam bilem æruginoſam permonſtrant. Fulua admodum, pernicioſa ſunt. Liuida verò periculoſa ſiquidem fiunt, vel ab atra bile, vel à calore, qui proximè extinctioni eſt. Sputa nigra in principio, peſſima ſunt, quippè non ſolum morbi cruditatem, ſed futuram etiam, potiſſimum, vt voluit Hipp.2.Progn.51.in coſtarum, & pectoris affectibus, mortē oſtendunt. Aliqui autem bona eſſe comprobarunt, quando criticè euacuantur. Sputa varijs lineata coloribus ex eo, quod in corpore, varios affectus ineſſe declarant, mala tenentur. Sputum ſanguinis, quod pus ſubſequatur, teſte Hipp.7.Aphor.15.prauum eſt: In Com. dicit Galenus, non omne ſanguinis ſputum eſſe malignum, ſed illud, quod pus ſubſecutum fuerit: quippe Pthiſim ſignificat. Idcirco è pectore, & pulmonibus educta ſputa, quibus pus ſubſequatur exitialia iudicari queunt.

Ex Odore. Fœtida ſputa in morbis acutis perpetuò mala ſunt, ab excellenti enim gradu putredinis prouenıunt. Graueolentia tabidos declarant, atq; in his lethalia ſunt. In Peripneumonia ſputa fætida, cruda verſiculora, & flaua bile permiſta, ſuſpecta, & malitioſa cenſentur,

tur, proinde excretio talis ſymptomatica iudicatur. Profectò in Coacis habemus huiuſmodi affectu languentes decimaquarta die, vt plurimum decidere: ſiquidem fætor in ſputis, vel ex interna corruptione, & putredine, vel ex vlcere, aut pulmonis, aut alterius partis ſpiritualis procedit: idcirco in Empijs damnatur, in cuius propoſito Hipp. 7. Aphor. 45. dicebat. Quicunq; ſuppurati vruntur, aut ſecantur, ſi pus effluxerit ſubcruentum, fęculentum, & fętidum pereunt, ſecus verò ſi pus album, & purum fuerit. A tempore. Si ſputa in principio, cocta fuerint, Galeni teſtimonio. 1. de Criſ. bona ſunt: cruda verò mala, quippè morbi longitudinem promittunt: At ſi in principio viſa fuerint ſputa praua, quantò exitialiora fuerint, tantò mortem citiorem præſagient. A modo excretionis vltimò ponderantur ſputa. Hæc difficillimè in acutis excernuntur mala ſunt; De his Hippo. 1. Epid. ſic dicebat. Tuſſiebant, & pauca cocta paulatim, vix excreabant. Mala etiam ſunt, quæ feruent in gutture, vel vt Hipp. 2. Progn. 48. ſtertorem inducunt: Sed peiora ſunt, quæ in totum retinentur, præcipuè praua, ſiquidem labores, delirium, & mortem minantur. Mala etiam ſunt, quæ facillimè educuntur, tuſſim autem non tollunt, ſed concitant, atque augent febrem, dolorem, & malam reſpirationem; ac peiora, ſi multa fuerint, & in aliquo, quibus ægri in deterius abirent, dierum decretoriorum apparuerint; Hæc enim in coſtarum, & pectoris affectionibus, ſigna praua, & lethalia iudicantur.

De perniicioſis, & infidis Abſceſſibus.

MAli abſceſſus oppoſitis notis, quam boni, enaſcuntur: ſiquidem boni cum ſignis coctionis erumpebant: hi autem cum ſignis cruditatis apparent; Illi in diebus Decretorijs, hi verò ſecus; illi ſuapte natura erant boni, hi ex propria natura ſunt mali. Illi in partibus ignobilibus, & morbo diſtantibus apparent: hi verò in locis proximis morbo, & in membris principalibus erumpunt. Primi perſeuerantes erant, atque ſuppurabantur: hi verò ſi perſeuerant, haud ſuppurantur. Illi copia humoribus peccantibus correſpondebant: hi autē vel pauciores, vel copioſiores, minores, vel maiores debito ſunt, & ſubitò exorti, ſæpè de repentè paulo poſt occultantur. Tandem primi cum bonis ſignis comitantur, ægros iuuant, nam vel morbos tollunt, vel ſaltem diminuunt: hi verò cum malis oriuntur, vel ea ſequuntur, ægros non iuuant, ſed lædunt, ſiquidem morbos non ſolum haud

haud diminuunt,ſed potius augent,& exitium accelerant. Veniamus autem ad conditionum iſtorum diſcuſſionem. Profectò nemini dubium eſſe credo excretiones cum ſignis cruditatis apparentes, haud eſſe fideles: Idcirco Abſceſſus cum talibus erumpentes tutos eſſe nō exiſtimo. Hoc benè Galenus 1.Epidem.expreſſit,nam quæ fuit cauſa,quod ancilla Pictoris obiret,cui abſceſſus erat ortus,& ad ſuppurationem venerat,niſi humorum in venis cruditas? Proinde Galenus in Com.dicebat. Poſſe fieri quapiam in parte priuatim coctionem, toto morbo non concocto: propterea tales, cum crudo morbo exorti,nō tuti,non fideles,ſed vt plurimum exitiales ſunt.

Excretiones,quæ diebus nō decretorijs erumpunt, imperiti etiam, malas eſſe iudicant,ratio eſt,quia peruertitur ordo naturæ, quæ forſitan multitudine,vel praua humorum qualitate irritata, ante tempus ad pugnam,& iudicium ſtimulatur: Ideo Abſceſſus, qui vltra Decretorios erumpunt,mali ſunt. At eo certius mali, ſi ſuaptè natura mali fuerint,quales deſcripſit Hipp.1.Progn.40. Tubercula circū dura bifida,inæqualia,& 6.Epidem.Foras non extumeſcentia,non acuminata,neque in turbinem gracileſcentia, non æqualiter matureſcentia, circum dura,non decliuia, atque bifida. Quod ſi huiuſmodi Abſceſſus cum febre continua comitabuntur, non ſolùm mali, verum atque vt Hipp.3.Epidem.in peſtilentia,quam adnotauit exitiales exiſtunt. Abſceſſus,qui pauciores,vel maiores debito, & conuenientia apparent, malitiam arguunt.De his Hipp.1. Epidem. His ſuccedebant abſceſſus aut maiores, quam vt ferri poſsint, aut minores, quam vt prodeſſent quicquam. Et antea dixerat:Papulæ paruæ, quæ non eſſent excernendis morbis.Et in hiſtoria Sileni: Papulæ cum ſudore rubentes,rotundæ, paruæ, Varis ſimiles permanebant, nec abſceſſus efficiebant. Abſceſſus verò quos copioſiores eſſe cognoſcimus (exceptis Purulentis) haud tuti exiſtimantur; ratio eſt, nam ex immenſa copia, multitudinem humorum peccantium præſagimus,è qua ſuſpitio eſt,vt nō modò cutis, verum atq; pars aliqua interna,ſeu princeps offendatur. De his in Coacis habemus. Quibus in febre continua puſtulæ toto corpore excitantur lethale,niſi ſuperueniat purulentus abſceſſus. Ex paruis etiam,aut magnis abſceſſibus in acutis febribus apparentibus, ne intus retrocedant,aut partes occupent principes veremur. De his Hippocrates 7. Epidem. tex. 94. affert caſum in Tymonactis puero. quapropter tales perpetuò periculoſi ſunt.

Tumores erumpentes ſi admodum fuerint rubentes, praui iudicātur;

tur; peiores verò liuidi, peſſimi autem nigricantes: ſiquidem ægris vitæ periculum minantur. Hoc videre poſſumus in Hipp. 1. Epidem. 1. tex. 38. in illa peſtilenti conſtitutione: nec non in Sileni, & Critonis obſeruatione. Abſceſſus, qui nulla præcedente humorum euacuatione, arte, vel naturæ artificio molita, euaneſcunt, vel delirij, vel mortis periculum imminere declarant. Retrahuntur enim Galeni teſtimonio 1. Prorrhet. com. 1. ſine ratione: quapropter tubercula, puſtulæ, tumores, & exanthemata intus recurrentia, atque ſine ratione euaneſcentia, deterrima exiſtunt: à virium equidem lapſu, talis fit recurſus; inde mors acceleratur: ſiquidem languida natura excretiones quidem aggreditur, at præ languore perficere, & abſoluere nequit. Ex loci poſitu, Abſceſſus illi mali ſunt, qui propè viſcera in acutis cum ſignis cruditatis erumpunt. Hinc propè aures ſemper ſunt ſuſpecti, nam cerebro proximi ſunt. Sic, & tumores ſub alis; Bubones in inguinibus, præſertim tempore peſtilenti, vel in malignis febribus: ſiquidem cum ijs interna viſcera, principesque partes compati poſſe ſuſpicamur. Tandem Abſceſſus cum malis ſignis erumpentes, vel illa ſequentes haud boni eſſe poſſunt: ſunt porrò ex iudicatorijs non iudicantibus: Pari ordine iudicantur ij, qui febrem non tollunt, nec ægros iuuant, ſed potiùs lædunt, & exitium afferunt. Reliqua quæ huic addi poſſent adeat lector ſcriptores noſtros: ſiquidem hæc adduximus, vt ſudores ſymptomati, cum ſigna praua, & prauas excretiones comitantur, faciliori induſtria perciperentur. Vt autem lector magis ſe exerceat in his cognoſcendis, in eius gratiam loca ex Commentarijs lib. Prorrhet. adnotare voluimus, quæ ceu ſaluberrima exempla in obſeruationibus apud infirmos, deſeruire poterunt. Accipe ergò.

Ex Primo Prorrhetici Commentario.

VRinæ in turbulentis, vigilibusq; decolores, nigræ, ſublimè petentes, atq; in ſudoribus phreneticæ. tex. 4.

Qui in hypocondrio refrigerata febre, ardores relinquuntur, tum aliàs, tum in ſudoribus mali ſunt. tex. 7.

Mente aberrantes acutè ſuperfebrientes cum ſudore, Phrenetici fiunt. tex. 16.

Quæ cum refrigeratione, non ſine febre ſuperioribus ſudanti partibus fiũt, implaciditates, inquietationesq; phreneticæ exiſtũt. tex. 26.

Ex

Ex Secundo Prorrhet. Com.

SI qui ſudantes, & præſertim capite in acutis paulùm implacidi fuerint, malum, tum aliàs, tum ex Vrinis nigris, turbidus quoq; & in his ſpiritus malus. tex. 4.

Quibus lumborum dolor diù perſeuerans, æſtu faſtidioſo fit, ſi ſudant malum, an, & in his tremor fit, & vox, vt in rigore. tex. 7.

Sudor multus, ſi cum febris acutis fiat inutilis. tex. 23.

Quæ in iudicatorijs diebus, cum proiectu, & inquietatione, & abſq; ſudore perfrictiones fiunt, malæ exiſtunt, atq; ex his ſuperuenientes rigores mali. tex. 27.

Si ex perfrictione ſudantes, recaleſcant malum, ex his quoque laterum æſtus, doloroſus, & rigor ſuperueniens malum. tex. 32.

Aeſtuoſi ſudores, quadantenus pernicioſi, flammans quoque cum ſudore facies in his mala, ex his poſteriorum refrigeratio conuulſionē accerſit. 33.

Si in ſudoribus vigiles recaleſcant malum. 34.

Febris cum Comate, labore, lucis turbulentia, vigilijs, & ſudoribus malignæ. 42.

In febribus ad Hypocondrium dolores, ſine voce, ſudores ſi ſoluuntur maligni, his ad coxas dolores cum ardente febre, & ſi aluus eruperit pernicioſum. tex. 58.

Quibus deurentia, fatuitatem inferentia, inducentia Catochen, variantia, hypocondria, ventre tumidi cibis intercluſi cum ſudoribus, an his ſpiritus turbidus, & genituræ quippiam ſimile ſuperueniens, ſingultum indicet: Ventrique tum ſpumoſa, tum bilioſa procurrant? Emittunt in his, ſplendidum viuat, & venter his perturbatur. 60.

Ex Tertio Prorrhet. Com.

SI ex capitis dolore Aphoniæ fiant, atq; cum ſudoribus febrientes laxentur in ſeipſos, & mala repetant, diutiùs perdurant, & ſuperrigere his malum eſt. tex. 2.

Ex ceruicis dolore comatoſo, & ſudante venter inflatus, ſi ad neceſſitatem liquida laxauerit, ſublutus ex his bile carentia in Ectaſin aguntur, talia autem ſi ſeruentur, diutiùs æger laborabit. An & his bile carentes profluuies mitiores, melioriſque moris exiſtunt, & fla-

tuoſum adiuuerint tumorem. tex.6.

Qui principio ſudant vrinis coctis, deuruntur q;, & abſq; iudicatione refrigerantur, & celeriter peruruntur, torpidi item, comatoſique & conuulſiui perniciosè habent. 10.

Tremula conuulſoria, facta cum ſudoribus redire conſueta, his iudicatio euenit, vbi ſuperriguerint, ſuperrigent hi præcluſo in ventre ardore. tex. 13.

Vrinæ detentio, & quibus rigores ex his conuulſiones, vt & ipſa vbi inhorruit ſudauit. 17.

Turbulentæ, ferocesq; è ſomno excitationes conuulſiuæ, tū aliàs, tum cum ſudore. 19.

Cubiti, & ceruicis dolores conuulſiui, à facie autem hi, atq; in faucibus ſonitus multi cum ſaliuatione, ſudores in his per ſomnos boni, an, & ſudore, quam plurimos leuari non malum. tex. 21.

Qui in febribus ſudant cum capitis dolore, intercluſa aluo conuelluntur. 23.

In ſudore ſputa præterfluentia, febrienti ægro leuia, an ad dies aliquot ventres humectantur? arbitror: an his abſceſſus in articulum futurus? 30.

Sanguinis ad latum diuerſum eruptiones malæ, vt ſi cum lienis magnus fuerit, dextra ex nare fluat, atq; res in hypocondrijs, ita habet, cū ſudore deterius id exiſtit. tex. 33.

Ex naribus exiguo cum ſudore per frigeſcentia, maligna, prauaque. tex. 34.

Sanguinem perfundentia cum deſudatione, vulnera mala loquentes, ita affecti occultè pereunt. tex. 36.

Qui compoſiti perturbantur, peruigilant, naribus ſtillant, ſexto die leuantur, nocte laborant, poſtridie ſudant, in ſomnum feruntur, delirantq; abundè ſanguinem perfundent, an & aquoſa vrina tale quippiam indicat? 40.

Quibus ex copioſa ſanguinis eruptione, & frequēti nigrorum multorum eſt deiectio, & tenſio, ſanguinem hi profundunt, ventre dolentes, cum quadam verò fluxione facilè ferunt. An hi ſudores frigidos habeant multos? returbata his vrina mala non eſt, neq; quod reſidet genituræ ſimile; frequentius verò hi meiunt aquoſa. 48.

Qui in horroribus ſimul iudicatoriè ſudant, poſtridie verò, vbi inhorruerint, præter rationem vigilant, hos ſanguinis eruptionem incurſuros puto. 57.

An primum capite doleant, vel & ſuperiore ſudent parte, & ſuperrigeant? deinde & venter deiciat, & comatoſum, &c. 71.

De Sudoribus Retentis. Cap. IV.

GAlenus in lib. de Sympt. Differ. cap. vltimo. Loquens de ſymptomatis, quæ in excrementorum mutatione conſiſtunt. Sudores modò immodicè digeri, modò indebitè retineri pronunciauit. Cum verò nos ſpatioſiſſima campa tranſiuerimus circa illos qui modicè, vel immodieè excernuntur, iuſtiſſimum eſt de ijs differere, qui retinentur, & excretionis exitui minimè apparantur: ex qua cauſa inter ſymptomata in affectibus præter naturam, de genere retentorum immodicè eos eſſe pronunciamus. Quæ autem ſit cauſa ſudorum retentionis. Galen. in lib. de ſymptom. Differ. cap. 6. Vel rationis cutis pororum, vel facultatis, vel humorum natura contingere aſſeruit. Hoc itidem confirmauit. 3. de cauſ. ſympt. 2. Quippè cutis meatus habere poteſt occluſos, vel per conniuentiam, vel per obſtructionem. Conniuentia fit, vel atrophia: vel refrigeratione, aut mollitie, vt aliàs diximus. Obſtructio ob humorum craſſorum, lentorum, & viſcidorum infarctu ſuccedit. Humores retineri poſſunt, vel quia craſſi, crudi, lenti, & tenaces ſunt. Facultas non excernit, vel quia infirma, vel imbecillis quandoq; eſt. De his etiam differuit. 1. de ſanit. tuend. cap. 13. vbi ad hæc adiungit, caloris imbecillitatem, qui excrementa nec reſoluere, nec attenuare valeat. Auicenna autem 1. 2. Doctr. 2. cap. 6. præter hæc, Excrementorum retentionem ad virtutis retentiuæ fortitudinem adſcripſit. Vidus Vidius ſenior lib. 3. de Curat. generat. cap. 8. ad expulſiuam infirmam, & retentionem nimis auctam ſudores retineri voluit. At Ioannes Coſtæus, & Ioannes Paulus Mongius in Annotationibus ſuper Auicenn. ad defectum, vel præſentiam materiæ referre videntur. Ex quibus ingenioſus lector ſudorum retentionis occaſiones benè recolere poterit.

Veniamus modò ad præſagium à retentis ſudoribus. Equidem ſi hi retinentur, quando excreti prodeſſe poſſent, proculdubio; doloſum eſſe morbum vereri oportet: ſiquidem actus hic contra naturam eſt, eo quia opus naturæ minimè eſt, vt ea retineantur in corpore, quæ ſui natura moleſta eſſe conſueuere. Propterea in continuis febribus, in ardentibus, acutis, & ijs, quæ cum viſcerum inflammatione copulantur

tur (has Galenus 3.de Criſ.ſudoribus, vel alia proba excretione iudicari aſſeruit) ſi quando ſudores expectamus, eos retineri exploramus, vtique exitium timere poſſumus, præſertim ſi excrementa cruda fuerint. Nam vel humores adeò crudi, vel craſſi fuerint, vt nec expelli, nec attenuari poſſint, vel calor eſt debilis, vt alterare nequeat, vel peccat facultas expulſtrix, vel ipſi cutis meatus ſunt vitiati: Hinc æger in periculo verſatur. Idcirco ſi tales affectus abſque ſudore, ſeu alia proba euacuatione, iudicari aliquando videntur; licet illa iudicatio in die ſuccedat Decretorio, & forſitan infirmi in meliùs mutari, & releuari ſentiantur, eo quod febres integrè abſolui, ſymptomataque diminui conſpiciantur; nihilominus malum, & infidum eſſe morbi iudicium, infidamque remiſſionem iuſtiſſimis de cauſis eſt ſupponendum. Non enim ijs fides habenda eſt, ex teſtimonio Hipp. 3.Epidem.1.tex.8.quæ ſine ratione infirmos iudicant, aut releuant: propterea ex hoc infido iudicio, non modo reſidiuas, & labores, ſed etiam mortem ſæpenumero arguere poſſumus. Profectò tales infirmi nec diù ſani perſiſtunt; ſiquidem poſt pauca temporis interualla in peius ruunt, recidiuant, & vt plurimùm exitio ſubijciuntur. Hippocrates, qui plurima ſcripſit, paſſim in Epidemijs inter ſuas obſeruationes; de ſudoribus retentis non paruam mentionem fecit, & à nõ ſudare præſagium reliquit; prauum nimirum ineſſe ijs febribus, quæ ſudoribus terminari conſueuere, ſi abſque ſudore iudicentur. Referã aliquot in ſtudioſorum gratiam.

Hermocrates inciderat in febrem ardentem, malignam, cum viſcerum inflammatione, ſiquidem hic habebat febrem vehementem, linguam aduſtam, ſitim, & hypocondrij tentionem. Profectò febris hęc ex Idea morbi, ſudoribus terminari poterat, quia autem non ſudauit mortuus eſt infirmus. Afferam hiſtoriam. Hic à prima die cum ſignis cruditatis vſque ad quintam incedit: Quinta minxit tenuia, habebant enaeorema, non ſubſidebant, ad noctem delirauit. Sexta ictericus, omnia exacerbata ſunt, haud mente conſtabat. Septima moleſtè, vrinæ tenues, ſimiles ſequentibus ſimiliter. Circa verò vndecimam exiſtenti cuncta viſa ſunt alleuiari, coma incœpit. Vrinæ craſſæ, ſubrubræ, infra tenues, non ſubſidebant: quietè intelligebat. Decimaquarta abſque febre: Non ſudauit; dormiuit intelligebat omnia: Vrinæ ſimiles: Circa decimamſeptimam exiſtenti redijt, calefactus eſt. Sequentibus febris acuta: Vrinæ tenues: Rurſum autem vigeſima iudicatus eſt: ſine febre: Non ſudauit, cibum auerſabatur toto tempore, intelligebat,

loqui

loqui non volebat: lingua præarida, non ſitiebat, dormiebat, comatoſus. Circa verò vigeſimam, & quartam iterum incaluit, aluus humida, multis tenuibus fluens, & ſequentibus febris acuta, lingua combuſta eſt. Septima, & vigeſima mortuus eſt.

Ex hac hiſtoria benè capimus à nõ ſudare ſæpè ſæpiùs infirmos cadere. Hic porrò ſine ratione in vndecima viſus eſt alleuiari, & 14. iudicatus eſt; ſine febre: Tamen dicit Hippocrates, non ſudauit: per quæ voluit manifeſtare falſam fuiſſe iudicationem; propterea hic recidiuauit decimaſeptima, & febris acuta apparuit: ſiquidem fidendum haud eſt, morbis, aut ſymptomatibus citra rationem euaneſcenribus: nam hæc, vt plurimùm reuertuntur, & interdum mortem afferunt. Hoc autem oculatim (vt dicam) obſeruamus, quando præ imbecillitate, natura cum morbo pugnam non intendit, & ex ſui deiectione videtur morbus minorari, & ſymptomata minui, quemadmodum in tumoribus inflammatorijs ſuccedit, quando ipſa nec concoquere, nec alterare valet. Profectò tunc febres ceſſant, & dolores, abſque tamen ratione: ſiquidem in puris confectione, dolores, & febres accidunt magis, quam iam confecto: Inde mirum non eſt ſi in talibus ægri ex morbi fallacia in peiora mutantur. Hippocrates in Hermocrate nomine ſudoris, aliàs etiam videtur intelligere euacuationes, febres enim ardentes, quales ſunt eæ, quæ inflammationes viſcerum ſequuntur, potiſſimùm ſudore terminari ſolent, quapropter illo non excreto, nec viſo, veriſimile eſt, alias excretiones criticas minimè ſubſequutas, quod ex eo maximè capitur: nam Vrinæ erant abſque notis coctionis. Vide alteram morbi fallaciam. Hic vigeſima die iterùm fuit iudicatus, & apparuit ſine febre. Sed non ſudauit: propterea fallax etiam erat iudicatio: Morbus enim abſque bonis ſignis, & ſine euiednti euacuatione terminabatur, proinde malus rei euentus præſagiendus erat; Atque ita ſucceſſit, ſiquidem hic 24. iterùm incaluit, & 27. mortuus eſt. Veniamus ad aliam hiſtoriam.

Filia Euryanactis in febrem acutam, & contiuuam inciderat: quippè Hippocrates, & Galenus iſtius effectum vocant febrem magnam. Hæc in ſexta die crudo exiſtente morbo iudicata eſt, & libera à febre videbatur, ſed non ſudauit: propterea malum erat iudicium, nõ enim factus eſt ſudor, qui fieri debebat, ideo de iure recidiua erat expectanda; quæ in ſeptima viſa eſt, atq; prauum eſſe morbum nunciauit. Profectò ſudor potiùs, quam alia excretio in Virgine hac expectabatur: ſiqui-

ſiquidem in eius hiſtoria dicit Hippocrates. Cibos non capiebat,ab aluo autem pauca exibant: Vrinæ tenues,paucæ, non boni coloris: inchoante autem febre circa ſedem dolebat. Idcirco vomitum habere non poterat,nam cibos haud capiebat; Non alui fluxum, nam ex illo pauca exibant: Nec fluxum per vrinas, nam erant paucæ: Nec fluxũ ſanguinis,nam in ſede dolebat, ex qua, motus naturæ poterat diuerti: Reſtabat tantummodo excretio per ſudorem, quæ morbum iudicare potuiſſet. Hæc autem,quia non apparuit, idcirco Hippocrates in ſexta iudicatum fuiſſe aſſeruit, vt tamen malum fuiſſe iudicium declararet,ac perinde morbum fore rediturum, adiunxit,non ſudauit. Hac via equidem morbi malitiam indicauit. Hæc 17. mortua eſt; ſiquidem ſeptima,& octaua incaluit, & ſudauit, & in poſterum extrema frigida ſemper habuit. At licet ſudauerit,nec tamen adiuta eſt: nam parum riguit, parum incaluit, & parum ſudauit, erat enim imbecillis virtus expultrix: Ideo cum impetu haud potuit, copioſum ſuſcitare ſudorẽ, ex quo retento indeterius vſque ad exitium affectus proſequutus eſt. Ecce modò quanti exitij eſt, & quam fallax eſt iudicium in acutis non ſudare in ijs affectibus, qui ſudorifica excretione terminari conſueuere. Sed pulchrum adnotandum in hoc propoſito in Hiſtoria Sileni. 1. Epidem. ab Hipp. capitur. Ille in octaua ſudauit per totum frigidum: exanthemata cum ſudore rubra, rotunda, parua, veluti Vari permanebant, non abſcedebant. Hippocrates per exanthemata notas retenti ſudoris ſignificauit, & tamen Silenum per totum ſudaſſe voluit. Propterea ſciendum in Sileno ſudorem ob excrementorum prauorũ copiam fuiſſe ſuſcitatum; ſiquidem à prauis ſuccis fuit natura irritata in die octaua, quæ nec Decretoria, nec indicatoria erat, cumq; ad cutem maleficos illos humores emitteret, pars ipſorum ſubtilior, & ſeroſior ſenſibiliter excreta ſudorem faciebat; craſſior verò in cute firmabatur, ex qua exanthemata illa originem habebant, adeò quod ex ſudoribus duo in Sileno infida ſigna cernebantur; ſudor ſcilicet malus, & ex irritamento excretus, & ſudor retentus, qui papulas generabat; quæ vti ſoboles craſſioris humoris, & viſcidioris permanentiam habebant. Proueniebant hæc omnia, tum à materiæ exuberantia praua, & craſſa, tumatq; ab infirma natura, quæ materiam haud potuit ſuperare. Si enim valida, & vigorata extitiſſet, forſitan humores concocti fuiſſent, & ſudores haud retenti, nec excreti præter ipſius ordinem extitiſſent, præceſſiſſet enim ſuccorum coctio, & ſalutaribus ſudoribus, vel alia proba excretione Silenus iudicari viſus eſſet.

Sudo-

Sudores itaq; retenti, nunquam vtiles in hiſce morbis fuerunt, ob id Hippocrates tanti fecit in ſuis obſeruationibus, vt præſagium ex non ſudare, reliquere noluerit. Quippè ſcriptum reliquit in Coacis. Anxietudines in diebus iudicatorijs, ſi in his ſine ſudore, perfrigerentur, & omnes, qui ſine ſudore perfrigerantur citra iudicationem, malè ſe habere. Et inferius. Dolores ad præcordia in febre, voce intercepta, ſine ſudore ſolutos, malos eſſe. Hinc Fracaſtoreus lib.2.de Morbis contag.cap.5.exagerans retentum ſudorem. Sudorem Anglicum refert, qui infinitos iugulauit, ex ſui retentione infinita mala produxiſſe: Siquidem Medici, vt homines à tanta lue peſtifera liberarent, ne vna die infirmi ſitum mutarent, ne ſudores retinerentur, iubebant: quam moleſtiam, qui ferre potuere; euaſerunt, ſecus verò, qui ſe iactantes, decupitum mutabant: intercepto enim ſudore periere. Auicenna ſudorem conſuetum hicteritiam prædicere aſſeruit; & Andernacus in Tom.1.Dialog.7.de Noua, & Veteri med. ponderare volẽs, quid ex ſudore intercepto, & retento contingere poſſet, cutis affectus, pruritum, ſcabiem, lepram, & febrem ex illius ſuppreſſione poſſe innaſci ſcripſit. Et in Dialog.8. Inueniri etiam paruulas, & aquoſas puſtulas in cute extantes ſubiunxit. Hæ à ſudando græcè ἱδῶα nuncupantur. Emergunt ſubitò in corpore vniuerſo, hic, illic diſperſæ: frequentiùs autem in manibus, pedibusq, milij magnitudine, aqua plenę ruboris, dolorisq; expertes. Ex ſudoribus ſub cuticula retentis innaſcuntur; qui per latentes cutis meatus minimè diſſipari poſſunt. Hæ, papulæ ſudorum à quibuſdam nominantur.

Auicenna hunc affectum 4.7.Tracta.3.cap.8.& 10. Sudationes, & plantam noctis vocat, ratio eſt, quia à frigore noctis potiſſimùm hæ ſuccedunt. Latini vocant ſudamina. Hæc quædam tubercula lata, & humida eſſe ſolent, quæ modò cum pruritu, modò abſq; illo oriuntur. Suſcitantur quoties intentat natura per cutaneas partes ſudorẽ excernere: à cutis autem denſitate ſudor intercipitur, proinde ex huius materia retenta, & non penitus conſumpta, cutis in tumorem eleuatur. Tales ſunt etiam Vari, lenticulæ, & quæ à Græcis ἐφελίδες dicuntur. Furunculi, & ſimiles affectus. At Hippocrates, & Galenus 3.Aphor.21. alia Hydroa adducunt his longe diſſimilia. Facta enim refert Galenus à ſudore bilioſo, acri, & mordaci, ex quo vlceroſa dicuntur: atq; ita hæc tubercula expreſſit. Sudamina autem è genere puſtularum in ſumma hærentium corporis parte, quæ inſtar vlcerum cutem exaſperant. Proueniunt autem, quemadmodum, & ipsũ

oſten-

oſtendit nomen, propter multos ſudores, qui, vel biliosiores, vel omninò mordaciores exiſtunt. Mordent enim hi cutem, & pruriginosã efficiunt, & per modum vlcerum exaſperant.

Teophraſtus in lib. de ſudoribus huiuſmodi populos bene explicat. Docet enim ex ſudore interdum tumores fieri Varis ſimiles, atque vlceroſos, & elegantem adducit rationem. Quippè ſudores omnes ſalſi ſunt, & pauliſper acres, non adeò tamen, vt ſemper cutim exulcerare queant. At vlcerant, ſi ſudorificæ materiæ, ichores putridi, bilioſi, & ſalſi miſcentur, vt in Fauis, Achoribus, & quibuſdam alijs vlceroſis tuberculis. Differuit de his Tagaultius 1. Inſtitut. Chirurg. cap. 2. Fernelius verò lib. 7. de externis corporis affectibus cap. 5. Hydroa videtur innuere eſſe exiguas, & aquoſas puſtulas, quæ emergunt repentè ſparſim toto corpore: ſed frequentiùs in manibus, pedibusq; milij magnitudine aqua plenæ, ſine rubore, ſine vllo dolore. Hæc poſſunt conferri cum ſuperioribus ex Andernaci mente, quæ tubercula vlceroſa non ſunt, & vocantur à multis papulæ ſudorum, vt fecit Plinius. Omnia fiunt ex ſudoribus ſub Epidermide coercitis, quoties per cutis ſpiramenta minimè digeri poſſunt: Quæ autem ſit occaſio, vt modò exulcerent cutim, modò verò ſint pruriginoſa, & modò ſine pruritu exiſtant: ex ſupradictis credo lectorem faciliter poſſe concipere: ex qua etiam ratione mirum non eſt, ſi ſcriptores aliquot admodum inter ſe differre conſpiciamus. Nam cum multa ſint tubercula, quæ circa corpus oriri poſſunt: ſiquidem aliqua ex materia minus ſalſa, aliqua ex ſalſiori cum acredine, non nulla ex materia admudum correpta, quædam ex miſcela nitroſæ, ſalſæque, pituitæ, vel ex ichoroſi, & putridi, bilioſi, & ſalſi excrementi, alia ex commiſtione pituitoſi, vel melãcholici humoris, cum ſanguine ichoroſo fiũt: factum eſt, vt aliquæ puſtulæ ſint duræ, aliquæ molles, aliquæ pruriginoſæ, nonnullæ ſine pruritu, multæ vlceroſæ, aliquæ verò ſine vlcere: Omnes enim ſudoris retenti ſub cute qualitatem ſequuntur, & illæ materiæ qualitatem illius ſucci, à quo innaſcuntur. Tandem ſi ſudor fuerit ſalſus, pruritum, ſcabiem, & pruriginoſas puſtulas efficiet: Si aduſtus, & contagioſus, lepram, & elephantiaſim; ſi putridus, vel inflammatus febres, & varias inflammationes: Si cum putridis, & ſalſis humoribus vlcera, & varia puſtularũ genera, diſrupta, putrida, & pus manantia. Reliqua tubercula, quæ ex retentis ſudoribus ſuccedunt, adeant lectores ad ſcriptores noſtros.

De vlceroſis Hydrois credo Virgilium loquutum eſſe. 3. Georgic.

dum

dum inciderat in peſtem pecudum, ſiquidem hiſce verbis expreſſit.

Ardentes papulæ, atq; immundus olentia ſudor
Membra ſuquebatur, nec longo deinde moranti
Tempore, contractos artus ſacer ignis edebat.

Has papulas exponens Seruius, explanauit ſudorem immundum eſſe morbum pedicularem: ſed perperàm profectò; quippè morbus pedicularis longè ab vlceroſis Hydrois abeſt, de quibus Virgilius loquutus eſt. Has papulas paſtores noſtri vocant, la ſchiauina, qui morbus admodum differt à ſudaminibus priori loco narratis.

Inſuper à retenta ſudoris materia alij morbi ſuccedunt, inter quos eſt morbus Hydrocephalus, qui fit ex aquoſo humore tum extra, tum intra cranium detento. Aſcites ex eadem materia inter membranā Peritonæum, & inteſtina recepta Hydrocele in teſtibus: Hydrops aquoſa in vtero, & reliqui, qui in profundioribus partibus aquoſam materiam, & ſudorificam habent. Sed accedamus ad quæſitum illud; quid apud Galenum intelligatur ſudoris profundatio? Hoc autem paucis abſoluam. Porrò in lib. de Anatomia viuorum inter aſcriptos Gal. in cap. de Anatom. pannicul. fœtus: Pro ſudoris profundatione, intelligitur proxima membrana, qua fœtus obuoluitur in vtero: ſiquidem ex tribus exuitur: prima, quæ illius cuti adhæret Amnion dicitur à mollitie. Hæc fœtus ſudorem excipit: Secunda appellatur Allantoidon, & facta eſt, vt pueri vrinam coaceruet. Tertia Chorion Græcè, quaſi radicatio, quia in ipſa infinitæ venæ radicantur, Has Latini appellant ſecundas, ex quibus primā vocarunt ſudoris profundationem; Hæc autem leguntur loc. citato: Similiter fœtus in vtero matris inuoluitur tribus pelliculis, quarum prima verſus fœtum tenuiſſima eſt, & dicitur camiſia pueri, vel ſudoris profundatio: Iſta enim pellicula abſtergit puerum à ſudore, qui eſt quaſi aerea ſuperfluitas.

Quid autem operentur ſudores euocati, ſed non abſterſi, tempus eſt, vt diſſeramus: ſiquidem multos oriri affectus à ſudore non abſterſo perpetuò obſeruamus. Profectò cutim, prudentiſſima natura pluribus forauit ſpiraculis, vt ijs excrementa craſſa, tenuia, & vaporoſa commodè excerni poſſent. Hoc in principio huius operis aliàs tetigimus. Idcirco ſi huiuſmodi foramina clauduntur, proculdubio naturæ ſtudium impeditur. A ſudoribus non abſterſis, & circa cutis ſuperficiem exiccatis, faciliter pori cutanei occludi poſſunt, & eo potiſſimùm ſi poſt excretionem refrigerantur: Proinde impeditur corporis tranſpiratio, & vaporoſa excrementa, & aduſtæ fuligines retinentur.

Xx Hinc

Hinc ex febres, laſſitudines, inflammationes, abſceſſus, multa tubercula, & aliæ affectiones oriri conſueuerunt: adeò quod duplici de cauſa ex non abſterſo ſudore morbi concipiuntur, vel ex cauſis internis, qa pori obſtructi confouent; vel ex externis, quia ipſimet non abſterſi progignunt. Equidem ſudores ſalſi, acres, pruritus, & ſcabiem generant, ſi autem putridi fuerint, vlcerationes, excoriationes, inflammationes in cutaneis partibus ſuſcitant; vt ſæpiſſimè circa pudenda, & in ſecretioribus corporis partibus à ſudorum corruptela, multos conqueri audiuimus. In hac re laudandi veniunt priſci Romani, qui (teſte Polidoro Virgil. lib. 3. de Inuent. rer. cap. 13.) bis in die, pro mundandis ſordibus, ne circa cutem retinerentur, lauari conſueuere in Balneis; & in abſtergendis ſudoribus admodum videbantur ſolliciti, quippe lintea, ſpongias, & ſtrigiles ſecum ferebant, vt huic ſtudio incumberent; de his ita inſinuat Perſius Sat. 5.

I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Quare poſt exercitia, labores, & alios motus, ſudores fore abſtergendos in ſanis corporibus, ne in affectus diſponantur, laudatiſſimum iudico. In corporibus verò infirmis, quando ſudore opus eſt, non eſt naturæ motus intercipiendus, abſoluto tamen iudicio, & peracta criſi, abſterſio prodeſt; ne ex relicto ſudore, iterum affectus renaſcantur. De ſudorum abſterſione, & remedijs, quæ poſt euocatum ſudorem vtilia eſſe cenſentur, lege Gal. 3. de ſanit. tuen. 2.

De Morbis, qui ſudoribus terminantur. Cap. V.

IAm morborum, qui ſudoribus terminari cõſueuere, nobis offertur inquiſitio: conſultò equidem caput hoc adduximus, vt tum in praxi, tum in lectionum exercitatione nil quicquã lectores pro exacto ſcrutinio in Hydronoſo negotio appetere queãnt. Profectò licet ſudor penè cunctis morbis, eo quod eius materia omnes reſpiciat, communis eſſe poſſit, tamen nonnullos dari affectus, qui ſæpiùs hac, quam alia euacuatione iudicari contingunt, in præſentiarum comprobabimus. Arduum quippè non eſt, ex copioſo ſudore multos terminari morbos poſſe cognoſcere; ſiquidem natura, & morbus ipſe ſudores quandoq; expectandos præſagire conſueuerunt. Porrò ad ſudorum eruptiones, natura illa habilis iu dicatur, quæ tum materiam, tum loca idonea conſeruat,

ſeruat. De ſudorum materia longiſſimè actum eſt; quæ tamen fluxibilior eſt, qualis aquoſus humor, vel alter ſuccus tenuis reperitur, quippè ad ſudores ciendos magis diſpoſita exiſtimatur, craſſa enim, vel viſcida ad cutis foramina non æquè faciliter tranſmittitur. Locus è quo ſudor erumpit, ad cutis foramina refertur. Hæc autem ſi patent, qualiter in laxa, & molli cute reperiuntur, ſudoribus aditum faciliter præſtare dicuntur, ſin autem occluſa, vel aſtricta, vt in duro, & denſo habitu corporis inſunt, tantùm abeſt, vt exitum ſudoribus præbeant, vt potius intercludant. Ex his morborum præſagium, qui tali excretione iudicari poſſunt, nobis reſultat: quippè in morbis dum habilem naturam ex molli cute, & tenuibus ſuccis ad ſudandum obſeruamus, facilis eſt coniectura talem affectum ſudoribus poſſe terminari: nam ſi materia morboſa tenuis eſt, & in eo forſitan reſideat loco, vnde ad cutem transferri poſſit; proculdubio ſudores indicabimus; Proinde tertianæ febres propter flauam bilem, è qua generantur, potiſſimùm ſudore terminantur: Hinc etiam acuti morbi, eo quod à ſuccis tenuibus, & bilioſis fiunt, frequenter ſudorificas habent iudicationes. Secùs qui à craſſa pendent materia, ſiquidem hæc, vt in ſudores poſſit euocari, longa indiget extenuatione. Accidit autem hoc temporis tãtùm longitudine, veluti in Quotidianis, & Quartanis febribus, & in longis morbis, qui à pituita fiunt. De his legitur exemplum in Hippocrate. 1. Epidem. de Cleonactide; quem octuageſima die, ſudore fuiſſe liberatum obſeruauit.

Sed accedamus ad Sapientiſſimum Galenum, qui 3. de Criſ. cap. 3. loquens de morborum terminatione, vt Medici Criſes, & morbi mutationes, num ad ſalutem, vel ad perniciem tendant, cognoſcere valeant; multa conſideranda proponit. Primum quidem, & maximum inſtantis bonæ Criſis indicium, ſunt coctiones. Secũdum autem, quod ab aliqua die indicatoria antea indicetur, cui annexa eſt diei iudicantis potentia. Deinceps autem inſpicere oportet, & ſpeciem morbi, & morem: ſpeciem quidem ſi tertiana, vel quotidiana, vel febris ardens vel pleuritis, vel peripneumonia: morem autem ſi moderatus, & mitis, vel prauus, atq; malignus. Deinde ſi formæ morbi excretio reſpondeat. Hæc Galenus. Quæ omnia ſi medicus penſitabit, proculdubio morborum terminos, quibus iudicantur, conſequetur. Equidem aliàs diſputauimus excrementorum coctiones, vrinarum ſcilicet, alui, ſputaminum, &c. maximopere morborũ ſecuritates, cruditates verò perniciem, labores, & recidiuas portendere: quapropter ex his duabus,

magnam præſagij partem circa morborum ſolutiones adipiſcetur. Sæpè autem numero magis vrinæ, quàm ſputa, vel alui excrementa, ſunt contemplandæ: ſæpèque magis ſputa, non raro etiam magis alui materiæ: ratio eſt morborum diuerſitas; namq; in morborum thoracis, atque pulmonis ſputamina magis, alijs verò non neglectis excrementis, ſunt contemplanda: ſi verò quis tantum febriret, ſine alicuius viſceris inflammatione, aut cum inflammatione hepatis nimirum, renum, veſſicæ, vel ſplenis, maximè vrinis animum adhibere oportet: ſicut ſi circa ventriculum paſſio ſit, alui excrementa prius deinde vrinæ ſunt obſeruanda; ſemper enim, vt citato loco voluit Galenus, cum febris affuerit, vel ex ſola humorum putredine accenſa, vel ex membro inflammato, vrinæ præcipuè inſpiciendæ ſunt, & exinde coctiones examinare.

Secundum indicium erat, vt ab aliqua die indicatoria criſis indicetur. De hac nos alibi tum in bonis, tum in malis diſſeruimus, ſic & de ſpetie morbi, & more verba fecimus. In præſentiarum verò, quod attinet ad eos noſcendos morbos, qui ſudoribus ſolui cõſueſcunt morborum formam eſt compenſare: ſiquidem hæc docet excretiones inſpicere, & an ipſi morbo correſpõdeant iudicare: quippe (vt à Galeno 3. de criſ. cap. 2. capimus) non mediocris eſt corporis ęgri perturbatio, quæ criticas excretiones antecedit; adeo quod ſi imperitus fuerit iudex, facillimè incidet in ignorantiæ laqueos. Nam & difficiles tolerantiæ, & vigiliæ, deliria, graues ſomni, difficiles anhelitus, vertigines tenebricoſæ, fiunt difficiles ſenſus, dolores capitis, colli, & ſtomachi, & multorum aliorum membrorum, nonnullis verò aurium ſonitus, & vani ante oculos apparent ſplendores, & lachrimæ inuoluntariæ effluent, & vrina retinetur, & labrum agitatur, obliuio, & præſentium ignorantia, & vehemens accidit rigor, & plurimum acceſſio conſuetam anticipat horam, & multus æſtus, ſitiſque intolerabilis ſequitur, clamant, & ſaliunt, ſicuti furentes, neque poſſunt in eodem ſitu recumbere, deinde repente multus ſudor erumpit, aut vomitus aliquis non paucus inſequitur, aut venter ſubitò ſoluitur, aut abundans ſit fluxus ſanguinis, aut hæc omnia ſimul contingunt. Vnde non paruus inuadit timor aſpicientes. Hæc ſunt ſigna, quæ præſentem criſim denunciant. Quo autem termino hæc finiatur, Galenus ad morbi formam recurrit. Si enim ſit febris ardens, vel ſanguis è naribus profluet, vel poſt vehementem rigorem ſudor multus, & calidus per totum corpus emanabit, aut per vomitum, aut per al-

uum biliofa excernentur. Ita & Tertiana vomitibus, & excrementis alui biliofis, & ſudoribus multis toto corpore fluentibus iudicabitur. Plurimum autem pituitæ in Quotidianis febribus excernetur, & multi in toto corpore ſudores fient. Iudicat autem & Phrenitidem ſudor bonus, & præcipuè ſi ex capite multus, & calidus fluxerit, ſudante ſimul reliquo corpore: contingit autem aliquando, quod etiam per ſanguinem è naribus fluentem Phrenitis iudicatur. Ecce modò quomodo per formam morbi, ſolutionis terminos, & finem conſequimur: Ideò veniamus ad affectus illos, qui ſudoribus terminantur. In hac re ſit prima theſis, ſudores omnibus febribus eſſe proprios: inter has autem primum locum tenent ardentes, calidiores, acutæ, & vehementes: ſiquidem ijs maximè humores, & ſeroſas humiditates poſſe extenuare, poroſque cutaneos caloris vehementia aperire datum eſt, quo fit, vt citiùs, & abundantiùs, quam in alijs, ſudores erumpant; experimentoque in ſimilibus vna die infirmum ſolo ſudore fuiſſe liberatum, comprobatum eſt. Dum autem ſudores aſſerimus, omnibus febribus conuenire, includere neceſſe eſt affectus omnes, qui febre copulantur in hoc numero, quorum ſolutionem ſæpenumero à ſudoribus vltimari contingit. At ex qualitate humorum peccantium, & eorum miſcela non modò ſudores, ſed etiam vomitus, alui excretiones, ſanguinis profluuia, & abundantes vrinæ ſuccedant. In optimis enim criſibus, natura ipſa optimis ſignis, & euacuationibus incedit, & à pari in malis iudicijs, perniciosa eluceſcunt ſigna. Hinc morbo concocto ſudoribus apparentibus, aliæ ſuccedunt excretiones: ſiquidem per aluum expellit natura humorum groſſities, per vomitum ſuccos, qui ſurſum aſcendunt; per ſudores vel illorum ſeroſitates, vel materias attenuatas: per vrinas, qui per huiuſmodi canales excerni ſupereſt. Sic tandem ſalutares ſuſcitantur criſes: pernicioſæ autem ſi crudo morbo erumpunt, atque malis comitatæ ſignis: tendunt enim vel ad mortem, vel ſaltem ad extremos labores, morbi longitudinem, & recidiuas.

Si ergo in ſolutione omniũ febrium ſudores cõcurrunt, omniumq; affectuum, qui febre copulantur, procul dubio contingere poſſunt, nõ ſolum in Ardẽtibus, Synochis, Continuis, Tertianis, Quartanis, Quotidianis, verum atq; in Phrenitide, Lethargo, Pleuritide, Peripneumonia, Hydrope, Hepatis, Lienisq; inflammationibus, & cunctis viſcerum incenſionibus. Hinc Gal. 3. de Criſib. citat. loco dicebat. Sudores

res

res verò omnibus febribus proprij ſunt, & præcipuè incendentibus. Iuuant autem non parum, & efferuentes inflammationes, quando vnà cum coctionibus emanauerint. Iudicant autem, & Quotidianas febres, ſimul vomitibus, atq; excrementis alui pituitoſis adiunctis: Et Quartanis etiam ſi atra ſimul, ac varia excernuntur: Semitertianas verò ſi biliosa ſimul, & pituitoſa. Indicant autem Parotides, Lethargosq; & reliquos omnes capitis affectus. Huiuſmodi methodo præcognoſcet ſtudioſus morborum formas, atque ſuperuenientes Criſes, vt autem rectius hæc aſſequatur aſſueſcat ſedulò in affectuum cognitionibus, & ſignis hoc recolit prudentiſſ. Hippocrates 1. Epidem. 3. tex. 1. Quando autem ſudores, vel Criſes in ijs morbis ſuccedant, & quibus diebus Gal. 3. de Criſib. c. 4. tum longiſſimè, tum facillimè hanc materiam diſputat, quare illuc lectorem remitto: ſiquidem inquiſitio hæc, ſi percurrere curaremus, admodum ab inſtituto negotio nos diuerteret.

Veniamus modò ad aliam diſputationem, quæ eſt. An morbi longi, cronici, & diuturni ſudoribus terminari queant? Erat hæc neceſſaria admodum huic capiti, vt ambiguitates multæ, quæ in hac materia contingunt diſſolui poſſent. Quid autem per morbos cronicos, & diuturnos intelligere debeamus, nos in cap. de cognoſcendis morbis abſoluimus. Accedamus ergo ad ſcopum. Galenus 1. de diebus Decretor. cap. 10. aſſerere videtur omnes morbos poſt quadrageſimum diem prorſus languere concoctione potiùs, & abſceſſibus, quam excretionibus: ratio eſt, nam morbi longi, quia ex craſſorum humorum, frigidorum, ac lentorum materia conſtant: ideo coctione, aut reſolutione potius terminari credendum eſt. Huiuſmodi opinionis cognoſcimus eſſe Hippocratem 4. Aphor. 44. dum ait. Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt. Ex quibus duos eſſe modos, quibus febres terminantur elicimus, vel per euacuationem, vel per abſceſſum: per euacuationem enim terminantur, quæ breues ſunt, quales acutæ, quę tenui conſtant materia exiſtunt: per abſceſſum verò longæ, quæ ex craſſa, & lenta fiunt. Sed videtnr ſibi quodammodo contrarius Hippocrates eodem lib. Aphor. 51. dum ait. In febribus abſceſſus, qui ad primas iudicationes non ſoluunt, longitudinē morbi ſignificant, vbi acutos morbos poſſe etiam abſceſſibus terminari verba demonſtrant. Hoc autem ſi verum eſſet, quippè ambigua de morborum ſolutione redderetur oratio noſtra. Propterea dicimus Hippocratem nullatenus ſibi contrariari: accipit enim per abuſum

om-

omnem naturæ motum, per effluxionem ſcilicet humoris, vel per decubitum ad aliquam corporis partem factum: In hoc autem Aphoriſmo per abſceſſum intelligit, humorum fluxionem, qui in primis iudicijs niſi ſolui contingunt, morbi longitudinem coarguunt, nam decũbunt: inde tractu temporis coctione potiùs, reſolutione, vel abſceſſu, quam euacuationibus ſoluuntur. Hoc etiam intellexit Galenus 3. de Criſ. cap. 3. dum dicebat. Alijq; decubitus omnes febres diuturnas ſecurè iudicare conſueuerunt. Quando autem abſceſſu, & quando coctione morbi diturni terminentur: Galenus 3. de Criſib. cap. 11. ſolertiſſimè diſputauit.

Sed ex Hippocrate 4. Aphor. 44. non parui momenti capitur dubitatio. Ipſe enim in longis febribus fieri abſceſſus, vel labores in articulis decretauit: quod idem eſt, ac dixiſſet longas febres abſceſſibus, vel doloribus articulorum terminari. Tamen non eſſe æternæ veritatis videtur eius ſententia, quandoquidem enim Quartanas febres, Tertianas ſpurias, aliosq; huiuſmodi affectus terminari ſudoribus, alijsq; excretionibus videmus: raro autem per abſceſſum, vel articulorum dolores. Profectò tota dubitationis vis in Aphoriſmi interpretatione conſiſtit: quare pro intelligentia dicamus; Alias febres eſſe longas, quia tales ex ſui natura exiſtunt, alias verò ex acutis per decidentiam longas fieri. Hippocrates in Aphoriſmo non de primis: ſed de ſecundis intelligit: ſiquidem, quæ ex acutis per decidentiam fiunt diuturnæ, raro excretionibus: ſæpè coctione, vel abſceſſu terminantur. Hinc Hipp. 3. Progn. 25. & 26. dicebat, Vbi magis, quam ratio poſtulat, prolongatur febris, dummodò non adſint mala ſigna, aut tumidum, aut doloroſum in articulis abſceſſum fore expectandũ. In hoc loco ſupponit febrem continuã, quia intermittens, ex eo, quod eius materia per ſingulas acceſſiones excernitur, per abſceſſum haud ſolet terminari. Solet tamen ad Quartanas terminari, per abſceſſum his, qui ætatem habent conſiſtentem, ſicut iuuenibus magis ad articulos: Quibus ſolutionibus videtur eſſe congrua determinatio, longos morbos, ſed potiſſimum, qui ex acutis per decidentiam fiunt diuturni, abſceſſibus potiùs, & coctione, quam excretionibus terminari.

At hæc limitatio non eſt ſine iurgijs, nam dato, & conceſſo, quod ante quadrageſimum diem (qui ſecundum Hippocratem, longorum morborum eſt principium) ſudoribus, & excretionibus terminentur morbi, raro, aut abſceſſibus: tamen poſt quadrageſimum euacuationibus fuiſſe morbos iudicatos inuenimus. Corroboremus exemplis;

&

& primo de ijs, qui ante quadrageſimum terminati ſunt, loquamur. Equidem ex Hipp.obſeruationibus, Pericles in Abderis 4.die eſt iudicatus ſudoribus. Meton in 5. Cherion in 7. Melidia in 11. filius Philidis in 14.Herophon.in 17. Nicodemus in Abderis in 24.virgo in Abderis in 27. Anaxion in Abderis in 34. ille, qui decumbebat in Dealcis horto in 40.Hucuſq; apud ſcriptores nulla cadit difficultas quin morbi & ſudoribus,& excretionibus terminari queāt: veniamus vlterius. Porrò poſt 40.60.80.100.& 120.etiam obſeruatum eſt, ijſdem iudicijs fuiſſe iudicatos morbos, atq; ſine abſceſſibus. Legimus enim Cleonactidem 80.ſuperriguiſſe, multumq; ſudaſſe, & perfectè fuiſſe iudicatū. Legimus Herophythū in Abderis 100.habuiſſe excretiones, & 120. perfectè fuiſſe iudicatum, quemadmodum 2.de dieb.decret.c.4.abundè de his,& de alijs, qui ex libris Hipp.capiuntur, diſſeritur. Galenus, qui hanc viderat difficultatem, 1.de dieb.decret.cap.10 litem viſus eſt dirimere, dum aiebat: Accidunt in his quoque per excretiones interdum iudicia, ſed rarò, nec magnam habent vehementiam, & frequenter pluribus diebus iudicia complentur, maximè cum in abſceſſum finiunt: Atque alios quidem, qui poſt 40.habentur, Hippocrates planè contendere videtur, ſexageſimi tamen, & octuageſimi, & centum uigeſimi rationem habet. Ab his alios quidem ſeptem menſibus, alios ſeptem annis finiri ait, alios verò, vt veriſimile eſt, in binis annorum hebdomadis, & ternis. Non deſunt, qui etiam 42.& 45.inſuper 48.& quorundam aliorum dierum meminerūt, qui ſupra quadrageſimum ſunt, iudicia per excretiones extitiſſe. Itaque morbos longos, qui poſt 40. ſuccedunt, quia paulatim vehementiam, & efficaciam remittunt, concoctione potius, & abſceſſibus, quàm excretionibus terminari cōcludimus. Nam vt per excreta iudicationes fiant, magna in morbis requiritur vehementia, quæ in ijs remiſſa eſt. Huiuſmodi etiam cautela Galenus vſus eſt 4.Aphor.36.quando dicebat 31.& 34.& ante ipſos rarò per ſudores morbos iudicari. Nam in his diebus etiam per ſudores fiunt iudicia. Alij nodum hunc, inter quos eſt Rodericus à Fonſeca ſuper 4.Aphor.36.hoc pacto ſoluere conantur. Febres longas coctione, vel abſceſſibus terminari; rarò autem ſudore ſolum ſine alia excretione iudicari, ad differentiam autem acutarum, quæ per ſudorem tantùm ſæpiſſimè abſolui contingunt.

De

De ſignis futurarum criſium per ſudores. Cap. VI.

RAtio poſtulat, vt futurarum criſium per ſudores ſigna percurramus: ſiquidē inquiſitio hæc tum in arte præſagij neceſſaria, tum in pręſentiarum (eo quod his, quę in præcedenti capite adducta fuere contigua eſt tractatio) opportuna eſſe videtur. Signa hęc, vt ab auctoribus, & obſeruationibus colligere potui, multa exiſtunt. Incipiamus rei ſcopum ex Galeno, qui 3. de criſ. cap. 11. pro cognoſcendis futuris criſibus, ideam morbi, ſeu naturam primò expetiri propoſuit. Si enim morbus fuerit, qui ſudoribus terminari poſſit, quales acutæ, ardentes febres, continuæ, & reliqui affectus antedicti exiſtunt; profectò maiori cum fiducia illos expectabimus. At certiùs ſuccedent, ſi morbo concocto, quemadmodum ipſe Galenus determinauit, critica ſigna erumpunt, & perſiſtunt. Idea equidem morborũ, non modò Medicos, ad ſudoris futuri præſagium, verum atq; aliarum excretionum, quæ per vomitum, alui deiectionem, hæmorrhagiam, vel abſceſſus terminari cõſueuere dirigit: quo fit vt ipſa terminus, & principium futuri præſagij iudicetur. Hæc itaque ſit primum ſignum, & principium huius capitis.

Secundum ſignum, ex alui, & vrinæ excretionibus ſumitur. Ambobus enim detẽtis, ſi rigor ſuſcitatur, neceſſariò ſudor multus ſubſequitur, quod non ſiluit Hipp. 6. Epid. quando dicebat: Ante rigorẽ vrinæ ſuppreſſiones. Idcirco ſi hæc excrementa præter rationẽ ſupprimuntur, ſeu parciùs, quàm antea redduntur: ſi aliarum excretionum ſigna non affuerint, hęmorrhagiæ ſcilicet, vomitus, menſium; hæmorrhoidarum, vel alui fluxus, quippe ſudores proculdubio apparebũt. Hinc Gal. loc. cit. dicebat: Poſt hæc autem & illud conſiderandum eſt, nunquid vrinis tãtum, vel etiam aluo compreſſa riguit. Si enim ambobus, neceſſariò ſudor multus ſubſequitur. Si verò vrinis ſolis conſiderare oportet nunquid alui excrementa plura, quã priora, vel pauciora ante criſim exierint. Si enim plura, manifeſtiùs motus naturæ ad hunc locũ eſt agnoſcẽdus: ſi pauciora, ad ſudores. Si verò & vomitus ſigna affuerint, per has ambas excrẽtiones iudicabitur, & vel magis per earum alterã, quæ magis præualebit, vel æquè per vtrãque, quando æqualia quodammodo indicia affuerint. Si verò ſigna vomitus non affuerint, ſolos ſudores expectare oportet: & magis, quando ægrotantes increſcente

ſcente acceſſione delirauerint. Nõnulli ex eo, quod ſeroſa humiditas, & vrinæ, & ſudoris cõmunis eſt materia: futuri ſudoris indicia ex vrina ſuppreſſa, & ſuperueniente rigore ſtatuũt, fulcti Hipp. auctoritate in 4. Aphor. A febre ardente habito, rigore ſuperueniente ſolutio. Dicunt enim potulentam materiam in corpus vniuerſum elatã, corporis partes ſua acrimonia vellicare, & rigorem concitare: proinde ſudores erumpi. Sed duplici via falluntur hi, primò, quia ſigna hæc non perpetuò ſudores indicant; nã ex vrinæ ſuppreſſione & ſudor, & fluxus ſanguinis, vomitus, vel alui deiectio indiſcriminatim poſsũt ſuperuenire. Secundò, quia hos concedere oporteret, ſudores ſolum à ſeroſa humiditate, & non ab alijs humoribus innaſci, quod eſt cõtra omnes rationes à nobis adductas. Itaque certiores erimus de futuro ſudore, ſi tum vrina, tum aluus ſupprimitur, & rigor, in ijs affectibus, qui tali excretione terminari conſueuere ſuperueniat, & eò certiùs ſi ægri in acceſſione delirauerint. Hinc dicebat Auic. 4.2. tract. 1. cap. 7. etiam in cronicis morbis, ſi vrina, & aluus comprimuntur, ſi rigor vehemens ſuccedit, & poſt rigorem, calor magnus, cum viribus fortibus, ſudorem criticum eſſe futurum.

Tertium ſignum è corporis ſuperficie innaſcitur. Si partes enim exteriores, & præcipuè facies in ijs affectibus pręter allata indicia magis ſolito coloratæ, atque calidiores ſpectantur, percipiaturq; cutis quædam mollities cum rubedine, & tumefactione, nec non ad carnis tactum humidum vaporoſum, & calidum exhalat ex improuiſo, quale antea non fuerat, ſudores in foribus abſque dubio adeſſe pręſagiemus. Galenus verò in libello de Præſag. experientia confirmato totius corporis cutim reddi pruriginoſam, mollem, & rubram, ſudoribus inſtantibus aſſeruit.

Quartum ſignum à pulſu ægroti ſumimus. Si enim fuerit vndoſus, atq; altitudinem, & vehementiam nactus fuerit, decretorium ſudorẽ, (teſtimonio Gal. in 2. de Pręſag. ex pulſ. cap. 9.) ſignificat, & tantò magis, quantò mollior fuerit. Hinc in 3. de criſ. c. vlt. hæc leguntur: Quod ſi pulſus vndoſus fiat, & inſigniter mollis, adhuc amplius ſudores expectare oportet. Durus autem pulſus vomitus magis, quã ſudores pręoſtendere ſolet: ſiquidem altus omnis excretionis indicium eſt, ſicuti & vehemens. Si verò magnus fuerit, motus ad exteriora potius, quàm ad interiora ſignum exiſtit. Cùm verò vterq; duplex ſit, hic quidẽ, qui ad exteriora per fluxum ſanguinis, atq; ſudores: alter autẽ ad interiora per aluum, & ſtomachũ. Vndoſus quidem pulſus ſudores, magnus

autem

autem ſimpliciter fluxū ſanguinis præoſtēdet. At in libello de Pręſag. expulſ. experient. confirmat. ſudores ſignificare aſſeruit pulſus ingentes, & ſublimes, & celeres, in deductioneq; potius properantes, ac velut vndoſos cū arterię tunica, atra, humidaq; apparentes. Quapropter in præſagiendis ſudoribus ex pulſu, neceſſe eſt non ſolùm vndoſitatē, atq; mollitiem ex arterijs internoſcere; verum atq; altitudinē, & magnitudinem. Abſolutè enim vndoſus ſæpenumero, non firmam arguit virtutem, & perinde minimè decretorios ſudores, ſed prauos, & ſymptomaticos. Ideo conſultè Doctores noſtri vndoſum pulſum cū fortitudine celebrant (qualis eſt magnus, & altus) in ſudorum præſagio. Hic autem maximè obſeruatur, cum concocto morbo inſtat criſis per ſudoris excretionem.

Quintum ſignum ab vrinæ colore carpitur. Scripſit Auicenna 4.2. tract. 1. cap. 7. vrinam cum fuerit tincta, tendens ad groſſitiem, & propriè quando tingitur in 4. die, & ingroſſatur in 7. ſudores criticos præſagire. Propterea ipſemet in cit. loco, vrinæ tincturam, naturā arguere criſim molituram per viam venarū, quæ ſudoris, & vrinæ eſt, aſſeruit. Ex Galeno etiam in lib. de Dynamidijs legimus, vrinam tenuem in critico die, factam aſperam, ſudorem denotare. In Coacis hoc cōprobatur: ibi enim ſcribitur, vrinam valde tenuem, ſi denſa fiat, futurum præſagire ſudorem. Spumoſam verò, & in ſeipſam conſidentem factum ſudorē indicare. Ideo ſigna talia in morbis citatis minimè ſpernenda fore iudicamus.

Sextum ſignum ab ægrorum ſomnijs deſumitur. Si quis enim ſomniat ſe lauari in flumine, vel in balneo: ſeu balneum, vel tinam in ſomnio præparatam viderit, ex Auicennæ decreto, futurum ſudorem iudica. De hoc ſigno Galenus in lib. de Dignot. ex inſomnijs loquens, ſe obſeruaſſe confitetur, qui in ægritudine, quoties in ſudorem erat erupturus, antecedēte nocte in balneo ſe lauari perpetuò ſomniabat. Artemidorus in 1. de ſomnijs, cap. 66. idem ſcribit, & multa alia, quæ Gentilium credulitatis relinquimus.

Septimum ſignum ab aeris qualitate depromimus. Illa enim ſi fuerit calida, facillimè corporis ſeroſitates, humiditateſque excrementitias attenuare, & ad cutim attrahere poterit: cui ſi humiditas fuerit coniuncta tātum abeſt, vt ſudores retineat, ſed vt potius cutim emolliendo, maiores ſuſcitet. Hinc Hippocr. 3. Aphor. 6. Quando Æſtas fuerit Veri ſimilis, ſudores in febribus multos expectare oportet. In quo loco, licèt Hippocr. de præſagio critici ſudoris principaliter

loquatur:ſecundariò tamen de ſymptomatico etiam intelligit. Rodericus à Fonſeca in ſuis commentarijs volens indicia futuri ſudoris exprimere, hæc breuiter perſtrinxit. Aucta caliditas, anſietudo, difficultas ſpirandi, facies inflammata, vndoſus pulſus, cutis rara, tempus calidum, & humidum.

Vltimum ſignum à motu Lunæ, & Planetarum aſpectu carpitur. Vult enim Ptolomeus verbo 60. Centiloquij Albaharim, acutos affectus regi Lunæ motu in angulis cœli, cronicos verò in eiſdem motu Solis: in quo verbo, & in commento Haly oſtenditur cauſa mutationis omnium morborum curabilium, tam acutorum, quàm cronicorum, ad quem locum remitto ſapientem Medicum Aſtronomum. Quo verò ad criſes per ſudores noſcendas ex Planetarum influxu Aſtronomus, tam bonas, quàm malas in acutis, & diuturnis, ex motu Lunæ in angulis cœli præuidere poteſt. Cùm enim illa in morbis, qui ſudoribus terminari conſueuere, ad Quadratum peruenerit, numerando à die infirmi decubitus: ſi ibi præſentia, vel aſpectus fuerit benigni Planetæ, bona criſis ſuſcitabitur; ſin mali, aggrauabitur infirmus. Et tunc ſi perueniet in oppoſitionem, quæ erit 14. die, ſicut quadratum in 7. tunc ex præſentia, vel aſpectu mali, vel boni, mala, vel bona erit criſis. At ſi in iſtis nullus aderit influxus, nulla aderit criſis. Conſimili methodo vtemur in altero quadrato, & in reuerſione ad locum, quem Luna in ægritudinis principio occupauerat. Hæc Medicus Aſtronomus conſultè ruminabit, opeque aliorum naturalium ſignorum, quæ adduximus, facilè prænoſcet morborum ſolutiones, quæ per ſudores, vel per alias excretiones, & quæ benè, vel malè fient. Hæc omnia tum ex Ioanne Aſpergo, tum ex Hippocratis Aſtronomia, quæ inter libros Galeni viſitur, depromere poterit. Hic enim in ægrorum decubitu Lunam fore aſpiciendam conſulit: nam ſi lumine plena eſt, creſcunt humores: ſi exit ex combuſtione, creſcit infirmitas, donec venerit ad Oppoſitionis gradum. Quapropter dicere ſolebat, neminem debere ſe in manibus illius Medici committere, qui Aſtronomiam ignorat, quia perfectus Medicus non eſt. De his reperitur amicus Medicorum Magiſtri Ioannis Ganiueti, qui vtillimus Medicis eſt: ſiquidem in practica Medicinæ dirigit nos in morborum curationibus, quoad cœli influentias: & in differentia quarta de criſibus exactiſſimè diſputat, quare quam ualde neceſſariam Medicis Aſtronomiam iudico. Quomodo autem aſtra in hæc agant inferiora, timoratis viris credo eſſe

notiſſi-

notiſſimum. Intelliguntur enim vt entia naturalia tantum, quæ motu, & lumine in nos agunt, non tamen vt voluntaria, nec neceſſaria, vt Diuus Thomas in opuſculo ſuo de iudicijs Aſtrorum ad Fratrem Reginaldum. Vide etiam de hac re Bartholomæum Sybillam in 1. Decad. peregrin. quæſt. cap.9. Martinum Delrium in lib. Diſquiſitionum Magicarum, & Sebaſtianum Medicem in ſumma omnium hæreſum.

Finis Libri Tertij.

IVLII CAESARIS BARICELLI A SANCTO MARCO

DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI,

De hydronoſa natura, ſiue de ſudore humani corporis.

LIBER QVARTVS.

De ſudorum vſu. Cap. I.

LIcèt ætate noſtra rarò Medici ſudoribus in medendo vtantur: antiqui tamen ſæpiſſimè ad varios præſidiorum vſus hoc capiebant. De his diſcutere occaſio nos cogit: quippe veteres admodum erant ſolliciti, & balneis, & exercitationibus, adeò quod multi illorũ luctam, vel Pancratium inire intendebant: Alij erant pugillatores, alij curſores, alij alijs vacabant exercitationibus: Balnea tamen in maiori erant frequentia, vt huiuſmodi luxus veſtigia Romæ, Puteolis, & alibi varia aſpiciuntur. Equidem ijs multę vtilitates de ſudore effuſo reſultabant, de quibus Gal. 4. de ſanit. tuen. Mercur. de Arte Gymnaſtica, & Honufrius Panuinus de Ludis Circẽſibus plurima adducunt. Hinc loturi, vel exercitaturi in gymnaſium, ſiue Alypterium adibant, & in Apodyterio, vt plurimum ſpoliati veſtes conſeruabant. Verùm initas ante exercitationes nonnullorũ corpora oleo vngebantur, atq; puluere conſpergebantur. Nonnullorum verò vnctionibus haud egebãt. Cùm autem in lucta, vel alio exercitio homines corpora exercitaſſẽt, vel in Balneis loti eſſent, à Mediaſtinis,

&

& Rectoribus,reuerſi ſtrigilibus detergebantur, cumq; oleum,puluerem,& ſudorem ſimul commiſta colligerent in vſum medicum, more ſolito conſeruabant. Propterea aliqui ſudores ſicci,aliqui verò humidi vocabantur. Sicci erant ij,qui ab Athletarũ corporibus deradebãtur, quibus nec oleum,nec puluis erat cõmiſta. Humidi verò, ſeu ſordidi, qui oleo,& puluere cõmiſcebantur. Profectò hi & à corporibus,à columnis,& palæſtrarum parietibus, quibus hærebant, capiebantur,&, vt ex Galeno, Dioſcoride,& Aetio colligitur, in medelas adaptabantur. Hinc legimus apud Euſtathium,ſudorem aridum,qui non balnei proueniat vi, ſed exercitatione, aut labore, qualiter xeralæphiam intelligimus citra lauacrum ob unctionẽ factam. Strigiles inſtrumenta quædam erant,quibus ſtrigmenta, vel exercitatorum corradebantur ſordes. Erant autem ferrea,aurea,argentea,cornea,eburnea,vel ęnea, prout quiſq; ſecum gerebat;his enim communiter non vtebantur,ſed quilibet proprio,eo quod maior illorum pars communia cum alijs huiuſmodi inſtrumenta habere fugiebant. Strigilia argentea ab Æliano Agrigentinis attribuuntur,eburnea,& ænea à Strabone cõnumerantur. Strigilium loco,Romani delicatiores facti,ſpongijs vſi ſunt. Ampullam,ſiue guttum,quo oleum,pro corporibus vngendis,ante lotionẽ ſeruabant,ita Apuleius adnotauit. Qui magno in cœtu prædicauit, fabricatum ſemet ſibi ampullam quoque oleariam,quã geſtabat,lenticulari forma,tereti ambitu,preſſula rotunditate. Hinc Petronius: Video Gitona cum linteis,& ſtrigilibus parieti applicitum,triſtem,confuſumque. Vtebãtur Tintinnabulo,quod alio vocabulo Æs Thermarum dicebatur,ad populũ ad Thermas cõuocandũ, de quo Iuuenalis:

Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas.

Et Martialis.

Redde pilam, ſonat æs Thermarum ludere pergis?

Inſuper Capſarius dicebatur ille, qui hominum veſtes Balnea ingredientium conſeruabat, de quo ita loquitur Paulus Iuriſconſultus in Digeſtis. Aduerſus Capſarios quoque,qui mercede ſeruanda veſtimẽta ſuſcipiunt, iudex eſt conſtitutus, vt ſi quid ſeruandis veſtimentis fraudulenter admiſerint,ipſe cognoſcat. Quoad mercedem, quadrantem ſoluebant: de quo Horatius:

----- dum tu Quadrante lauatum
Rex ibis.

Vt Balnea, & lauacra idonea ſeruarent,ſuperba conſtruebãt ædificia, quemadmodum ex Vitruuio excipimus: ſiquidem Auguſti Cæſaris

ætate,

ætate, multa gymnaſia conſtructa reperiuntur, quæ temporis iniuria ruinis expoſita,in præſentiarum diruta admirantur.In ijs multi ſeruabantur ſtrigiles, vt olim inter Traiani Imperatoris Thermarum ruinas inuenti ſunt, quorum picturam habebit Lector apud doctiſſimum Mercurialem in lib.de arte Gymnaſtica.

Vſus talium ſudorum ad concoquendas cutis durities, & ad emolliendas ſiccitates capiebatur;propterea verrucas,glandulas duras,impetigines,ſcabrities,ſtrumas,& alia tubercula, talibus curare ſolebãt: quippe veteres illi Medici experti fuere, ſudores cum oleo, & puluere commiſtos,quandam coquendi, & reſoluẽdi in morbis, quibus coctio,emollitio,vel diſſipatio opus erat habuiſſe.Idcirco in quotidiano habebant vſu. Sed videamus quid de ijs dicant ſcriptores.

Dioſcorides de talium ſudorum vtilitate ita ſcripſit: *Strigmenta à balneis calefaciunt, molliunt,diſcutiũt,ad ſedis rimas,& condylomata illinuntur. Illa verò,quæ ex palæſtris puluerem ſibi aſciuerunt,in ſordis ſpeciem redacta,articulorum nodos impoſita adiuuant. Iſchiadis in fotus, aut malagmatis locum calida commodè ſufficiuntur. Deraſæ gymnaſiorum parietibus,ſimulacriſq; ſordes calefaciũt tubercula,quæ ægrè ad coctionem perducuntur,diſſipant,deſquamatis,& vlceribus antiquis proſunt.* Galenus, qui Romæ profuit 10.ſimpl.med. facult.in cap.de ſudore,ita de ij ſentijt. Porrò ſudor etiam in palęſtris exercentium miſcetur ſordibus,cõfertq; non nihil tenuibus ſordibus, vt tumores præter naturam per halitum digerant, nam illæ repercutiunt,minus autem digerunt, at poſt adiunctum exercentium ſudorẽ, acquirunt multum facultatis digerentis.Ergo ſi in phlegmonas vberũ ſolæ hæ ſordes impoſitæ, efficaciori ſunt remedio; ſin ſicciores videbuntur Cyprinum ſuperungito, & ſi valde etiam ſiccæ Cyprino item ſubigito: præſtat autem non ſiccas,ſed molles accipere. Porrò ſi non adſit Cyprinum,roſaceum bonum miſcuiſſe ſufficit.Hoc medicamentum admodum eſt vtile ijs, quibus à partu reſtringere lac conſiliũ eſt, eo nomine, quia mammis coagulatur in morem caſei. Hinc orto, ad alios ſimiles affectus vti licebit. Atque ego ſanè ad bubonem eo vſus celeriter diſparuiſſe tumorem cõſpexi. Auic.ſimiliter in lib.2.tract.2. cap.655. multa de his attulit remedia, quæ ſtudioſus videre poterit: Adnotantur etiam quamplurima de hac materia apud Plinium,Theodorum Priſcianum,quæ omittimus breuitatis gratia. Hæc ſufficiant pro cognitione vſus ſudorum apud veteres, veniamus modò ad alias ſudorum ſpecies, vt caput hoc in ſudorum cognitionibus, quoad vſus

exactè

exactè ſit elaboratum. Primò ſe offert Oeſippus, ſeu ſudor ouium, quę eſt ſuccidarum lanarum pinguitudo, quam aromatarij hyſopum humidam appellant, cuius præparatio apud eoſdem habetur. Hic ſudor emollit, reſoluit, calefacit, dolores ſedat.

Sudor animalium apoſtemat faciem cum ſudore frigido, & fœtido. Auic. 4.6. tract. 3. cap. 17.

Sudor equi potatus cum vino egrauidat, & proijcit fœtum ab vtero, item inflat faciem, ex Arnaldo de Villanoua in lib. de venenis.

Sudor equi toxicat cultellos, & ſagittas illo linitas: calefiunt enim prius, & facti rubei, aqua illa imbibuntur, quibus ſi animalia feriuntur, fluxus sãguinis vſq; ad mortẽ pernecãs excitatur. Ex Raſe, & Alberto.

Sudor equi cum vrina potatus in balneo, exire cogit ſerpentem, qui hominis ventrem ingreſſus eſſet. Inſuper equus aliquis ſagitta venenata iaculatus, alterius equi ſudore pane aſſo, atque hominis vrina commiſto, & per potum exhibito curabitur. Eius vulnera eadem miſcela cum optimo adipe commiſta medicantur. Ex Paſquali Caracciolo in lib. Gloria del Cauallo.

Populi Fornaces in Æthiopia ſudores habent adeò virulentos, vt corpora ex illis contacta moriantur. Ex Damone, atque Plinio lib. 7. cap. 2. referente Thoma Garzonio in tract. de Monſtris.

Sudor Aſini, Equi, & Muli malus eſt, ſiquidem potus viridem, tumidamq; faciem reddit, ſudorem fœtidum in vniuerſum excitat corpus, pręſertim ſub alis, perturbat tum ventriculum, tum aluum vniuerſam, genitis, excitatiſque flatibus in inteſtinis. Quod ſi bibatur cum vino, delirium facit. Ex Matthiolo.

Sudor Mulæ epotus, reddit mulieres ſteriles. Ex Baptiſta Porta de ſecretis naturæ.

Sudores leproſorum inficiunt tactu carnes hominum, & ad leprã, & ad vlcera inducunt pernicioſa. Ex Arnaldo Villanoua.

Sudores ouorum dum coquuntur, calidi conferunt cutis ſcrabitiei, & impettigini, coloremq; nitidum in facie reddunt, colliniti.

Sudores ſi ſuſcitantur in æſtate in Aſini auribus, futuram pluuiam breui, præſagiunt. Ex Thoma Tomai in Idea Mundi.

Sudor ſi equi otioſè degentis, in toto corpore, vel in aliqua particula ſine occaſione manifeſta ſuſcitatur: bilioſos humores in illas partes deſcendiſſe indicat: curatur hic affectus potu vini dulcis. Ex Paſquali Caracciolo.

De ſudorum apparatu. Cap. II.

IAm ſe offert ſudorũ apparatus,quibus exhauriri corpus vniuerſum euidenter experimur.Equidem inter alias euacuationes, quas pro corpore purgãdo quotidie molimus , excretio per ſudorem , & maximæ conſiderationis,& vtilitatis exiſtit. Vſu enim illius, & præſidio,non modò ea, quæ præter naturam,verum atq; ea, quæ ſecundùm naturam in corpore ſuperabundant,datum eſt excernere. Profectò ſana corpora,quando in ſudorem prolabũtur, ſeroſum humorem excerni probabile eſt, atque ob id ſudorem ſecundùm naturam redundare iudicamus. Huius materia è iecore pro ſanguinis vehiculo,quo ſolidæ partes nutriuntur,ad venas trahitur,cuius portio (purgato ſanguine) craſſior per vrinas;tenuior verò,& magis elaborata per cutim educitur. Sanguis autem nequaquam adeò à ſero purgatur,vt pro naturæ muneribus, aliquam nõ retineat portionem. Cùm verò præter naturam in corpore ſuperfluũt humores,atq; per ſudores expelluntur,id excerni compertũ eſt,quod præter naturam redundabat: nam licèt euacuatio hęc naturę opus ſit, nemo tamen negare audebit,eo tẽpore ſuccos pręter naturam redundantes,per cutim educi. Quapropter ſudorum vſum vniuerſo corpori ducimus eſſe neceſſarium,cum & ea,quæ ſecundùm naturã,& præter naturam abundant,excerni poſſint. Sudoris ergo materiã à ſeroſa humiditate principaliter,deinde à reliquis ſuccis naſci comperimus. Iſti autem niſi tenues fuerint, vt commodè per cutis ſpiracula emitti poſſint,extenuari,& liquefieri primò deſiderant.Bilioſus tamẽ inter alios ex ſubſtantiæ tenuitate faciliùs excernitur.Hoc totum in febribus,ex humorum putredine excitatis, quæ ſudoribus terminari conſueuerũt comprobamus: ſiquidem à ſudorum coloribus,humorum diuerſitates venamur,& adipiſcimur.Sunt enim colores in corpore ſuperabũdantium humorum notæ,Gal.teſtimonio 4.de ſanit.tuen.c.4.Quod haud ſuccederet, niſi humor quilibet ſudori materiã ſuppeditaret. Sudoris materia ex his ergo manifeſta cenſetur. Hi autem licèt à natura moueantur, ars tamen in apparandis,vt Gal.11.method.meden.cap.10. non eſt infimę conditionis. Idcirco in morbis,cũ ſudores elicere opus eſt, primum,quod à Medico ſpectandum ducimus, eſt , An educi debeant? Deinde,quo conſilio? Tertiò,quibus inſtrumentis? Quippe indiffe-

differenter haud ſudores prouocamus. Multa etenim corpora reperiuntur, in quibus putres, tenues, & aquoſę materiæ ſcatent, atq; ob id ſudores requiruntur: ceſſamus tamen à tali præſidio, quia illa debilia exiſtunt, & talem euacuationẽ tolerare nequeunt. Veniamus ergo ad præſidij requiſita, atq; abſoluamus & in ſanis, & in ægris corporibus ſudandi apparatum.

Sana corpora in humoris ſeroſi redundantia, & in excremẽtorum ſuperfluitate in ſtudia plurima diſtrahi poſſunt, quibus ſudores exutari queant: hoc etenim pacto multas euitabunt affectiones. Sint huius rei teſtimonium veteres illi, à quibus ars Gymnaſtica, ſeu exercitatoria maximopere frequẽtabatur: ſiquidem in conſeruanda valetudine eximias ex illa capiebant vtilitates. Dicunt enim Gal. 2. de ſanit. tuen. c. 3. & Auic. 1. 3. doctr. 2. cap. 1. viri diſertiſſimi, exercitationes excremẽta ſoluere, atque per cutis foramina in ſudores eijcere poſſe. Propterea Rõmanorum tempore in tanto erat pretio ars Gymnaſtica, vt infinitas ferè exercitationis ſpecies adeptos eſſe legamus. Exercitabantur enim multis ſaltationis differentijs. Pilæ ludis nimirum, Lucta, Pugillatu, Pancratio, Ceſtibus, Curſu, Diſco, Halteribus, Iaculatione, & diuerſis alijs ludis. Porrò huiuſmodi ſtudijs corpora munda ſeruabant, ſiquidem ſudoribus multa excernebantur excrementa, & ſeroſæ humiditates redundantes purgabantur. Idcirco ætate noſtra nõ poſſum non plurimis laudibus extollere nobiles illos, qui ſæpè honeſtis exercitationibus implicantur. Sunt enim nõnulli, qui modò venationibus, modò æquitationibus, ſaltationibus, curſibus, pilæ ludis, enſis, vel lanceæ artificioſo ſtudio exercitantur. Nonnulli verò luctæ, & fortioribus motibus, vt robuſtiora corpora reddãt inhęreſcũt, quo fit vt exercitiorum diuerſitate, diuerſæ in hominũ corporibus vtilitates oriãtur. Quomodo autem parari debeant exercitia, vt ſudores ex ijs excitati prodeſſe valeant pro tuenda valetudine, dicere non recuſabimus. Qui exercitaturus eſt, & à malichymis, & à ſuperfluitatibus alui, & veſſicæ mundum habeat corpus. Sint vltimatæ concoctiones in ſtomacho hepate, & venis, adeò quod hora alterius cibi adueniat. In anni temporibus, quando exercitia frequentari poſſunt, diei hora magis temperata eligenda eſt: extremæ enim aeris qualitates in calido, & frigido, exercitijs noxiæ ſunt, propterea à nobilibus domi, quando foris eſſe nequeunt, exercitationes frequentantur. Secus eſt in villicis, meſſoribus, foſſoribus, & ijs, qui fortè exercitium, propter vitę neceſſitatem facere opus habẽt: quippe in principio talis laboris, & exercitij, ſtomachũ

ſatis inanitum habere, noxium eſt: nã melius exercitatur plenus, quàm vacuus, melius calidus, quàm frigidus, & ſiccus. At ijs præſtò laſſitudines adſunt, niſi Apotherapia deuitētur; quamuis ſæpiſſimè ob ſolitam conſuetudinem, minimè moleſtari à laboribus, & magnis exercitijs ſoleant. Hinc Hipp.2.Aphor. Qui conſueti ſolitos labores ferre, & ſi fuerint ſenes, & imbecilles, inſuetis, fortibus, & iuuenibus facilius ferunt. At nobiles, & ij, qui liberã vitam degunt, quia tãtum valetudinis gratia exercitantur, nuſquam laſſabuntur, quippe huiuſmodi exercitium adire nulla neceſſitate coguntur, vt Gal.3.de ſanit.tuen. cap.2. explicauit, ideo tales duplicem acquirunt vtilitatē, excrementa enim expurgant, & corpus à laſſitudine tutum reddunt. Inter exercitationes connumerantur bonarum literarum ſtudia, quorum tempus tunc aptius reputatur, cum digeſtio ſaltem in ſtomacho fuerit abſoluta, & chymus ad hepar deſcenderit: ſtudere enim à prandio, vel à cœna vaporibus cerebrũ repletur, & coctio alimenti perturbatur. Propterea à cibo quaſdã horas, amicis, ambulationi, aut rebus operis leuioris, tribuere ſolemus. Ioachimus Forcius tamen in lib. de ratione ſtud. omne tēpus ſtudio eſſe aptũ voluit, quo animus promptus eſt ad laborē: idcirco cum incitari ſe ſentiret ad legendum, aliquidue ſcribendum, nulla patiebatur occaſione impetum eum cohiberi, quocunque id fieret tēpore, etiam ſi nocte media relicto ſomno id cōtingeret. Poſt lectione, ſeu ſtylo defeſſus, nihil nitebatur repugnante natura: ſed exercitij genus aliud quærebat, quo tædium varietas minueret. Intelligant hoc ſtudendi genus ſtudioſi, & aſſueſcant (natura haud repugnãte) ſtudijs, quacunque hora animus ad ſtudium incitauerit, quod profectò veriſſimum eſſe in meipſo ſæpenumerò experior.

Exercitium inter cætera auxilia, ſudorem mouentia, maximã habet efficaciã in concitandis ſudoribus, vt benè Hipp. in lib. de diæta oſtendere conatus eſt. Nãq; ex illo non modò humores excrementitij ſufficienter attenuantur, verum atq; repurgantur, quo fit, vt exercitio homines vtentes corpora acquirant robuſtiſſima. Hinc mirum non eſt, ſi tale præſidium cunctis tertiæ regionis vitijs, ex ſuſcitato ſudore prodeſſe videatur. In affectibus autem muſculorum, & articulorum, & in malo corporis habitu, exercitio ſuſcitare ſudorē, maximi ſemper fuiſſe adiumenti experientia docuit: ſiquidem ſopitus calor reuiuiſcit, totũ corpus calefit, proinde humores digeri, & attenuari poſſe cōſentaneũ eſt. Propterea Hipp.6.Epidem.5.tex.10. laborē carnibus, & articulis eſſe cibum aſſeruit. In huius com. dicebat Gal. exercitationē articulis, car-

carnibuſq; veluti cibum eſſe, ideſt alimentum, robur adiumentum. Illico enim augeri, confirmari, ac roborari exercitationibus, haud ſecus, quàm cibis. Vt autem vtilitates, quæ ab exercitio acquirũtur, ſint magis manifeſtæ, in ſtudioſorum gratiam nonnullas in medium afferã. Calor natiuus augetur, coctiones meliores fiunt, perfectior nutritio, membrorũ mollities, laxitas meatuum, pororum apertio, excremẽtorum expurgatio, & robur virium acquiritur; ſopitus calor reuiuiſcit, corpus totũ calefit. Spiritus vehementiori impetu ad excrementorũ excretionem mouentur: humores attenuãtur, & digeruntur; ſudores copiosè citantur: vitia tertiæ regionis emendantur: muſculorum, articulorumq; affectus, & malus corporis habitus in priſtinã ſanitatem reducuntur. Abſtinemus tamen ab exercitio, & à ſudoribus, cum inflãmationes, vel vlcera in cute fuerint: à tali enim præſidio magis irritari cõſueuere, ratio omnium ex huiuſmodi remedij effectu, facilis eſt cognitu. Abſtinemus etiam à tali medela, quando muſculi, & articuli doloroſa affectione laborare ſentiuntur, ne humores ab exercitio attenuati, in partes irruant doloroſas, & grauiorem reddant affectum.

Si tamen nihil vetuerit in apparatu talis præſidij, præmiſſis, ſi opus eſt, vniuerſalibus requiſitis, præſtat ante ſudorum euocationẽ, molliter corpus fricare: auxilium enim frictionis, corpora ad ſudores pręparare cõpertum eſt. Ideo multi ſapientiſſimi viri ante conſtitutũ exercitium, articulationes omnes, vel ſaltem partes affectas, linteis tanta fricatione exerceri conſulunt, quouſque erubeſcant. Deinde oleo camæmelino, amigdalarum dulcium, & ſeminis lini perungẽdas, vt corpora fiant molliora in exercitij opere proponunt: quorum conſilium, ſapientiſſimum ſemper exiſtimaui, & eò pręcipuè, quando locus exercitij, minimè ab aeris iniurijs moleſtatur: ſiquidem hæ talia ſolent impedire remedia; quo caſu antequam corpora exercitium acciperent, leui tantum frictione tractanda iudicarem: deinde leuiter exercitium incipere, & paulatim ad vehementiora peruenire conſulerem. Sed veniamus ad quantitatem exercitij, quæ tunc proba iudicatur, cum ad laborem non fuerit extenſa, ſiquidẽ eo omnium conſilio extẽdi poſſe creditur, quouſq; corpus ex defatigatione intumeſcat, & color totius effloreſcat, vndique purpuraceus, & ſudor calidus, & vaporoſus guttatim vbique appareat, quippe hunc in ciendis ſudoribus exercitij terminum decernimus, quo factum eſt, vt exercitatio ſufficiat vſq; ad ſudore; quo tempore corporibus quietem imperamus, & pãnis munitis adeò ſudoribus vacãdum, vt quod humoris natura excitauerat, liberè

excerni

excerni poſſit: exiccato tandem ſudore linteolis,atq; refrigerato corpore,apotherapia ſuccedit,quę eſt poſtrema pars probè peractę exercitationis. De hac Gal.loco cit. Hoc tamen cōſentaneum ſemper eſſe duxi,exercitium ſub dio vtilius, quàm ſub tecto, & in Sole cōmodiùs, quàm in vmbra, niſi aeris, vel capitis diſtemperantia impedierint fieri poſſe. Quia autem corpora nō æqualis reperiuntur vigoris,propterea non æqualiter erunt tractanda,quod ex eo faciliùs hoc aſſequimur cū illa penes temperamentorū ordines variam in agendo retineant facultatē. Debilibus ergo corporibus curſus deambulatio,& leuis brachiorum motus proderit. Robuſtioribus verò ludus paruæ pilę,aut armorum,lucta,ſaltus, aut curſus vehemens. Magis autem robuſtis terram fodere,aut arare, vel pondus aliquod maximū extollere licebit. Hinc per ſudorem euacuamus ea,quæ ſecundum naturam redundare ſolēt; expurgamus inutilia excremēta, & à laſſitudine, & affectionibus corpora tuemur. At Ægyptij præſidium hoc ſolum balneis aquarum dulcium procurant: ſiquidem cum plurimo abundant ſanguine, euacuationis gratia balnea ingrediuntur, & ſudores parant, ita equidem ab imminentibus morbis liberantur. De his lege Proſperum Alpinum 3. de Medicina Ægyptiorum,cap. 17. Huiuſmodi euacuatio exercitationis loco vſurpari poteſt pro ijs, qui exerceri non poſſunt; reddere tamen ſolet corpora effœminata, & minus robuſta.

At in ægris corporibus,cùm ſudores parare opus habemus,diuerſis vtimur cautelis: ſiquidem primò quærimus, An educi debeant? In qua re ſciendum fore proponimus, ſudores tunc eſſe ſuſcitandos, cū talis requiritur excretio,& corpus poſſit tolerari. Facilè eſt viam inuenire an requiratur, ſi vel aquoſum humorē, vel tenues alios ſuccos in toto, vel in parte corporis adeſſe exuberantes cognouerimus: ſiquidē ſudores vel à toto,vel à parte,prout magis totum, vel partem morbus occupat,excitari poſſunt; quod non ſiluit Hipp.4. Aphor.38. Qua parte corporis ſudor eſt,ibi morbus. Hac ratione in alui,vel vrinę profluuio auerſionis cauſa, ſudorem interdū neceſſariò ſuſcitari debere iudicamus: quippe materia,quæ aluum,aut veſſicam ſollicitat ex partiū conſenſu ad cutem, non difficulter attrahitur; ex qua cum ſudor nimium corpus exhaurit,aut moleſtat,ad ventrem,& veſſicam cōuerti poteſt, & reuocari. Quapropter ſudores elicimus,quando ratione euacuationis à toto, vel à parte, vel alui,aut veſſicæ profluuij auerſionis, aut alterius morbi, cum quo eius materia cōmunitatem, quoquo pacto haberet,conueniunt,& requiruntur. Quomodo autem ſudorifica excre-

tio

tio tolerari nequeat, iam inſtituti conditio diſputare compungit: non enim profectò quotieſcunque ſudor requiritur, ſuſcitari debet, ne prę-ter connatum affectũ, peiora excitemus ſymptomata, atq; vice ſalutis, mortem afferamus: quippe imprudentis erit conſilij, ſudores velle in omnibus febribus, & præcipuè acutis euocare, ex eo tantum, quia in talibus ſemper requiruntur, ob id, quia ſudoribus illæ terminari cõſue-uerũt: ſed perpendere oportet & corporis vires, viſcera interna, morbi qualitatem, & humores educendos: ſi enim vires debiles noſcũtur, proculdubio ſudores haud tolerant; quandoquidem quæ vigorari cu-piunt, effuſo ſudore, exinaniuntur, & deficiũt; ſiquidem hac excretio-ne (partibus cutaneis relaxatis) ſpiritus breui tractu effundũtur, & calor innatus, in quo vita cõſiſtit, vnà diſſipatur. Hoc volebat Gal. innuere 3. de criſib. cap. 9. quando dicebat: Multos in acceſſionũ principijs propter materiæ multitudinem, vel craſſitiem, aut inflãmationis magnitudinem exitialiter laborare: multos verò in declinatione, propter virium imbecillitatem interire. Quoad interna viſcera non toleratur ſudor, ſi infirma, imbecillaq; reperiuntur, ea enim haud ſuſtinent rela-xantia præſidia, quæ ad ſudores euocandos apparamus. Idcirco talia præſidia in hoc caſu languorem afferunt, & ſpirituum diſſolutionem. Pręſtat magis in illorum affectu aſtringentibus vti, vt calor, & ſpiritus cõſeruentur. Secus autem fit relaxantibus, proinde hæc omni tempo-re gubernanda prudentis officij exiſtimo, minimèq; fore laxãda, cum illorum facultas maximè ſit ad vitam neceſſaria. In magnis febribus, quales ſunt ardentes, ſynochæ, acutæ, & feruentes, ſudorifica pręſidia nequaquam admittuntur, eo quia talia ex calidis ſimplicibus compo-ſita, febres adaugent, maioremq; viſcerum, & humorum ebullitionem concipiunt, corporaq; in pericula grauiora diſponunt. Vbi autem in morbis humores crudi, craſſi, & glutinoſi redundant, reijcimus etiam ſudores prouocantia, illa enim, quia fundunt humores, facillimè maio-rem cauſarent obſtructionem, quàm ipſimet humores facerent, & for-ſitan anguſtiores clauderent vias, & putredines, & febres intenſiùs augerent, periculũq; eſſet ne fuſi humores ad partes principes ruerent, & repentinum inducerent obitum, aut ad articulorum cauitates, vel in partes carnoſas, & muſculoſas humores intromitterentur, & noua fierent ſymptomata. Propterea quando ſudores in morbis requirun-tur, ſed alia exiſtunt, quæ huiuſmodi præſidium repudient, vtillimum eſſe cenſetur illi incumbere, quod magis vrget, altero tamen non ne-glecto.

Succe-

Succedit ſecundùm quęſitum à nobis propoſitum, Quo conſilio ſudores paremus,cum ij & requiruntur,& tolerantur inſimul.Equidem hoc totum aſſequemur,ſi vnde ſudores elicere poſſumus, cauſam perſcrutabimur. Hi primò à corporis habitu erumpunt; ſecundò à venis, atque maioribus arterijs;poſtremò per ſucceſſionem ab omnibus corporis particulis. Excipimus tamen ventriculi, inteſtinorum,& ſimiliũ partium cauitates. Huiuſmodi autem excretio, ſi propriè loquimur, primò tertiã corporis regionem euacuat,deinde ex continuitate aliarum humores attrahit,& excernit, & per conſequens vniuerſum ferè corpus expurgat. Qua de re iure Gal.4.de ſanit.tuen.ſudorem notam eſſe ſuccorum,qui in vniuerſo abundant corpore : vrinam eorum, qui in venis,decretauit. His compenſatis,naturæ artificium ſupereſt in mouendis ſudoribus, diſcutere, quemadmodum enim illam obſeruamus rarò in febribus,alijſue morbis ſemel per ſudores euacuare,atque affectus terminare, ſed potius per interualla, & ſucceſſiuis ſudoribus, & excretionibus: ita nos naturæ æmulatores facere debemus; ſiquidẽ affectus, quãuis vnica excretione ſudoris terminari aliquis videatur: experientia tamen docuit, recidiuam neceſſariò fore cõſequuturam, niſi plures ſuperuenerint. Prudentiſſima equidem natura paulatim,& per interualla tale genus vacuandi molitur, eo quod à rei neceſſitate, & humoris renitentia in ijs caſibus colluctatur. Profectò arduum eſt credere, quoslibet humores peccantes poſſe ſimul naturam attenuare,vt eos ſemel in ſudores prorumpat. Ideo quia difficillimum eſt,ipſa paulatim attenuat, & paulatim excernit. Quo nos exemplo muniti, corpus vacuare, ſudorifica excretione in affectibus, qui tali expurgatione iuuantur, per epicraſim, & per interualla prouedibimus, quemadmodum natura ipſa facere conſueuit.

Mercatus doctiſſimus 1.de recto præſidiorum vſu,cap.12.differentiam, quæ inter artem, & naturam cadit in huiuſmodi euacuatione, põderauit. Quippe natura nuſquam tutò ad ſalutem ſudores molitur, niſi in acutis, vt qui ex humoribus fiũt tenuibus, & qui adhuc vlterius tenuari facilè poſſunt;licèt in frigidis,& diuturnis affectionibus eoſdẽ etiam aliquando mouere ſoleat. Ars verò nuſquam ſudores mouere iubet,niſi in difficillimis, ac longis morbis, etiam ſi ex craſſa fiăt materia: ratio eſt, nam ea quæ ſudores mouẽt,acuti morbi renuunt,eo quia eorum caliditate magis exaſperantur. At morbi longiores, difficiles, & qui à craſſis ortũ ducunt humoribus talia medicamenta deſiderant, ijs etenim humores,quibus fiunt,attenuari,& fundi conſtat. Et ſic ars

Medicos docet debere naturæ modum in mouendis ſudoribus æmulari, vt paulatim, & per vices attenuant, & expellant. Ob id igitur ſicut in his morbis, in quibus natura hoc vtitur præſidio medico minimè licet, ita quibus ipſa denegat, eis ars tutò adhibet. Comprobantur hæc omnia à Marco validiſſims ratione. Nam cum in febribus, natura ſudores molitur, vt apertè Gal. docet 6.method. & 2. de diff. febr. humores ad ſummum feruoris, & inflammationis venire cogit, ac vniuerſum laborantis corpus, tunc temporis igneum videtur, extenſa pet totum corpus æqualiter caliditate, veluti in ſummis morborum vigoribus contingit, quo tempore ſi humores fuerint tenuiores, potentia robuſta, corpus rarum, maxima humorum putreſcentiũ pars, per ſudorem euacuabitur. Quo tempore medicamentis vacuationem illam adiuuare, ſeu moliri, eſſet omninò in grauius diſcrimẽ infirmum educeret: At ſi humores craſſi fuerint, expulſtrix imbecillis, viæque anguſtæ, ſudores nullo pacto excitabuntur, niſi ijs vtaris præſidijs, quæ facultatem fundendi humores, laxandi, ac aperiendi meatus habeant: quibus etiam accedit virtutis corroboratio, & ciborum ſubtractio, quibus ſæpè numero facultas diſtrahitur. Alia etiam ratione Naturam, & artem diſſidere demonſtrat. Quia natura nuſquam vtiliter mouet ſudorem, niſi præmiſſa, aut incepta coctione, vt Hippoc. 1. Epidem. com. 2. tex. 27. quando dicebat. Sudores multi his aderant, quique tantum aberat, vt recrearent, vt etiam contra læderent. Galenus in com. cauſam adducit. Nam attribuimus crudis morbis, nec prodeſſe ſudores, nec ſignum eſſe bonum, nam vel copiam denuntiant humorum, vel virium infirmitatem. At contingere ſolet in nonnullis febribus ex ſero ſanguinis concitati, abſque coctione in principio multos ſudores erumpere, qui ex eo, quod non egent coctione ſoluti, febres ſoluere conſueuere. Ars verò citra vllam coctionem, ſudores tutò mouere docet, quod vt conſequi poſſet, varias mouendi illos, vias præbet, nec id citra maximam conſiderationem, nam & iuxtà affectus varietatem, & corporis diſpoſitionem, variatur etiam prouocandi ſudorem modus. Hæc doctiſſimus Mercatus.

At præter hac in Apparatu ſudorem, alia requiſita ſcilicet qualitatem, & quantitatem illorum, tempus, & locum ponderamus. Qualitas ad ſpeciem, ſeu qualitatem materiæ, quam vacuare cupimus dirigitur: proponimus enim, vel aquoſum humorem, vel alios extenuatos ſuccos elicere, non carnem liquefactam, non adipẽ, non pinguedinem, aut ſanguinem, quæ ad naturæ, & vitæ ſubſidium conſeruantur: ſed

humores, qui qualitate, vel quantitate peccantes corpora noſtra moleſtant. Quantitas ſudorum vacuanda penes virium robur compenſatur. Profectò imprudentis,ſeu tyrannici conſilij eſſe exiſtimo, corpori committere, vt ſudore digeratur, animaque deficiat, Idcirco ad virium tolerantiam,ſudorum quantitas eſt conferenda. In qua re probatiſſimam ſententiam illam ſemper iudicaui, ſemel tantum in die ſudare infirmos: ſi enim bis ad ſudorem eos ſtimulamus,labore, & ſpirituum reſolutione plurimum facultas labefactatur. Propterea docuit experientia nos eſſe cautos debere in ſudorum menſura, ne corporis virtutem proſternamus; ea enim plurimum indigemus ad humores tenuandos,fundendos,& expellendos; qua propter ſi defecerit, nihil aut parum laborantes exudabunt: & quod eſt grauius ſudor potius ex vtili,quam inutili materia,facultatis defectu,non valentis nobis adminiculari,emanabit.

Tempus ſudoribus opportunum illud eſſe iudicamus, cum vires ſufferunt,& à morbo requiritur: at non æquè in omnibus morbi temporibus,illos euocamus, quippe in principio, quando humores crudi reperiuntur,à tali excretione abſtinendum fore cēſeo, cum enim crudi ſucci ad cutim euocantur, neceſſariò obſtruunt, & claudunt anguſtiora foramina: propterea ſatius erit dimittere, vel mouere cum in vrinis, & excrementis coctionem videbimus, quam etiam adiuuare conabimur,ſiquidem cum ſucci craſſi,& glutinoſi ſunt,vt euacuationi diſponantur, extenuandi, atque incidendi ſunt: quippè naturæ ordinem tunc aſſequemur, quæ præmiſſa, vel incepta coctione illos euocare vtiliter conſueuit. In acceſſionis autem temporibus,in declinatione ſudor iudicatur opportunus, eo quia ad cutim tūc temporis dirigit humoris,propterea præſidia,quæ in declinatione adhibentur,ideo maiorem operandi retinent efficaciā, quia natura habent adiuuantem,cuius modum in cunctis ferè morbis ſemper expedit imitari. Ipſa in aſſiduis febribus copioſiores mouet ſudores: quam in intermittentibus. A pari nos in caſibus huiuſmodi in febribus interpellatis reiterare debemus euocationem potiùs, nec largos ſudores ſuſcitare; niſi peroptima humorum ſit facta digeſtio: In continuis verò ex humorum conuenientia largiores mouere opus habemus.

Vt autem inculpatè ſudores profluant,triplicato ſtudio incumbendum propono. Primò vt ante eorum eruptionem, humorum exuberantiæ præcedat diminutio, namque periculoſum eſt, cum humores ſuperflue redundant, omnes per ſudorem digerere: reiteratis enim fre-

frequenter ſudorificis præſidijs, proculdubio fluxiones, alijque affectus plurimum exacerbantur. Namque probatum eſt, ſudoriferum medicamentum, cum humorum abundantiam nequeat tenuare, illos abſque reſolutione fluxiles reddere. Hinc peiores in ægro ſuccedunt labores, nam licet humores tenues facti ſint, quia autem ſunt copioſi, minimeque reſoluti, vias replent, atque difficulter digeri poſſunt. Secundò, vt corpus vniuerſum ad mollitiem, & laxitatem tendat, cutiſque foramina ſint aperta. Expedit etiam infirmum in domicilio, ex aere calido parato reponere. Tertiò, vt humorum craſſities adeò ſit tenuata, vt per vias etiam anguſtiſſimas hi facilè poſſint tranſcolari. Locus à quo ſudores elicimus, quippè vnus eſt, pori ſcilicet, & meatus cutanei. Differentia tamen aliqua contingit circa euacuationem: ſi enim humores in vniuerſo peccauerint corpore, æquabiliter ſudorem ſuſcitare ab vniuerſa cute ſtudemus, ſin autem in particulari loco peccauerint à parte magis, quam à toto ſudores, procurabimus.

Supereſt tertium quæſitum, quod eſt de Inſtrumentis, quibus ſudores mouentur, diſputare. Hæc, natura ea eſſe docet, quæ ad ſudorem eruptionem concurrunt, atque in triplici numero reponuntur. Sunt enim facultas expulctrix. Humor ſuperfluens, & locus. Facultas (cum in morbis ſudores concupiſcimus) ſi valida fuerit, conſeruanda eſt: ſiquidem eius opera facilius intentum aſſequemur: Sin autem infirma, peccantes humores vtique debiliter per ſudores excernere poterit: nam ſi eius ferè auxilio ſucci peccantes tenuantur, funduntur, & expelluntur, conſentaneum eſt, id perfici non poſſe ſi illius actio infirma fuerit, idcirco confirmanda eſt, vt melius ſuo fungatur munere; idque duplici via abſoluemus, partim ſcilicet per ea, quæ immoderatam corrigunt intemperiem, partim per ea, quæ deperditum exhauſtumque reficiunt. At potiſſimum optimis confirmatur alimentis, vinoque tenui, & odorifero, quippè, vbi coctio apparuerit vtiliter febrientibus ad ſudores excitandos hæc concedimus, vt Galenus 11. metho. med. cap. 9. & 1. ad Glauconem cap. 9. quibus in locis, multa ad remedium refectionis adducuntur: Humor ſeu materia, quæ per ſudorem expelli paratur, difficulter excerni potuerit, ſi craſſa, vel viſcida, & glutinoſa fuerit. Propterea idoneam minimè iudicamus, vt per cutis foramina educatur, niſi priùs extenuatam, atque inciſam redidderimus. Præſtamus hoc, tum victu, tum medicamentis extenuantibus, quibus craſſum extenuatur, glutinoſum autem inciditur, & detergitur. Sub victu ſex res non naturales quærere oportet, quæ tales eſſe compro-

Aaa 2 bantur,

bantur, quæ extenuandi vim retinent. Ideò in hoc negotio aer conuenit tenuis, & ſiccus, at maior erit operatio ſiccitatis, ſi cum calore, quam ſi cum frigido copulatur. Cibus ſit paucus, vel talis, vt ad extenuandos humores accommodetur. Iuuant panis ſecundarius, cremor ptiſanæ, auiculæ montanæ, turdi, perdices, hædi, piſces ſaxatiles, vel ſale conditi, ſi fuerint paruuli; potus ſit paulus, atque extenuans, vt vinum tenue, & aqua dilutum, tum oximel, & apomel. Somnus ſit breuior, vigilia longior: Motus, & animi perturbationes magnopere extenuant, quando permitti poſſunt, itaque medici erit, infirmum tractare circa res non naturales, prout magis expedierit in valetudine, vt humorum craſſorum extenuatio ſuccedat, & vires non diminuantur. Medicamenta verò extenuantia ea ſunt, quæ in tenui ſubſtantia conſiſtũt, vt Bettonica, radix aſparagi Thimus, capparis, calamus odoratus, cinamomum, anethum, apium, & alia, quæ apud doctores noſtros colliguntur. Nonnulla autem ſunt, quæ magis frigida ſunt, quam calida, & extenuatiua ſunt ob eorum ſubſtantiam tenuium partium, vt acetum vinum acidum, ſuccus limonis, mali aurantij, oximel, & apomel. Quod ſi cum his detergentia miſcebimus, tanto citius humores peccantes ſudoribus idonei parabuntur. Sunt autem detergentia efficaciora, quæ cum amaritudine adiunctum habebunt aliquid acerbitatis, quale eſt Abſinthium, Abrotanũ, cortex radicis capparis, calamintha, Amigdalæ amaræ, Ariſtologia, Arthemiſia, & ſimilia.

Volo autem ſtudioſos admonere medicos, extenuãtium vſum diuturnum, ſæpiſſimè noxium eſſe, non ſolum medicamentorum, ſed exculentorum, & potulentorum quapropter vel parcè, vel cum cautela ijs vtemur, quando eorum decocta, vel aliud apparatum infirmis ſunt propinanda: generant enim biliosum, & melancholicum humorem in corporibus, quæ his aſſiduè vtuntur: ſæpè etiam calculum, eo quod craſſities ab extenuantibus exiccata, quam facillimè lapideſcunt. Quapropter ſi ab extenuantibus ceſſare opus eſt, ea infirmis propinanda conſulo, quæ ſudores prouocare ſolent calore nimirum, & humiditate tantum. Sit tamen conſilium hoc perenne, vt ſi ſumuntur huiuſmodi medicamenta, ſolum præparandi gratia, infirmos haud eſſe cogendos ad ſudorem, quippè ſatius erit ad quietem, vel ad ſomnum citra ſudores detinere. Perficient hoc mulſa, ſerpillum cum mulſa, decoctum tormentillæ, caſſiæ ligneæ, ſquinanti cum calamo aromatico, chamameli. Decoctum Saluiæ chamepytheos, bettonicæ, florum papaueris agreſtis, & multa alia, quæ omittimus; tan-

quam inferius declarando. Cum autem hæc vſurpare volumus ad humorum præparationem, quippè ſummo mane quantitatem harum decoctionum, eamque calore tepidam ægrotis propinare poterimus, ſudare tamen prohibebimus, iterum multo poſt leuem cænam idem decoctum eſt propinandum. Sequenti autem die ſummo mane ſudatorium eſt parandum, quo tempore munitus linteis, & indumentis exiſtat infirmus.

Hic eſt modus extenuandi, & præparandi craſſos, & glutinoſos humores, vt ijs ſudoribus idonei reperiantur. Verumtamen in ſuſcitandis ſudoribus ab admodum ſiccis perpetuo cauere debemus in potioribus; potiſſimum dum ſumus in febribus: exterius verò ſecurius adhiberi ea poſſe iudicamus. In propinandis decoctis, quam maximè, aliqua ſyrapia, fumariæ nimirum, lupulorum, florum papaueris agreſtis, capill. Vener. de quinque radic. ſimplic. aut compos: mellis, roſ. aut ſyrup. de bugloſſa &c. Hæc autem iuxtà humoris peccantis qualitatem ſunt eligenda.

Locus vnde ſudor effluere debet, cutis ipſa corporis eſt; cuius foramina, quia multoties à ſordibus, humoribuſque craſſis, & glutinoſis obſtruuntur: ſæpèque ab ijs, quæ frigida, & ſicca, ſunt conſtringuntur, ſeu denſantur, ſudores erumpentes impediunt. Idcirco ſi ſudores ſuſcitari volumus, aditum parare oportet, & ipſa foramina aperire, quod aſſequemur, ſi quod obſtruit remouebimus, & quod denſatum eſt relaxabimus. Vt autem, aliàs diximus, quod obſtruit; quia glutinoſum eſt; propterea ad ſui remotionem detergentia poſtulat. Hoc voluit Gal. 5. ſimplic. med. facul. 12. quando dicebat. Quæ in ſuperficie, ſordem auferunt, ſiue in cute, ſiue in vlceribus extergentia nominantur. Hæc ſi admodum calida eliguntur, neceſſariò nouam materiam ad cutim attrahent, magiſque obſtruent: ſi verò nimis frigida facilè adſtringent; quapropter ab ijs cauebimus. Præſtabit eligere moderatè ſicca, quæ careant, & aſtrictione, & frigoris, & caloris exceſſu: ſintque partium tenuium. Hinc Galenus loc. citat. cutis foraminibus detergendis amara, & nitroſa applicanda conſuluit, quale eſt nitrum, amigdalæ amaræ, Iris, Ariſtologia, farina lupini. De his vide Iacobum Vueccherum in c. de medicamen. deterg. in practica medicinæ generali. & Galen. in 3. de ſanitat. tuend. capitulo 10. At ſi cutis foramina denſata, ſeu aſtricta fuerint: rarefacientia præſidia requirent. Hæc autem calida, & humida eſſe debent: Si enim cutis à frigore, & ſicco denſatur, à calore, & humido relaxabitur,

tanquam

tanquam à ſuo contrario. Verum non quælibet caliditas, aut humiditas apta eſt cutim relaxare, & aperire: ſed ea, quæ moderata eſt in calore, ſeu non traſcendat primum caloris gradum, cum qua ſi humiditas coniungitur, quippè efficacius, pro ſudore ciendo, cuteque relaxanda, præſidium erit. Profectò immoderata caliditas, & ſiccitas, licet primò cutim videantur relaxare, & ſudores mouere, tamen violen ter hoc agunt humores liquefaciendo. Propterea cutim exiccant, tractu temporis aſtringunt, & ſudoris materiam abſumunt. Igitur vtendum eſt calidis, & humidis moderate, & quæ ſint tenuium partium, ſiquidem hæc propriè dicuntur ſudorem euocare. Huiuſmodi ſunt Chamæmelum fænugrecum, lini ſemen, melilotus, quibus cataplaſmata, vel perfuſiones ad cutim fiunt.

Nolui autem vnum per quam neceſſarium præterire. In cute nimirum relaxanda, non modo ea conferre, quę extrinſecè adaptantur: verum atque quæ intrinſecè adhibentur. Potio aquæ hordei magnæ eſt efficaciæ in hac materia; maioris tamen aqua in qua fuerit decoctum Chamæmelum, de quo Galenus 3. ſimplic. med. facul. cap. 10. dicebat. Eſt & chamæmelum tenuitate quidem roſæ perſimile, calore verò ad olei vires magis accedens, homini tum familiares, tum temperatas. Quapropter laſſitudini, vt ſi quid aliud, cum primis confert, doloreſque mitigat: propterea tenſa remittit, & laxat: quæque medíocriter dura ſunt, emollit, quæque conſtipata rarefacit. Qua de re, & ab Ægyptiorum ſapientiſſimis, Soli conſecratum eſt, febriumque omnium, putatur remedium. Extrinſecus comodoſimum eſt Balneum aquæ dulcis, aer calidus, & humidus, inunctiones ex oleo anethino, perfuſiones, cataplaſmata, & fomenta, quæ ex antedictis ſimplicibus parari poſſunt. Hæc autem poſt acceſſionem, cum iam remittitur febris, aut in calefactis intermittit corporibus adhibentur: ſiquidem ante prodeſſe non poſſunt: In alijs verò in horis magis temperatis applicamus. Quapropter non vna eſt facultas ſudores mouendi, quippè vidimus extenuantem, incidentem, detergētem, & relaxantem inuenire: quæ ſicuti diuerſæ ſunt, ita ad diuerſos fines ijs vtimur. Idcirco modò vna modo plures opus ſunt, partim ad humores educendos, partim ad detergenda obſtructa foramina: frequentius tamen ad rarefaciendam, & relaxandam cutim ipſam, eo, vt libentius ſudores eliciantur. Excuſſis ſudoribus diſputant Doctores: An melius ſit, vt liberalius profluere queant detergere: an verò fluentes relinquere, ſunt qui pertinaciter, minimè eſſe detergendos contendunt, aſſerentes re-

tinere

tinere ſudores calidam expirationem: qua ſudores magis attrahuntur. Alij verò deterſionem laudant, vt apertis foraminibus, ſudorum aditus ſemper expeditior exiſtat. Profectò horum maior pars aſtergere conatur, cum largiores cupiunt ſudores: ratio eſſe poteſt, nam extrinſecus refrigerari contingit, niſi, abſterſio ſuccedit: quippè experimento comprobatum eſt, ex ſudore euacuato, atque non abſterſo cutim denſari, & ſudores impediri potius, quam euocari.

Hucuſque de ſudorum Apparatu generaliter diſputauimus: ſupereſt modo ſudorum ordines, quibus plurimi corporis noſtri affectus curari valent recenſere. Propterea de Fomentis, Inunctionibus, Suffitis, Ceratis, Emplaſtris, Balneis, & vltimò de ijs, quę potantur ad ſudores eliciendos differere paramus: ſiquidem his totus ſudorum apparatus per quam luculentus iudicabitur. Profectò varius modus prouocandi ſudores, à ſitu, & partium varietate, è quibus cupimus materiam attrahere, originem habuiſſe exiſtimo, non enim obſtat, omnibus ſudorum modis, hoc vnum commune exiſtere, vt à tertia corporis regione cacochimiam expurgent: ſiquidem ſinguli ex conſequio vniuerſam reſpiciunt regionem, ex qua cauſa, non eſt verendum ab alijs corporis etiam particulis, ſudores poſſe moueri, & proinde ad curam particularis morbi deſignari. Sumatur rei concluſio à corporis locis, in quibus humores peccantes ineſſe ſolent, profectò ex horum varietate, rationabiliter ſudorum modos variari poſſe confitebimur. Hi enim, vel in vaſorum finibus, vel in maioribus vaſis, vel in partibus reconditis, articulorum cauitatibus, vel in partibus carnoſis, & muſculoſis ineſſe poſſunt: propterea quando tutò expurgantibus vti non poſſumus, atque ad ſudores recurrimus, plerumque modum variare opus habemus, vt curæ deinde ſcopum attingamus. Vt autem ad auxiliorum varietatem ritè accedere valeamus, illa eligere oportebit, quæ magis in re medica prodeſſe poterunt: ſiquidem ita noſter ſudorum apparatus perficietur. In qua re, vt cuncta hæc in ſtudioſorum gratiam ſelectiora deueniant; ea recolligere requiſita, quæ antequam corpus ad ſudorem paratur, neceſſaria perpetuò exiſtimaui, vtillimum eſſe conſulo. Sine his profectò cæco veſtigio languores medicus curabit, & in perniciem infirmos conducet. Hæc numero tria ſunt. Primum reſpicit corporis plenitudinem. Secundum Cachochimiam. Tertium humores, quæ omnia ante ſudoris eruptionem conſultò, & magna ſolertia præmeditāda ſunt. Quoad primum, ſi plenitudo fuerit in corpore, ſanguinis miſſio ex venis, virtute permittente, & morbi

natura

natura depoſcente iudicabitur opportuna: ſin verò affectus, vel virtus contra indicauerit, ab ea abſtinendum conſulo, alioquin multa inconuenientia ſubſequentur: nam ſicuti à prætermiſſa phlobotomia, (vigente plectoria) ex medicamentis ſudorificis in maiores fluxiones, dolores, tenſiones, & febres corpus excitabitur, ita ex inconſultò facta à ſanguine diminuto, in eaſdem, (ſuſcitato ſudore) affectiones corruet, non enim natura duas euacuationes ſufferre poterit. Quoad ſecundum ſi humores vitioſi in corpore redundauerint, in grauiora mala concitabitur infirmus, ſi ſudorifica præſidia guſtabit. Hi enim copiosè ad cutim, vel ad partes ſibi ſubiectas irruentes, facillimè foramina occludent, eruntque potiùs, ſudoribus impedimento, quam facilitati, ex quo nouæ, & grauiores ijs motis, & retentis, in graue ęgrotantis periculum, affectiones ſuſcitabuntur. Vt autem hæc effugiamus, & vt rite corpora ad ſudores paremus, medicamento purganti primò cachochymiam expurgabimus: deinde ad ſudoris auxilia confugiemus, niſi tamen aliud obſtiterit. Quoad tertium, ſudoris vſum in corpore ſuſcitandi, humorum extenuatio, cutiſque rarefactio præcedere debet: ita ij pro huiuſmodi excretione idonei reperientur. De quo requiſito, quia ſuperius longius verba fecimus, non eſt, quod hic iterum eadem repetamus.

De Fomentis.

FOmenta à fouendo dicuntur, eo quia applicata, corporis partes ſuo calore fouere videntur. His & à toto, & à parte aliqua affecta ſudores prouocare poſſumus: aptius tamen à partibus humores contentos, ſuſcitato ſudore elicimus: ſiquidem à toto, hæc talia diutius, & frequentius prope cor, hepar, & continuas partes, vt ſcopum aſſequamur applicare oportet. Hæc varijs parantur formis, modò enim ex decoctis herbarum, florum, ſeminum, radicum, fructuum, ad tertias, vel dimidias conſumptis, modò ex decoctis cataplaſmatum in aqua, vino, vel oleo, quæ in veſica, vaſculo æneo, ſtanneo, aut teſtaceo ſpongia, linteo duplicato, aut panno lineo imbuto, & expreſſo excepta adhibentur. Quod ſi arida, ex milio torrefacto, furfuribuſque defrixis, & ijs, quæ torridafieri poſſunt apparamus, hæc linteis, vel ſacculis, dum arida, & calida ſunt includi poſſunt, & aquæ calidæ, vel decoctis immerguntur, atque aptè (expreſſa humiditate) partibus applicantur, & ſubinde mutantur, ſi refrigeſcunt. Sæpè etiam parantur

arena, vel ſale calefactis: item ex lateribus, ære, ferro, ligniſuè denſiſſimis, quæ pannis ſimiliter inuoluuntur, inter quæ fortiora ſunt, quæ ex halitu, aut cineribus ignitis ſudores ſuſcitant: Hæc in aliqua re caua ſuſcipiuntur, & linteo operta parti applicantur. Profectò his aſſiduè matronæ noſtræ medicorũ conſilio, non modo ad ciendos ſudores, verùm atque ad diſcutiendas flatuoſitates, & mitigandos dolores vtuntur: cum cineribus enim ignitis, ſolẽt multa ſimplicia morbis congruentia miſcere, quę ſi ritè adhibentur, nulli dubium eſt præſidiũ eſſe opportunum, & paratu facile. Simplicia quæ pro decoctis eligũtur, ea eſſe debẽt, quæ à medico pro affectu curando, & neceſſitate præſenti, magis congrua eſſe cõpenſantur: modò enim peccat flatus, modò fluxilis pituita, modò humores craſſi, & viſcidi, modò verò alterius naturę. Propterea in decoctis diſcutientia, attenuantia, aperientia, & ſi vitium erit in cute etiã detergentia miſcere ſolemus, ita equidẽ votũ aſſequemur. Quoad partes, Oculis, Thoraci, Vẽtri, Iecori, Lieni, Renibus, veſicę, vtero, & alijs partibus adhiberi poſſunt, quod ſi (ante cataplaſmata, vel vnguenta applicata) in vſum veniunt, non ſolũ poros aperiũt, & cutẽ relaxant à ſudoribus ſuſcitatis, verũ atq; alijs remedijs, quodammodo viã muniunt. Nonnulli ad cões corporis affectus, iuxta pedes, manus, ac latera huiuſmodi decoctis applicatis ſudores concitant, in qua re maximopere vacandũ admoneo, ne in his adhibẽdis, aliqua pars è viſceribus, inflãmatione, ſeu intẽperie moleſtetur: quippè ex concitato calore in grauiorẽ deueniret affectionẽ: quare in talib. caſib. ſatius eſt è prædictis auxilijs abſtinere. Methodus vtẽdi fomẽtis in corporib. eſt tranſacto principio, & impetu morborũ: ante tñ corporis euacuationẽ malè adhibentur, eo quod humorũ maior pars ad partẽ traheretur calefactã: quamq; euacuatur, & diſcutitur. Propterea cum ijs, in febrib. vtimur, huiuſmodi cautelã habemus, vt ieiuno ſtomacho, & probè peractis coctionib. ne excrementa ad partem trahantur affectã, vel cruditates ſuccedãt adhibere procuremus. In Arthritide, Podagra, chiragra, alijſq; articulorũ diuturnis affectib. & difficulter curabilib. præſtãtiſſima eſſe remedia iudicantur: ſiquidẽ in tophis, tumoribus, ſimilibuſq; particularib. affectibus ad diſcutiendas, & abſumẽdas eorũ reliquias vtiliſſimum eſt, in morborum declinatione, humores, & materias ibi compactas in ſudores euocari. Colicis, alijſque viſcerum doloribus ex craſſo ſpiritu, fluxilique pituita excitatis validiſſime ſubuenitur. Nephriticis, ſtranguriæ, inflammationibus pleuriticis, viſceribus, vtero, oculis, bubonibus, ædematibus, & neruis induratis, quam maximè proſunt. Conferunt & ijs, qui hyemali, vel rigido tempore ſudare coguntur.

humoris ſcilicet peccantis naturam in morbis fore compenſandam. Si enim fuerit affectus ex craſſo, viſcidoque humore, ſæpiſſimè ex fomentis magis denſatur materia, & rebellior euadit. Propterea humidum tantum fomentum, ex calidorũ medicamentorum decocto, & rerum extenuantium compoſitum applicamus. Influxili verò, & aquoſa pituita ſiccis fomentis commodius, vt Celſus lib.2.c.16. in flatuoſa autem materia vtriſque vtimur. Quod ſi in affectibus ſumus, vbi bilioſa cachochimia redundauerit, ad attemperandam eius acrimoniam, humidis fomentis, ex aqua tepida, vbi flores cordiales ebullierint confectis vti oportet; illa quippè dolorem ſedant, coquunt, emolliunt, & diſcutiunt. In hepatis, vel ventriculi affectibus nunquam abſque adſtringentibus vti debemus. Hæc ſunt Abſynthium, maſtix, cidonum &c. Omnia tamen præuio calore operantur, cuius facultatis vis ex laxare, aperire, euocare, attrahere, digerere, ad quæ vt plurimum ſudor conſequitur.

Radices fomentorum apparatũ ingredientes ſunt Maluæ, Altheæ, Liliorũ, Raphani, petroſelini, fæniculi, aſparacorum &c. Semina Maluæ, altheæ, petroſelini, apij, lini, fænugreci, ſeſeleos, agnicaſti, fæniculi, aniſi, milij orobi, &c. Flores chamæmeli, meliloti, ſambuci, ſummitates, anethi, maioranæ, &c. Fructus ficus, paſſulæ, cucumer agreſtis. Mineralia, ſal, ſulphur, nitrum, &c. Cum autem parare volumus pro ſingulis liquorum libris accipiatur Man.j. vel 11. herbarum, aſſumatur dimidia, vel tertia pars cocturæ, quod ſi Mineralia addenda ſunt, quantitas rei, qualitatem compoſiti non excedat. Hæc autem formulis erunt clariora.

℞. flor. camomillæ
Meliloti
Anethi, altheæ an. m. ÷
Sem. lini, fænugræci, aniſi, fæniculi an. vnc. ÷
Coquantur in aqua ſuffic. ad medietatem, & inde ſpongia adhibeatur parti.

℞. rad. altheæ, liliorum albor. an. vnc. ij.
Sem. lini, fænugræci an. dra. iij. Ficuum pinguium: num. 6.
Florum camæmeli, anethi, ſummit. flor. meliloti an. p. j.
Summit. Maioranæ m. ÷ Bulliant vino, & aqua, vel lixiuio ſarmentitio ad tert. part. conſumpt. &c. Hoc emollit & diſcutit ex Heurnio.

℞. Maluæ cum rad. m. j.

flor.

flor. camæmeli, Meliloti an. p. j.
Sem. lini vnc. j. Ficuum: num. 40. Decoquantur in aqua ad tertium. Veſica repleta hoc iure calente, lateri affecto, ſemel, & iterum admoueatur. ex Andernaco. Reſoluit, & diſcutit flatum.
℞. rad. Altheæ vnc. ij. Calamenthi, origani an m. j.
Sem. lini fænugræci an. vnc. j. Sem. apij, petroſeli, ſeſeleos an. vnc. ÷.
Flor. camomillæ, meliloti, vel florum ſambuci an. p. j.
Decoquantur aqua, vino, & oleo, & fiat fotus cum ſpongijs; pro Colico dolore, ex Rondoletio.

Fomentorum formæ infinitæ poſſent adduci, quæ ad affectus narratos, & ad alios in quotidiano vſu ſunt; cauendum tamen, ne nimis diu his calidis vtamur fomentis, nam vt habetur ex Hippoc. 5. Aphor. Vbi calido ſi quis diu multum vtatur, &c. multa incommoda ſuccedunt ex diu, & præter rationem frequentatis fomentatis. Tu vero ſi plura optas ad eas Iacobum Vueccherum lib. 2. Antidot. in c. de Fomentis. Heurnium, Andernatum, Quercetanum, & alios.

De vnguentis, Ceratis, Linim. & Emplaſtris.

NOn minori efficacia, ex vnctionibus, Linimentis, Ceratis, & Emplaſtris à corporibus ſudores, quam ex fomentorum facultate prouocamus. Hæc auxilia, magno apud veteres in vſu fuere, vt apud Athenæum legitur lib. 15. c. 14. Et in Seneca lib. 4. cap. 13. Vſus tamen antiquiſſimus ex Anacreonte, vt Diodorus lib. 2. de Myri Bege Ægypti, eluxit: Hinc ex Philoſtrato lib. 3. c. 5. de vita Apollonij, nec Iarcham Brachmannorum Principem, ab vnguentis alienum fuiſſe habemus. Hic antequam lauaret calidiſſimo vnguento, quo ſudor manabat, ſe ſe vngebat. Differunt hæc inter ſe molliori, & craſſiori conſiſtentia: linimenta vnctiones liquidiores ſunt: vnguenta verò craſſiores. Cerata duriorem habent conſiſtentiam: Omnium verò tenaciora ſunt Emplaſtra. Linimenta fiunt ex oleo, adipe, ſeuo, butiro, liquefactis vel alijs, quæ olei ſpiſſitudinem habent, vt de Stirace liquida &c. Vnguēta fiunt ex oleis, pulueribus, cera, adipibus, lachrymis, & gummis. Pulueres pro eliciendo ſudore ſunt illæ, quæ aperiēdi, extenuandi, detergendi, & attrahendi vim habent: vt camamæli ſicci, calaminthæ, ſeſelis, pyretri, aniſi, nitri, ſalis, ariſtologiæ, caſſiæ, calami aromatici, angelicæ. &c. Cerata à cera dicta, ex pulueribus, oleo, cera, reſina,

pice,& ſimilibus, Emplaſtra ex pulueribus, gummis, farinis,& oleis, vel axungijs,ſi opus eſt.

Magnam vnctiones in morbis Medicis commoditatẽ afferunt. illæ eñim ingenti cum vtilitate in aliquot affectibus malignis, quales ſunt febres,in quibus maculæ floreſcunt in cute, vſurpantur: eo potiſſimũ, quia interius ſudorifica præſidia adhibere periculoſum iudicatur: In alijs verò duplici cautela in vſu veniunt: quippe cutis denſitatem, ſcabritiem,duritiemq; emolliunt,atque a profundioribus partibus,ad exteriores humores alliciunt,quo fit, vt idoneę etiam ad humorũ craſſorum,& viſcidorũ extenuationẽ exiſtimentur: necnon ad adiuuandam naturam,quę ad euacuationẽ excrementorum per cutis foramina prona apparuerit: vel quæ forſitan incæperit; deinde vel humorũ viſciditate,vel cutis vitio,aut aeris algore deſiſterit. His omnibus,linimẽtis, vnguentiſque congruis,teſtimonio Aetij lib.1.ſerm.4.cap.107.ſuccurrimus.In febribus autem vbi magna ſentitur caliditas,leues vnctiones adhibendas,ne magis corpora accendantur conſulo: ſiquidem humores acutiores facti morbum augent,vt Gal.11.meth.c.9. In quibus verò mitiores fiunt febres, vel abſque febre fuerint, vtique potẽtiora talis generis auxilia permittuntur. De his vide Æginetam lib.1.cap.48. Propterea in morbo Gallico occulatiſſimi Medici inter cætera diſcutientia prę́ſidio,Mercurium,ſiue Argentum viuũ commiſcent;E quorum inunctionibus in magnum ſudorum impetum corpora erũpunt. Ingreditur enim remedium hoc ad penitiſſimas corporis regiones: Idcirco ſæpiſſimè non ſolum per ſudores,euacuat humores:ſed etiam per aluum, & veſicam. Per cerota, & emplaſtra eandem aſſequimur vtilitatem in Veneris peſtilentia: ſi ijs Mercurium, Cinnabarim, vel Euphorbium miſcemus. In hoc tamen differunt a primis, quod per cerota,& emplaſtra nonnullos particulares morbos indomitos, & inueteratos maiori profectu, quam linimentis, & liquidioribus vnguentis curamus.

Multi medici præſtantiſſimi in linimentis Mercuriũ abhorrent, aſſerentes eſſe veneficæ,& malignę qualitatis: ſed mihi admodũ arridet Ludouici Mercati medici eminentiſſimi opinio, qui in lib.de Morbo Gallico c.11.eius perniciem,& venenatam conditionẽ, à medicamentis,quæ illi admiſta,frænum, & attemperamentum præſtant retundi: quibus ab eo,quicquid lethale exiſtit,niſi imprudenter eo vtaris, ſeparatur. Sed videamus modò quibus inunctio hæc cũ Hydrargyro conueniat,quibus verò noceat,ad hoc vt liberè vti ſciãt ſtudioſi. Profectò

his om-

his omnibus, quibus validæ ſunt vires, caput robuſtũ, & qui ſine fructu alia benigniora præſidia experti ſunt cõuenit. Prohibet hoc auxilium virtus debilis ſecundũ partes, & ſecundum totum. Secundũ partes, vt adnotauit Hierony. Capiuac. lib. 5. c. 10. ſi in corpore adſunt vlcera: In lingua verò, ore, vel labijs non impedit. Secundũ totum, ſi febrem habuerit infirmus, ſi pulſum debilẽ, vel maciem ſuſtineat improbatur. In vitijs neruorum, in ſtupore, paralyſi &c. hoc remedium deteſtatur, itidem in articulorũ doloribus, qui è lue gallica non fiant, quippè vis neruorum penitus adimeretur. Deteſtatur etiã linimentum hoc, ſi Mercurius non fuerit ante miſcelam benè correptus: abſq; enim proba correctione, venenoſitatis erit particeps, & valdè calidum. Luca Ghinus medicus Bononienſis in ſuo de Morbo Neapolitano, Mercuriũ corrigit ſæpè, mortificando aceto, vel ſucco citri, aut limonis, deinde ad ignem tandiu retinet, quouſque ſuccus, vel acetum expiret: idq; reiterandum ſæpius conſulit. Alij afferunt ſaliua hominis ieiuni, vel Theriaca, & Mithridato optimè corrigi. Quando autem vnctiones fieri debeant, videat lector Mercurialis, & Capiuaccei opinionem.

Cum autem inunctiones paramus, vt ſudores ſuſcitemus: corpus vngitur, vt ex profundioribus partibus, humores ad cutim facilius trahantur: quo tempore liniendæ ſunt corporis partes iuxta inguina, ſub axillis, atque omnes articulationes. Cum autem vnguentis vtimur cum Hydrargyro, Cinnabari, aut Euphorbio, tãgere inguina, caput, cor, & alas periculoſum eſt. Sit tamen cautus doctus medicus, nequaquam talia adminiſtrare præſidia, corpore, ex plenitudine, & cacochimia non purgato, niſi velit in perniciem hominem adducere. Vt autem talis præſidij formulas, ſtudioſus pro lue venerea percipiat, aliquot, quales nonnulli diſertiſſimi viri in vſu habuere, inſerui.

Linimentum ad Tophos in lue venerea.

℞. Argenti viui vnc. vj.
Pinguedinis ſuillæ, non liquatæ, neque ſalitæ lib. j.
Extinguatur Argentum viuum in prædicta axungia ſecundum artem, deinde adde. Medullæ cruris bouis vnc. ÷
Olei ex Terebinthina vnc. j. olei ex ligno Sancto: vnc. iij. Croci dra. j.
Pulu. Iuæ, & Betton. an. vnc. ÷ Miſce, & fiat linim. Hercules Saxonia vnguen. ſudorif. in Morbo Gallico.

℞. Aſſungiæ ſuillæ lib. j.
Pingued. gallinæ, butiri recentis an. vnc. j.

Ol. ca-

Ol.camomellini, & liliorum an. vnc.iiij. Ol. Laur. & anethi: an. vnc. ij.
Thuris, Maſticis, Mirræ an.vnc.÷ Argenti viui vnc.v.
Therebinthinæ lotæ in aqua vitæ vnc.iij. Reſinæ pini vnc.iiij.
Miſce, & fiat vnguentum. Antonius Chalmeteus.

Vnctio in Morbo Gallico.

℞. Thuris, Maſticis, Mirræ an.dra.ij.
Cinamomi, Zinziberis, piperis longi, cubebæ an.dra.j.
Sandaracæ Græcor. mumij an.dra.÷ Cineris Thamariſci vnc.iij.
Butiri recentis vnc.iiij. Pinguedinis porcinæ lib.÷
Succi Plantaginis. Argenti viui extincti cum ſucco limonis, an. vnc.iij. Miſce, & in mortario lapideo fiat. Vnd. Amatus: Luſit.
℞. Pinguedinis porcinæ lib.j.ol.Hipericonis vnc.j.
Vnguenti Aragon.vnc.ij. Thuris vnc.÷ Ceruſæ vnc.ij.
Argenti viui mortificati in aceto vnc.vj. miſce in Mortar. lapid. & fiat vnguentum Falloppius. Reliqua apud ſcriptores.

De Suffimigijs, ſeu Suffitibus.

SVffimenta ea dicuntur eſſe medicamenta, quæ incenduntur, aut ignitis carbonibus iniciuntur, quorum vſum antiquiſſimum fuiſſe reperimus: nam ex Hippocratis ſententia Antyllum antiquiſſimum medicũ ab vteri vitia tale præſidium adhibuiſſe legitur. Imo ipſe Hippocrates magnam ſibi gloriam tali medicamine cõparauit, dum olim Athenas iniectis corallis, herbis, lignisque odoratis, ac vnguentis focis ardentibus liberauit: ab Acrone Agrigentino autem vt Laertius adnotauit, hanc artem accepiſſe videtur. Quoad materiam præſentem adnotauit Aetius lib. 1.ſerm.4.cap.157. Sudores, ſuffitibus, in corporibus ijs, quæ ex aliquo cutis vitio, denſitate nimirum, conſtrictione, aut frigiditate libere ſudare nequeunt, poſſe excitari: ex qua re arguimus à talibus humorum craſſorum, qui condenſati, aut congelati in vna, vel in pluribus corporis particulis, tam intus, quam extra repeαriuntur, fieri attenuationem. Propterea multos ſapientiſſimos viros, in tumoribus, doloribus, vitijſque genuum, & articulorum, à talibus excitatis humoribus, feliciſſimè tali præſidio vti conſueuiſſe legimus. In huiuſmodi enim humoribus ſparſim condenſatis, & congelatis, ſuffimenta eſſe tantæ efficaciæ creduntur, vt cum alia non contulerint remedia: ipſa ſolum præſentaneum exiſtat auxilium: Siquidem calore, & te-

& tenuitate vſque ad profundiſſimas corporis, & humorum partes penetrant, validiſſimeque illos extenuant, ſundunt, liquant, atque in ſudorem excerni ſubcogunt. Verum tamen tempeſtate noſtra, quia auxilium hoc apud imperitos empiricos, vt plurimum reſidet, à quibus ex imperitia malè exercetur: ideò haud frequentius operatur. Ego quidem ſum huius ſententia: Suffimigia ex rebus benignis apparata, in corporibus robuſtis, poſt remedia non conferentia, in humoribus frigidis, denſis, & congelatis, in diſcutiendis à muſculis, neruis, & articulis pituitoſis ſuccis, non ſine vtilitate, atque tuto poſſe exerceri: ſiquidem in multis iſchiadis, genuque tumoribus, & doloribus experimento comprobari audio. Ex rebus verò potentibus, non niſi in deſperatis caſibus, & præmiſſo prognoſtico ſunt vſurpanda, ne præter vulgi expectationem maius, quam affectus ipſe periculum ſuccedat.

Suffimigij apparatus, ex rebus odoratis, vel fætidis fit, quæ modò in Trochiſcos, modò in puluerem, vel in alteram formam coactæ, carbonibus ignitis iniciuntur. Odorata ex Muſcho, Zibetto, Belzoino, Ambra, ſtyrace, Laudano, Thure, Gallia, Maſtice, Nuce muſcata, Cinamomo, Gariophyllis, Ligno aloe, Cubebis, & ſimilibus conſtant. Fætida verò Caſtoreo, Galbano, Bdelio, Bitumine, Lapide gagatis, arthemiſia, Sabina, Aſſa fætida &c. Hæc ſecundum rei exigentiam adhibentur: ſiquidem modò odorata, modò autem fætida requiruntur, vt apud Iacobum Vueccherum, & Heuronium, benè de re hàc differentes videre eſt. Cum autem parare volumus, hominem in lecto ſituari iubemus, ſed hoc artificio, vt operimenta illius aliquo ligneo inſtrumento eleuata perſiſtant, & in circulo nonnulla, cum ignitis carbonibus, terrea vaſcula, vel alterius mineræ, quibus ſuffimigij miſtura iniciatur, reponantur: Sit benè opertus vndique infirmus excepto capite, quod liberum à vapore ſemper fore duxi: Hac via copioſi humores, quam facilè per ſudorem vacuantur; Quod ſi non à toto, ſed ab aliqua potius particula corporis, ſudorem ſuſcitare oporteret: Ingenioſus facillimè, locum apparere ſtudebit. In paſſionibus verò vteri, cum ſuffimigijs indigemus, fæminam in ſella perſiſtere indutam, & vaſculum cum carbonibus, & miſtura ſuffitus circa pedes tenere iubebimus: ita profectò votum aſſequemur.

Hodierno tempore in morbo Gallico, præſidium hoc à Chirurgis ex potentiſſimis, & vehementiſſimis medicamentis vſurpatur: ex Hydrargyro nimirum Cinabrio, Euphorbio, Sandaraca, Præcipitato, Auripigmento &c. At hæc non auxiliaria, ſed ruinoſa merentur vocari

medica-

medicamenta: ſiquidem multi in Tectorio, dum ſuffimigia capiunt, in animi deliquium, & multi etiam in mortem veniunt. Sed quod maximopere mihi diſplicet, eſt aliquot videre, non ſolum his ſuffumigijs deleterijs in Tectorio vti (operto infirmi capite) verum atque per cannulam vaporem iſtorum, in os ægri intromitti, vt à toto ſudores ſuſcitent, procurare; quod profectò magna eſt pernicies, & immanitas: ſatius enim eſſet infirmum per cannulam externum aerem recipere, & per illam reſpirare, quam lethiferum illum vaporem ebibere: ita ſiquidem medicamenti venenoſitatem euitaret. Nam quid hercle eſt fumum Cinabrij, vel Argenti viui &c. per os attrahere, quam venenum ſumere, & certiſſimum ferè mortis periculum adire? Propterea quia hæc remedia, timoris plena perpetuo ſunt, ideo vel nunquam, vel in robuſtiſſimis corporibus, in deſperatiſſimis, & inueteratis affectibus raro tantum permitterem. Vide obſecro remedij immanitatem, quod non ſolum per ſudores, ſed per aluum, veſſicam, ſputum expurget, ſiquidem ea ſuper omnia medicamenta, vis & efficacia Argenti viui exiſtit, vt quam celerrimè ad viſcera omnia perueniat, tranſiens per venas, neruos, & arterias, quo fit, vt celerius etiam medicamenti facultatem corpori communicet. Quapropter quanto vehementior eſt eius vis, & potentia, tanto maioris periculi illius vſum ineſſe iudicamus.

Qui tandem ſuffimentis vti, in animo habuerint, antequam ad operationem accedãt, ſaltem hæc præmeditent. Suffitum non adhibeant, niſi peracta ſufficienti euacuatione per purgans medicamentum. Muniant deinde corpora languentia, & cum ad ſuffimenta ducere voluerint, matutino tempore, antequam ad præſidium ij accedant, aliquid per tres horas coquendum, cibi optimi nutrimenti porrigant. Vniuerſum operiant corpus in Tectorio, ſeu lecto artificiosè ad curam hanc parato, capite tamen, & ore excepto. Sint cauti ne in deliquium animi languentes incurrant: Hi autem ſi talem adirent affectum, faciem, vino, vel aqua frigida abluere, & remouere à ſuffimentis præſtabit. Sin minus ablatis Vaſculis cum carbonibus, poſt competens interuallum, ſinant, languentes in lecto, & cubiculo mediocriter calido abſoluere: deinde abſterſos & mundos ad cibum ducere. Quia autem remedium hoc grauiſſimum eſt, non ſingulo quoque die ſuffimẽta exerceri conſulerem: ſed tertio, quarto, aut quinto quoque die. Poterunt infirmi ſepties, vel octies ſuffimentis talibus, ad ſummum medicari, pluries verò in magnum facultatis diſpendiũ venirent. Noſcimus ſuffimenta,

opus

opus perfeciſſe, cū alius ſoluitur, aut humor per palatum defluit: profecto deſiſtendum ob vires imbecillas, & labefactatas, tunc exiſtimo; & viribus, & vitæ ſuccurrendum. Hæc porrò ſit ſuffimentorum Methodus in morbo Gallico.

Qui autem benigna, & in citatis morbis, & in lue Gallica vſurpare voluerit, quia ſunt tutiora, eo ſecurius adhiberi poterunt. Præcedant tamen perpetuò vniuerſalia requiſita, & tentatis alijs remedijs, ſi non contulerint, ad hęc tanquam ad tutam anchoram confugiat: ſiquidem hæc ſi ritè, & probè parantur, inueteratiſſimos affectus ſæpiſſimè curare ſolent. Quæ autem ſint formulæ accipite.

Suffimentum conferens iuncturis.

℞. Folio: abſynthij, anthos, ſtecados, camomillæ an. vnc. ij.
Mirræ, ſtyracis, Belzoini an. dra. iij.
Excipiantur Therebenthina, & fiant Trochis: Rondoletius.

Suffimentum ſudorificum in Morbo Gallico.

℞. Santalorum omnium an. vnc. j.
Nucis muſcatæ, Maſtic. Iunci odor. Garyophyll. Caphuræ, ſuccini; Aſſari an. vnc. ÷ cortic. Mali arantij an. vnc. j. conterantur, miſceantur, & cum guttis aliquot Therebinti: fiant paſtilli, pro vſu. Andernacus.

Suffimentum ad Tumores induratos.

℞. Marcheſitæ vnc. ij. propoleos vnc. iij.
Bdelij, Mirræ, Styracis, Iridjs an. vnc. ÷ cum Thereb. fiant Paſtilli, quibus ſuffumigetur neruorum durities. Rondoletius.

Suffitus pro Morbo Gallico.

℞. Cinabrij vnc. ÷ Thuris, Maſticis an. vnc. ÷
Calami aromat. Zedoariæ an. dra. iij. Olibani, Sandaracæ veræ an. dra. ij.
Cæruſæ vnc. ÷ Excipiantur Terebinthina, & fiant Trochiſchi ad vſum.

℞. Corticum Thuris dra. ij. Maſticis, Gummi Iuniperi, Laudani Hypociſtidis an. vnc. ÷ Auripigmenti rubri, vel citrini dra. iij. Cinabrij vnc. j. cum Terebinthi fiant Trochis: ex Antonio Chalmeteo. Hæ, & aliæ, prout ingenioſus fingere poterit, ſuffimentorum erunt formæ.

De Balneis.

INter præſidia, quæ ad ciendos ſudores deſeruiunt. Sunt Balnea præſtantiſſimæ famæ,& magni nominis,ex eo, quod ad debellandos quamplurimos morbos, potentiſſimam habere facultatem reperiuntur. Hinc mirum non eſt veteres illos, ſumptuoſos balneandi apparatus, magnifica ædificia, aut connicteria, eleotheſium,latinis vnctuarium,hypocauſta,ideſt ſudatoria,aut lauacra condidiſſe. Cognoſcebant enim huiuſmodi remedij efficaciam: propterea in vſu habebant frequentiſſimo, in morbiſque tanquam ad ſacram anchoram ad particulare hoc auxilium confugiebant. Quæ omnia multi viri diſertiſſimi ætatis noſtræ compenſantes,vt beneficia,& efficacias balneorum poſteritati, temporis in curia penè ſopitas deſcriberent, admodum elaborarũt: Balneum,vt voluit Suidas à Balanis dictum eſſe creditur: quippe veteres antiquitus his veſcebantur, & cortices igni dabant alimentum, quando ſicco balneo ex furno calido, æſtu vtebantur: ita teſtatur ad Conſtantinum lib.2.cap.1. Profecto in Balneis,tria veluti cænacula aderant,horum ſummum plenum erat aere calido,& laconicum vocabatur. In medio erãt aquæ calidæ, in imo frigidæ. Ex his diuiſionibus facile diſcrimen inter Balnea, & Thermas venamur: ſiquidem balnea, ea ſunt in quibus tantum lauamur, ſiue calida, ſiue frigida ſint. Thermæ verò,calidis,& ſiccis lotionibus accommodatæ ſunt,nũquam autem frigidis. Huiuſmodi naturæ loca ſunt apud Baias,& Aenariam Inſulam,quæ Thermæ potius,quam Balnea vocari merentur. Sed de nominibus diſceptari parum refert.

Sed rimemur balneandi differentias, quas iuxta triplicem ſubſtantiam,qua vniuerſa balneorum ratio conſtat, triplici ordine commenſuratas reperimus. Equidem horum ſubſtantia,vel liquida,vel ſolida, vel vaporoſa eſt Sub liquida,balnea complectimur,quæ ex aqua oleo, lacte,muſto,vel ex vino fiunt, quæ autem ex aqua,vel ex dulcibus,vel medicamentoſis, natura,vel artificio paratis aquis conſtant. Sub vaporoſa, balnea aerea, quæ ſtufæ vocantur intelligimus. Hic locus laconicus dictus eſt, cuius aer calefit, vel ab igne, vt in teſtaceis, & furnis: vel ab aqua ſimplici,aut minerali, aut compoſita, aut vino,quemadmodum ſuperius in lib.2. tetigimus ex opinione Celſi: Sub ſolida ſubſtantia, ea complectimur, quæ ex arena, ſale, & vinaceis conſtrui poſſunt, de his omnibus differendum eſt, vt balneorum differentias perſtringamus.

Prima

Prima omnium, quæ ſub liquida ſubſtantia connumerantur balnea ex aqua ſuccedunt: hæc autem, vel à calida, vel à frigida fiunt. De ijs, quæ à frigida noſtrum hic non eſt differere, cum ea in medium ducere profitemur, quæ ſudores ſuſcitare poſſunt, quippè à frigidis licet multa proueniant beneficia, pro ſudoribus tamen ciendis minimè his vtimur. Porrò Galeni teſtimonio 3. de Temperamen. cap. 4. Balneum ex aqua frigida corpus roborat, cutim cogit, & contrahit, humectat, & refrigerat: Propterea 10. method. med. Hecticos in frigida balneabat: qua lotione nullos poſſe ſuſcitari ſudores veriſimile eſt. Sub hoc balneandi genere, nonnulla balnea frigida ex medicatis aquis, quæ ſulphuris, & bituminis naturam ſapiunt, reperiuntur: nec tamen ſudores excitare queunt, licet quodammodo corpus calefacere, & exiccare videantur. Diſſeramus ergo de balneis ab aqua calida in qua plures poſſunt ineſſe qualitates: ſiquidem aqua, vel eſt dulcis, vel ſalſa, vel nitroſa, aluminoſa, ſulphurea, bituminoſa, cuprea, ferrea, vel alterius naturæ, à cuius diuerſitate in morborum ſequela, diuerſa auxilia oriuntur. Ex his triplex inſurgit vſus. Nonnulla enim euacuant, quædam verò implent, & vltimò cuncta attemperant. Capimus hæc omnia à ſapientiſſimo Galeno, qui ſigillatim 14. method. med. hæc percurrit: ſiquidem balnea ex genere auxiliorum vacuantium apertiſſimè demonſtrauit, dum illa vacuationem omnium humorum æqualiter efficere dicebat. Quod verò corpora repleant 3. de ſympt. cauſ. cap. 2. & 2. de ſanit. tuend. c. 7. patefecit. Quod etiam intemperata emendent 7. method. c. 6. diſertiſſimè diſputauit. Hæc ſunt opera, quæ cunctis balneis communia eſſe poſſunt. Incipiamus modo à balneo aquæ dulcis, deinde ſingula proſequamur.

Balneum aquæ dulcis duplici modo parari poteſt, vel ex aqua calida, quæ ſpontè ſic orta fuerit, vel artificio calefacta. Spontè naſcuntur ſæpè dulces aquæ, & calidæ, quæ in guſtu nil ſaporis repræſentant præter dulcedinem. De his doctus Iaſolinus lib. 1. c. 8. diſſeruit. Hoc balneum, ſecundum caloris gradum, quo apparatur, operatur, cum enim moderatè eſt calidum calefacit, humectat, laxat, rarefacit, fundit, ac digerit: Si autem calidius calefacit, aperit, ac vehementius reſoluit, quanto enim maiorem habet calorem, tanto minus humectat, & magis calefacit. Hæc autem omnia ratione moræ in balneo etiam conſequimur, nimirum ſi breui, vel longiori tempore balneantur ęgri, quippè in breui ſpatio, maior eſt humectatio, quam digeſtio, in longiori, aut maior eſt reſolutio. Quare in corporibus balneandis prudentis

Medici erit officium gradum caloris in balneo deſignare, atque morā diſpenſare. Alia enim euacuari indigent, alia impleri, alia tandem contemperari, iuxta quæ oriuntur indicationes caloris, & morę in balneo ad ſalutis opus conſequendum. Calidum enim primò auget corpus, poſtea diminuit, propterea ſi corpus implendum, immorari oportet, donec intumeſcat; ſi autem euacuandum, vel reſoluendum, tamdiù perſiſtendum, donec intumeſcentia in balneo quieſcat; ſi verò attemperandum medio modo balneari præſtabit. Moræ tempus haud aſſignamus, cum æquè ſemper duxi tamdiu in balneo quieſcendum, quouſque cum voluptate corpus adeſſe poſſit, cum anguſtia, vel labore commorari, nec vnquam conſulerem. In re hac laudandus eſt Herodotus ille antiquus Medicus, qui primis diebus horam mediam in balneo corpora immergi iubebat, deinde in dies ſpatium maius addebat, vt placidè aſſueſcerent.

Sed percurramus affectus, qui ab huiuſmodi balneo curari ſolent, hac enim ſerie, aliæ innoteſcent iſtius vtilitates. Id autem primò attēdendum conſulo, aquæ dulcis balneo temperatè calido, calefaciendi, humectandi, laxandi, rarefaciendi, fundendi, digerendi, aperiendi, & reſoluendi vim ineſſe: quapropter ſi qui morbi ſunt, qui ſub his concernantur indicationibus, nemini dubium eſt ab huiuſmodi, ſi ritè adhibetur, fore expellendos, & curandos. Dicebat enim Herophilus inter dogmaticos Medicos magni nominis, medicamenta per ſe nihil eſſe, niſi Medicos habeant, qui ijs rectè vtantur. Ideo corporibus, quæ ſicca, & arida intemperie, macie, gracilitate, calore, oris amarore, ſiti intenſa ex labore, vel inſolatu moleſtantur, & ijs, quibus natura mordacem tribuit caliditatem: balneum hoc mirificè prodeſſe experimur: ratio eſt, quia humectat, & humorum acrimonia obtundit. Ob id hecticis macie conſumptis, & febrili calore exiccatis, ſingulare præſidium iudicatur; laxat enim, & humectat rugatam, & ſqualidam cutim, atque alimentum ad vltimas partes euocat. Hac etiam ratione laxitudinem curamus, nam balnei humiditate, ſiccitatem corrigimus, & caliditate humores tenues, & acres elicimus, quemadmodum in ictericis felici euentu ſæpiſſimè, & in languentibus ex humoribus crudis, vel acribus moleſtatis experti fuimus: virtute enim balnei fudimus, digerimus, & foras euacuauimus humores. Hac via oculorum doloribus etiam ſubuenimus, quando a craſſis, & condenſatis ſuſcitantur humoribus, extenuatis enim, & digeſtis per balneū obſtructio tollitur, tandem in cutaneis morbis mirificum exiſtimatur præſidium.

Sed

Sed citra has indicationes ſæpenumero hoc balneo ad reuellendos humores vtimur. In fluxionibus enim alui, auxilium ſalutare, materiā fluētem ad cutim euocare iudicamus, ita profectò morbum curamus. At non ſolum in alui fluxionibus, ſed in aliarum etiam corporis partiū, tali methodo ægros doctus Medicus ſuccurrere poterit. Vt autē adamuſſim affectus omnes, quibus balneo aquę dulcis reſiſtimus internoſcat: ſigillatim, prout ab auctoribus colligere potui, pręcipuè autē à Iacobo Vuechero, huius balnei virtutes, & facultates connumerabo. Balneum hoc confert dolori capitis, alopeciæ, doloribus oculorum, appetitui canino, pthiſi, vitijs pulmonis, pleuritidi, aluo obſtructæ, colicæ, calori externo, cholericis, & morbis calidis, hecticis extenuatis, conſumptis, morbis ſiccis, ſiti, vigiliæ, laſſitudini membrorū, hæmorrhoidibus clauſis, ſpleneticis, melancholicis, vlceribus, ſcabiei, lychenis pruritui, & cutis omnibus vitijs, menſibus retentis, febribus diarijs, fluxibus omnibus, nephriticis, calculorumque doloribus. Emollit corpus, & membra: humores liquat, & euacuat, impinguat, attenuat, indurata reſoluit, vocem clarificat, vrinam mouet, ſomnum cōciliat, cibum diſtribuit, mundificat, & abſtergit, calorem natiuum, & humorem auget, carnem, & cutim reſtituit naturali temperamento. Et quod melius eſt, balneum hoc pueris, ſenibus, viris, & mulieribus conuenit.

Sed dubitatio inſurgit, An balneum hoc putridis febribus competat? Capitur difficultas ex Hippocrate 7. Aphor. 42. Si febris non ex bile nata ſit, aqua copioſa, & calida effuſa tollit febrem: In cuius Comment. expoſitores per febrem natam ex bile, Hippocratem intelligere aſſerunt, humorales, & putridas, quo decreto, omnibus febribus (exceptis humoralibus) balneum hoc concedit: quam opinionem inſequens Galenus 9. & 10. method. med. apertè demonſtrauit diarijs, & hecticis febribus, balnea dulcia, tanquam opportuna remedia conuenire, hac tamen cautela, vt cum talibus nulla febris alia aſſocietur, quæ ex humore putreſcente, vel ex phlegmone exiſtat interno: quibus verbis Galenus putridis febribus, balneum aquæ dulcis tanquam nocuum, & illicitum videtur interdicere. Profectò paradoxum adduxiſſe videbimur, dum balneum dulce, quod tanta beneficia hecticis, diarijs, humoribus mordacibus, crudis, calefactis corporibus, ſiti, & morbis calidis afferebat, febribus putridis abnegamus. Aqua enim dulcis ex ſui natura febrium remedium eſt, nam corpora ardore febrili emaciata, conſumpta, & arefacta, humectat,

humo-

humorumque acrimoniam obtundit, & calorem refrigerat. A pari balneum dulce, id poſſe operari non eſt ambiguum. Quapropter ſi Hecticis, Diarijs febribus ex eo conueniunt, quod attemperent caliditatem, & ſiccitatem humectent, cur ergo à putridis arcemus, dum illæ, aliud præſidium, opportunius habere nequeunt, quam attemperari à calore, & humectari ſiccitate? Equidem omnia quæ in ſcriptoribus noſtris adnotamus, ſi ſicco pede pertranſimus, in varia nos poſſent ducere labyrintha, eo quia diſtinctione cuncta egent, & ſine hac facillimè vacillamus. Itaque ſi in verbis Galeni, & Hippocratis cum diſtinctione balneum ruminabimus, hilari vultu confitebimur hos ſapientiſſimos viros non erraſſe; ſi balneum dulce putridis febribus denegarunt, nec etiam errare ſi vltra hoc concedunt. Hoc etenim Diarijs, & Hecticis omni tempore cõueniunt, putridis verò nequaquam: ſed ſolum cum notis coctionis; quod non eſt in principio, aſcenſu, vel ſtatu, ſed potius in declinatione tunc enim natura omnia concoquit, & ſuperauit: quare dicebat Galenus 11. method. med. cap. 9. At ſi mediocris eſt febris, & vires non validæ, ſed cum notis coctionis, ijs, qui ita ſe habent, balneum prodeſt, & vini potio: Vbi per febrem mediocrem, declinaſſe à vigoris feruore intelligit, & per notas coctionis medicos admonet nullatenus balneum adminiſtrare debere in putridis, niſi prius humores noxij fuerint concocti, aut euacuati; quod ſi ſic acciderit, abſque dubio, & ſine periculo dulce balneum, putridis conuenire videtur, eo quod cum corpus totũ vacuabit, tum quod fumidum eſt, ac fuliginoſum reſoluit, vt ipſe cap. 20. ſapienter edocuit: quo loco tria obſeruanda in balnei aquæ dulcis adminiſtratione in putridis febribus reliquit. Vnùm quod citra horrorem ſit adminiſtratum: Secundum, quod nullum primæ notæ viſcus ſit imbecillum: Tertium, quod multitudo crudorum humorum in primis venis non contineatur, rationemque omnium Galenus adducit. Horror nanque non ſolum intendere iam præſentem febrem poteſt, ſed etiam, cum non fuit eam interim excitare, partes verò imbecillæ, liquatos iam humores, magis iam recipiunt, quam antequam liquarentur, crudorum verò humorum copia, in totum corpus digeritur. Horum ſi nihil obſtet, ex balneis duo hæc ægro compendia accedent, & quod redundantię humorum aliquid vacuabitur, & quod multum caloris febrilis tranſpirabit. Vt autem apertius, ſuam patefaceret opinionem in fine huius capitis de balnei tempore ſic dicebat. In progreſſu tamen morbi, quo tempore, & abſumpta iam ſuperuacanea ſunt, & tum cruda, tum putreſcentia

treſcentia

treſcentia concocta,& cataplaſmatis relaxantibus, & balneis ſine periculo vtare. His itaque bene intellectis,balnea calida aquæ dulcis,febribus ſynochis,Ardentibus,Tertianis,Quartanis, & cunctis putridis conuenire poſſe non eſt dubium.

Modus,quo vtimur huiuſmodi balneo eſt,vt æger ſedem habeat inſeſſui aptam: noſtra tempeſtate vtimur tina in qua,ſella breui infirmus conſidet,hinc totum corpus mergitur aquis,operimentis obuolutum, capite tamen libero,vt ſapientioribus medicis,tum græcis,tum arabibus,& latinis viſum eſt: ibique morari ſinimus, quouſque ſudore expanſo ſentiat anguſtiam. Solent infirmi per horam circiter balneari ad ſummum: niſi fuerint graciles, quos oportet diutius in ijs immorari, vt pleniorem adipiſcantur habitum. Ab vſu tamen immoderato ſemper abſtinere conſulo,ſiquidem cordi nocet,ſyncopim inducit, appetitum deicit,nauſeam mouet,iuncturas laxat,& debilitat,calorem naturalem reſoluit,& corpus, & membra laxat, humores mouet, & vlceribus nocet, vt Vueccherus in Antidotario adnotauit. At non ſolum cauere debemus ab iſtius vſu immoderato, verum atq; ſcire cauſas, cur multoties hæc balneum omitti iuuet, quas ad lectoris vtilitatem recenſere placuit,vt ab hoc capite me expediam.

Prima cauſa, qua balneum omittitur eſt interna inflammatio: humores enim à balneo extenuati, & colliquati facilè ruerent ad focum caloris;quod ſi locus Hippocratis 3. de ratione victus,primæ huic poſitioni videtur aduerſari,eo quod Pleuriticis,& Peripneumonicis cōcedat, aduertant ſtudioſi, ſapientiſſimum ſenem, non niſi poſt totius corporis euacuationem præſtitiſſe, quo tempore ad partem affectam nil fluere potuiſſe veriſimile eſt. Secunda eſt alicuius partis principis imbecillitas: partes enim ipſæ fluentes humores in balneo reciperēt, & morbus auctior fieret. Quod ſi pars aliqua non ex principibus langueſceret,balneum haud impediret,ſolet enim natura & ad articulos, & cutaneas partes humores cum minori animalis incommodo euocare. Tertia eſt plenitudo quoad vires, & quoad vaſa: vtraque enim balneum recuſat: nam in ea,quæ eſt ad vires,ſi humores attenuantur, & colliquantur magis grauabunt: Et in ea, quæ eſt ad vaſa, ne venam aliquam diſrumpant, periculum eſt. Quarta eſt febris putrida, in qua vti nequimus,ſi humorum cruditas apparebit, aliter obſtructiones, & intentiorem putredinem pararemus. Quinta eſt alui denſitas,& conſtrictio: quippe in tali affectu abnegamus, ne ſubtiliores fæcum portiones vi balnei caloris attractæ ad iecur, vel alias partes confluant.

Vltima

Vltima cauſa eſt cibus, & potus. Si languentes enim cibum ſumpſerint, balneari non poſſunt; ſiquidem balneum, ad venas cruda attraheret. Petrus Paulus Perreda alias cauſas etiam recenſet libro 2. Michaelis Paſchalij Schol.8. quæ ſub his includi poſſunt: quo loco ſtatim à balneo, nihil ſorbendum, priuſquam balnei perturbatio ſit ſedata, conſulit: quæ cautela in cunctis balneis attenditur, & hæc de balneo aquæ dulcis ſufficiant.

Supereſt modo de ijs balneis diſputare, quorum aquæ, eo quia à mineris inficiuntur, & varias ex ijs capiunt facultates, medicatæ, ſeu minerales dicuntur. Hæc modò calida, modò frigida reperiuntur, a calidis ſuſcitantur ſudores, a frigidis autem minimè niſi prius calefiant. Non enim a frigore, pororum fit apertio, nec humorum attractio, vel liquatio, ſed potius conſtrictio, & condenſatio. Quæ autem ſit ratio, vt naturalia balnea, & medicata, & calida, & frigida actu oriatur, non eſt facilis inquiſitionis, ſiquidem antiqui, in præſcrutanda diuerſitatis huiuſmodi cauſa, tam diſcordes fuere, atque tam varia attulerunt, vt quæſitum hoc a multis abſtruſum fuerit iudicatum. Ex neotericis autem ſapientiores, Georgij Agricolæ ſententiam inſequuntur. Hic profectò acutius ſapientiuſque negotium examinauit: ſcripſit enim vir hic dignus ęterna memoria; propterea aquas ſpontè calidas erumpere, quia ignis in terræ viſceribus in aliqua accenditur minera, qualis eſt bituminoſa, ſulphurea aluminoſa, nitroſa, miſta &c. a cuius feruore calorem ſuſcipiunt, dum propè oriri, vel illinc vagari contingit: differre tamen voluit caloris gradu; quæ enim in accenſa minera, aluea, vel ductus habent, vel illi propinque in naſcuntur, calidiſſimæ ſunt: minus autē, quæ diſtant, tepidæ verò, vel frigidæ, quæ maximè ab igne elongantur. Huiuſmodi ratione ſoluitur dubium illud, cur multæ aquæ, calidæ erumpant? dulces tamen, & abſque minerali natura? quia adeo diſtant à focu ignis, vt calorem tantum, non autem mineræ qualitatem ſuſceptent. Cur autem aquæ ſuſcitentur frigidæ, & tamen minerales, in promptu ſolutio eſt, nam illæ, per aliquā mineram pertranſeunt, in qua ignis haud fuerit accenſus. De hac duplici aquarum differentia Plinius lib.31.cap.6. mentionem fecit hiſce verbis. Emicant benigne paſſimque in plurimis terris medicatæ aliquæ, alibi calidæ, alibi frigidæ, iunctæque naturæ è cunctis animalium, hominum tantum cauſa erumpentes. Nuſquam tamen largius, nec pluribus auxiliandi generibus, quam in Baiano ſinu. Aliæ ſulphuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis, nonnullæ item acida, variaque miſtura,

ſtura,& vapore quoque ipſo aliquæ proficientes. De his etiam Vitruuius lib.8.cap.2.ita loquutus eſt: Neque enim calidæ aliqua aquæ eſt vlla proprietas. Sed frigida aqua cum incidit percurrens in ardentem locum, efferueſcit, & per calefacta egreditur per venas extra terram. Ideo diutius non poteſt permanere,ſed breui ſpatio fit frigida, namq; ſi naturaliter eſſet calida, non refrigeraretur calor eius. Accuratè etiam Marſilius de his in ſua Aſtronomia verba fecit.

Sunt autem cunctis permixti partibus ignes.
Qui grauidas habitant, fabricantes fulmina nubes.
Et penetrant terras, ſlet namque imitantur Olympo,
Et calidas reddunt, ipſis in fontibus vndas.

Et Pontanus.

Baiano; ſed ne fumare in littore Thermas,
Mirere, aut liquoris fucitare incendia venis;
Vulcani fora ſulphureis incenſa caminis:
Ipſa mouent, latè multum tellure ſub ima
Debacchari ignem, campoſque exurere apertos.
Inde fluit calidum, referens ex igne vaporem,
Vnda fugax, teſtis feruent, & balnea flammis.

At Hieronymus Cardanus lib.2. de rer.ſubtil. dum diſputationem inchoaſſet, de modis, quibus ignis generatur: propagatione nimirum, antiſpaſi, percuſſione, frictione, putredine, & coitione, videtur quodammodo in eam iuiſſe ſententiam, medicatas aquas ex ſeipſis ignẽm excutere: in cuius rei conformitatem Agricolam etiam allegat, qui in inſula Irlandia, montem nomine Heclam adeſſe aſſeruit, ex qua ignis emiſſus ſiccis extinguitur, aqua verò alitur. Seipſum tamen declarat: quippe ſi aquæ in tenui, aridaque ſubſtantia, cui pingue, & plurimum humidum coniungatur, conſiſtunt, vt bitumini ardenti contingit; cui ſi aqua inijcitur, maiores excitat flammas. Qui autem de hac materia plura deſiderat, videat Iulium Cæſarem Capaccium in lib.de antiquit.Puteol. & Græcos ſcriptores.

Galenus dum aquarũ mineralium naturam inquiſiuerit 1. de ſanit. tuen.cap.7. vim exiccandi omnes habere, confeſſus eſt: 1. tamẽ ſimpl. med.facult.cap.7.& in lib.de tremor.rig.& palpit.cap.5. calefaciendi etiam, atque nonnullas digerendi, ac abſtergendi: alias verò aſtringẽdi, vt meus Iaſolinus(qui ſuũ de Balneis mihi dono dedit) lib.1.cap.8. Quare omnium Medicorum conſenſu has aquas, corporibus aliquo

vitio frigidis,morbiſque ex frigiditate humorum diuturnis conuenire aſſentimus: à calidis verò morbis,& ſiccis corporibus natura calentibus arcemus: ijs enim infeſtiſſimæ ſunt. Solebant antiqui vel ob delicias,vel ob cõmoditatem in his aquis lauari: quod non ſiluit Clemens Alexandrinus in Pedag.Hac tamẽ tempeſtate,quia luxus ille ceſſauit, ad morbos curandos balnea tantum quærimus; ex varietate enim facultatum,quæ in iſtis reperiuntur,varij,& plurimi morbi ſanantur,cũ ritè,& methodo capiũtur. Ego quidem de balneis,quatenus inter auxilia ſudatoria reponantur, tantum tractare decreui: ſiquidem haud mihi opinio irruit particulariter de ijs diſſerere:quippe horum tractatio altiorem, atque diuerſam requiſiuiſſet indaginẽ ab inſtituto huiuſmodi; propterea Lectores adeant ad ea, quæ multi viri diſertiſſimi de his adnotarunt. Profectò Andreas Baccius de multis diſſeruit; Franciſcus Lõbardus de Balneis Puteolor. Iulius Iaſolinus de Baln.Ænariæ;Bartholomæus Mõtagnana de Patauinis;Mercurialis de Piſanis; Theodorus Guainerius de Papienſibus;Fuchſius de Germanicis.Alij aliarum mundi partium. Satis ergo ſit,more Galeni,de aquis mineralibus diſſerere,& quid in humanis affectibus operari valeant.

Balnea ſulphurea, Gal.teſtimonio 9.ſimplic.med.facul.exiccant,& reſoluunt, propterea neruos emolliunt, apoplecticos, & epilecticos iuuant,paralyticis,lethargicis,& catharroſis conferunt. Hydropicis, reſolutis,coxendicibus,& morbis humidis opem præſtant, cutis vitia emendant.

Balnea ſalſa calefaciunt,reſoluunt,& exiccant,ad frigidas,& humidas intemperies valent, & ad morbos eiuſdem generis: proinde ſpaſmo,hydropicis,podagræ,aſthmaticis,ventriculo frigido,pectoris fluxionibus, & ſimilibus conferunt affectibus. Vide Galenum 9. & 11. ſimpl.med.facult.

Balnea aluminoſa adſtringunt, exiccant, ideo reiectioni ſanguinis, vomentibus, menſtruis, & hæmorrhoidibus ſuperfluis, immodico ſudori, ſtomachichis, fiſſuris matricis, & ſcabiei proſunt. Galen.de his 1.ſimpl.med.fac.7.

Balnea nitroſa exiccant, incidunt, reſoluunt, abſtergunt,ſurditati, reſolutioni, & hydropicis opitulantur,tibijs vlceratis,ſcabiei,& prurìtui conferunt. Gal.4.ſimpl.cap.20.

Balnea cuprea,podagricis,nephriticis,aſthmaticis,articulorum doloribus, vlceribuſque malignis auxiliantur.

Balnea ferrea infrigidant, exiccant, adſtringunt, ventriculo, lieni, fluxioni

fluxioni menſtruorum, & hæmorrhoidum conferunt.

Bituminoſa aqua intercutē affectis idonea ſunt, vt Gal.1.ſimpl.13. exiccant, calfaciunt, emolliunt, diſcutiūt, & aliquantulum adſtringūt, frigidis, & humidis vteri, veſſicæ, & inteſtinorum affectibus proſunt, coxendicis doloribus, induratis articulorum tumoribus, & doloribus opitulantur. Hæc autē caput lædere ſolent, ſi diù in his ægri morātur. Reperiuntur etiā alia balnea ex Myſi nimirum, chalcide, ære, chalcanto, ſandaraca, auro, argento, marchaſita, magnete, & aliorum metallorum ex natura, de quibus differunt auctores noſtri, ad quos Lectorem remitto. Quomodo autem capiantur conſule Paulum Æginetam lib. 1.cap.52. Iulium Iaſolinum, Franciſcum Lombardum, & alios.

Sed quia non omnibus datum eſt ire Corinthum; Balnea enim naturalia ratione locorū, & impenſis, à paucioribus, iiſq; potentibus ſolummodo frequentantur: ſiquidem pauperes propter rei difficultatē, haud tentare, nec adire audent: propterea horū defectu ars ſuppleuit, & ſapientiſſimi Medici artificialia pararunt balnea, quemadmodū antiquitus factum eſſe legimus. Eliguntur enim vel mineralia, vel herbæ, flores, radices, vel vtraque: hinc aquis decoquuntur, & balnea apparātur. Nec dubium eſt, quin talia, ferè ac naturalia ipſa, vſus, & affectus pariāt: ſiquidem Gal.3.aliment.facult.adnotauit, aquam abigere propriam qualitatem, & alienam recipere, dum vegetabilibus, aut mineralibus, animaliumq; partibus concoquitur: qua via facilis eſt progreſſus, Dei optimi munere, & benignitate ad balnea artificialia. Si enim aluminoſo egemus, alumen aqua concoquimus; ſi nitroſo, nitrū; ſi ſulphureo, ſulphur, & ſic de aliis; quod ſi herbis, radicibus, floribus conficere volumus, vel ad calefaciendum, vel abſtergendum, emolliendū, exiccandum, digerēdum, diſcutiendum, ſiſtendumue fluxiones, vel ad aliam indicationem, quam affectus requiſiuerit; facillimè parabimus. Illud autem à ſapientibus in iis adhibendis laudari ſemper exiſtimaui, vt talibus conficiantur balnea ſimplicibus: quæ vel caput, thoracem, hepar, lien, vterum, inteſtina, vel alterius partis affectæ naturam reſpiciant. Sed accipite exempla.

Balnea calefacientia artificioſè parantur, origano, pulegio, lauri foliis, hyſſopo, naſturtio, ruta, ranunculo, thimo, ſaturegia, tymbra, abrotano, calamintha, ſiſymbrio, ſerpillo, raphano, & ſimilibus.

Balnea abſtergentia abſinthio, abrotano, acoro, ariſtolog ia, atriplice, fumaria, hordeo, lambruſca, lupinis, marrubio, nepita, nigella, nitro, ſiſymbrio, ſtœcade, ſulphure, verbaſco, & ſimilibus.

Balnea emollientia confici poſſunt, malua, althea, ſemine lini, fænugręci, adipibus, atriplice, betis, butiro, capite, & pedibus arietis, medullis animalium, oleis, violis, &c.

Balnea exiccantia parantur, abrotano, abſinthio, acoro, alumine, ſulphure, anetho, aniſo, aſſaro, ruta, pulegio, ſabina, ſampſuco, ſerpyllo, milio, iunipero, & alijs.

Balnea digerentia baccis iuniperi, chamæmelo, fœnugręco, anetho, ruta, ſale nitro, hyſſopo, myrrha, naſturtio, origano, &c.

Balnea diſcutientia, adiantho, althea, anetho, aniſo, apio, ariſtologia, butiro, chamæmelo, cappari, chamæpityo, betonica, vrtica, zinzibere, &c.

Balnea fluxiones ſiſtentia, ex Polygano, malicorio, roſis, conſolida, acacia, alumine, coagulis, cupreſſo, gallis, adianto, intybo, lentiſco, nitri ſpuma, oleo mirtino, plantagine, portulaca, ſorbis, tilia, verbaſco, &c.

Balnea incidentia, cipero, cumino, eupatorio, iride, iunipero, liguſtico, marrubio, nitro, nitri ſpuma, origano, petroſelino, rubia, ſenapi, ſcordio, thymo, &c.

Balnea flatus diſcutientia, acoro, abſinthio, aniſo, apio, anetho, ſemine lini, fœnugræci, chamæmelo, coſto, cumino, cypero, dauco, fœniculo, baccis lauri, maiorana, nigella, origano, petroſelino, roſmarino, ruta, ſpica, &c.

Balnea menſtrua prouocantia, & aperientia ex Arthemiſia, ſabina, calamentho, marrubio, chamomilla, meliloto, pulegio, ſaluia, matricaria, petroſelino, appio, cypero, iuniperis baccis, aſſaro, aſparago, aſpleno, betonica, chamædrio, dauco, eupatorio, hyſſopo, &c. Hæc, & alia doctus Medicus, quam facilè parabit, ſi in doctrinam vegetabilium, mineralium, & animalium, mentem applicabit. Veniamus ad balnea ex alij liquoribus parata.

Balneum ex oleo confectum, antiquitùs his adhibebatur, qui diuturnis febribus conflictabantur, & qui ex laſſitudine oppreſſi iacebāt, vel neruoſarum partium doloribus, vel vrinæ ſuppreſſione torquebantur. Ita voluit Herodotus in lib. de remedijs foris adhibendis, qui omni ætati, & maximè ſenili, ac omni tempore competere ſcripſit. Hodie plurimis morbis prodeſſe notiſſimum eſt; teſtaturque Ioannes Heurnius dum Patauij eſſet, quendam extenuatum, quem acerbiſſima conuulſio occupauerat, tepidi olei pleno vaſe merſum euaſiſſe. Propterea conuulſionibus, articulorum doloribus, colicis, nephriticis, laſſi-

laſſitudine fatigatis, & arefactis, podagricis, & conſimilibus affectibus electiſſimum remedium eſſe comprobamus.

Balneum ex lacte facultatem retinet emolliendi, humectandi, & modicè refrigerādi, quapropter iure hecticis ex ſenectute, vel ex quauis alia occaſione factis, intemperatis calido, & ſicco conuenire iudicamus: ſiquidem hoc calorem febrilem attemperat, humectat partes, calorem natiuum roborat, & corpus abſque reſolutionis periculo fouet. Apud antiquos de hoc balneo pauca inueniuntur.

Balneum ex muſto feruenti concinnatum, in diſcutiendis articulorum tumoribus ex craſſo, lento, & frigido humore adortis, & in mitigandis doloribus, qui prope oſſa ſentiuntur, tam mirifici præſidij eſſe exiſtimatur, vt electius hoc vix inueniri poſſit.

Balneum ex vino maturo factum, calefaciendi, diſcutiendi, & exiccandi potentiam habet, propterea in affectibus, vbi tales indicationes ſuccedunt, ritè parare poterimus: veluti in neruorum, & articulorum paſſionibus, dummodo ex ſiccitate affectus originem non habeat. Frigefactis externo aere, vel ex frigidis humoribus (ſi febris non adſit) opportunum fore remedium iudicatur.

De ſudatorio Laconico.

VEniamus ad illud ſudandi genus, quod vaporoſa, & aerea ſubſtātia paratur. Hoc Laconicum à Lacedemonijs dictum eſt, à noſtris autem Stufa appellatur. Huiuſmodi adeo antiqui homines delectabantur, quod beneficia illius admirantes, innumera pro vſu cōſtruxerunt ædificia, ſiquidem plurimi diuturni, & indomiti affectus hoc præſidio curabantur. De hoc ita loquitur Martialis:

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes auolo vapore,
Cruda Virgine, Martiaque mergi.

Hodie tamē frequentius ad ſordium corporis abſterſionem, & lauationem, magis voluptatis, quàm morborum gratia homines vtūtur: Sed hæc eſt mortaliū conſuetudo, vt ſæpè, quod vtilius, præſtantiuſue iudicetur, magis contēnatur. Sudatorium hoc duplex eſt, ſiccum, vel humidū. Siccum duplici paratur ordine, vel ardentis calore Solis, quæ inſolatio dicitur; vel ignis vicinitate. Hinc legitur in Cœlio Rodigino lib.5.cap.2. aſſa deſudatio, quod apud Ciceronem etiam reperitur. Hic modus ſudandi, calida ſudatio etiā dicta eſt. Humidum verò non igne,

ſed

ſed aquę vaporibus adminiſtratur. Cùm autem inſolationẽ pręſtamus, corpora ſedere, vel ambulare, vel currere ſub ardẽtibus facibus Phœbi in die claro iubemus. Diuerſa autem affectus qualitas, diuerſam requirit inſolationis differentiam. Quia tamen corpora, variã ſortiuntur habitus, temperamentiq; rationem, propterea modò iniuncta, modò citra vnctionem ad ſolare beneficium accedere imperamus: de qua re dicebat Aetius auctoritate Antyli Tetrab. 1. ſect. 3. cap. 9. quoſdam ad Solem ſe exponere, partim non vnctos, alios etiam vnctos, & alios deſidentes, alios decumbentes, aut ſtantes, aut deambulantes, aut etiam currẽtes. Ex decũbentibus aliquos in ſtratu, aliquos ſuper corio, alios in arena, aut ſale decumbere. Cur autẽ diuerſimodè ad ſolaris opem, beneficiumque capeſſendum corpora parentur dicere aggrediamur. Aetius loc. cit. de his hæc attulit: Solaris itaq; inuſtio citra vnctionem moderatè adhibita perſpirationem occultam auget, & ſudores elicit, aluum autem ſiſtit, & carnem conſeruat, pinguitudinem autẽ abolet, & tumores laxos, cum alios, tum maximè hydropicorum deprimit, ſpiritum autem denſiorem, ac velociorẽ reddit, & propterea anhelos, & recta ceruice ſpirãtes exacerbat: verùm capiti diuturna frigiditate laboranti cõmodat, nam & firmum, & ægritudinibus minus obnoxiũ reddit. Conuenit autem Soli, & igni dorſum præter cętera admouere, nerui enim, qui voluntatis ſunt, in eo potiſſimũ ſiti ſunt, vt habet Herodotus, quibus caleſcentibus, totũ corpus valentius redditur. Caput verò aliquo operimento tegendũ eſt, & Solis radij vitandi ſunt. Oportet tamen in his aluum præeuacuare, inimica eſt enim inſolatio capiti, euacuatione nõ pręmiſſa. At verò inſolatio cũ vnctione eadẽ ſimiliter poteſt; verum corpus magis ſiccat, velut vnguine aſſatũ, quapropter & ſuperficiem magis denigrat, cæterum per occultam tranſpirationẽ hęc minus diſcutit, nimirum ad cauterij ſimilitudinẽ denſans carnem. Qui verò deſidentes, ac ſtantes inſolantur, vehementiùs, quàm deambulantes, & magis, quàm currentes inurentur; decumbentes autem in ſtrato, non magnopere iuuantur, ſed capite magis replẽtur. Qui ſuper corio Soli ſe exponunt, magnam vtilitatem conſequuntur, præſertim hydropici, iſchiadici, nephritici, reſoluti, elephantiaci, intumeſcentes circa refectionem, & qui circa veſſicam, veterem morbũ habent, itẽq; ſiderati, fœminæ quoque quæ ab vtero ſtrangulantur, adhuc amplius, quæ alba vteri fluxione moleſtantur. Hucuſq; Aetius, qui alia diſſerit in præſenti negotio neceſſaria: quæ omnia curioſitatis gratia Lector pertranſeat. Vnum autem obliuiſci nunquam volui, inſolationẽ pręſi-

dium

dium eſſe ruſticis, & plebeis hominibus tantum adminiſtrandã, illiſq; qui omne medicamentorũ genus renuunt; nobilibus autẽ, vrbaniſq;, quia delicatiorem vitã agunt, atq; aliud ſudandi genus habere poſſunt, minimè conſulerem. Ruſtici autem cum ex inſolatu ſudores ſuſcitare intendunt, propter aliquam corporis paſſionem, præmiſſa excrementorum purgatione auxilium tentare poterunt. Caueant tamen febricitantes, debiles aſthmatici, ſuſpirioſi, & qui diſtillationes à capite patiuntur: his enim tale præſidium nocuum eſt.

Laconicum, ſeu ſtufa, quę ſicco ignis calore paratur, multis conficitur modis, primò ex laconico igne tantùm calefacto, ſecundò ex clibano, tertiò ex furno temperatè calefacto; de quo loquẽs Andernacus tom. 1. dialog. 8. dicebat: Laconicum ſiccum conſiſtere in locis, veluti cameratis teſtudinibus, vel cauernis, proprio igne calidis, vel alijs ędificijs, quæ ab externo igne ſubiecto calefiũt. In Germania Hypocauſta ſudatoria ad id parãtur, quæ morbis pituitoſis, inflationibus, tumoribuſq; laxis contra naturam, & podagræ ex frigida materia cõtractę, nec non hydropicis proſunt. Sicut clibanus ſi æger capite tantũ exerto linteis inuolutus ei imponatur. Hæc Andernac. Neapoli etiã variè apparatur, vt ſępè dum ſtuderem vidi. Furnus verò eodẽ modo temperatè calefactus prodeſſe poterit ruſticis hominibus, agricolis, & ruralibus. Iſti enim tali remedio vti ſolent: de quibus Alexander Maſſaria loquens in cap. de hydrope lepidè dixit, ruſticos ſolere ingredi furnũ calefactum, in quo ſolent ſudare vſq; ad animi deliquium, quandoque etiam ſuffocantur, & ita liberantur ab hydrope. Andernacus volens deſcribere ſtufam humidam, dicebat, humidum dici ſudatoriũ, in quo aer non ab igne, ſed aquæ vaporibus, qui ibi exhalant inualuit. De hoc credo Senecam voluiſſe diſſerere, dum epiſt. 9. dicebat, Per impreſſos parietibus tubos, qui ima ſimul, & ſumma fouerent æquiter. Hinc etiã Sidonius: Vis feruentis vndæ per parietem foraminatũ flexilis plumbi meatibus, &c. Huius facultas cum ex aerea eſſentia conſtet, bifariam operatur, nempe & cuti admota, & per inſpirationẽ aſſumpta eius aer faciliùs, quàm ſicci vires ſuas corpori inſinuat. Præterea humores, qui vel ſicci, vel lenti, vt pituita vitrea parti alicui inhęrentes humidiores, tenuiores, & fluxiles magis, quàm ſiccum laconicum efficere poteſt. Vapor autem, aerq; ab aqua ſalſa, nitroſa, & ſulphurea, & ſi non plus æquo ſiccus, aut humidus fiat, maiorem tamen incidendi, extenuãdi, abſtergendiq; facultatem obtinet, quam ſiccum ipſũm ſudatorium, nõ dico quam humidum ex aqua dulci, quin etiam cutis inde magis aperitur,

rntur, vt excremēta exhalent. Quod ſi verò per ſe duntaxat abſq; lauatione adhibeatur, magis calefacit, extenuat, conſumit, & exiccat.

Mercatus doctiſſimus lib 1. de recto preſid. vſu, cap. 13. hos vapores in defectu talis apparatus effingi docet, confecto decocto ſecundùm morbi exigentiam, atq; ſuſceptis vaporibus per tabulos, atq; infundibulos, qui corpus laborantis pannis coopertũ in lecto iacens attingat: ita vt vndique caldarium, quod huic vſui paratur coopertũ ſit, ne vapor in externũ aerem euaneſcat, ſed vniuerſus per infundibulum, aut tubulum ſuſcipiatur. Alio etiam modo cōponit. Poteſt enim laborans in ſolio ſedere, cuius ſedimen ſit magno quodam foramine inane, per quod vapores ſuſcipi facilè eodem modo poſſunt. Mihi tamen in hoc genere vacuandi ſemper ex voto ſucceſſit, ex halitu, & vapore aquæ in qua fuerint decocta folia, ſemina, flores, & radices herbarum, & mineralia ſi opus ſunt, ita profecto humores validiſſimè attenuari, cutẽq; detergi, & excrementa euacuari feliciſſimè conſpexi. Modus hic eſt. Locetur infirmus intus in inſtrumento inſtar dolij, linteis, panniſque obuolutus excepto capite, vt reſpiret: in ſcabello tripedi ſedeat, ſubter quo caldarium accōmodetur, in quo fuerint decocta fumantia, & excipiat languens vaporem, & halitum; ita porrò in ſudorem copioſiſſimum prorumpet. Hic modus non meus eſt, ſed Galeni ipſius, vt videre eſt in lib. de vtil. reſpir. cap. 4. vbi hæc habentur: Admirari porrò ſubit, nō tam alios, quàm Eraſiſtratum, qui tam euidenter apparentia vanitatis coarguere audet, quem non veriſimile eſt inexpertum eſſe doliaris vaporarij hydropicorum, quod non minus ab alijs veteribus, quàm à Chryſippo Gnidio eſt laudatum. Euacuantur enim hi toto corpore multò citius, & amplius, quàm in balneis, non tamen ſuffocantur, quod frigidum aerem inſpirent. Hæc Galenus. Veronæ etiam in vſu habuit Zifiriel Thomas Bouius normam hanc ſudandi, vt ipſe teſtatur in ſuis contra Medicos Sophiſtos.

Inueniuntur etiam Laconica, & Stufæ naturales, quale prope Neapolim eſt Sudatorium Sancti Germani, quod vulgo dicitur, Sudaturo d'Agnano: de hoc loquitur Franciſcus Lombardus lib. 1. de Balneis, cap. 2. Sauanarola in lib. 2. & Vgolinus, & Menghus Fauentinus. Reperitur etiam Puteolis Sudatorium Trituli, & in inſula Ænaria Sudatorium Cocti in domo Nizzola, de quo Iaſolinus lib. 2. cap. 34. necnon Caſtilionis, Cacciotti, Fraſſi, Sancti Angeli Barani, &c. Laconica Sudatoria, ſeu Stufæ, vel ſint natùra, vel artificio parata, facultatem, calefaciendi, liquandi, relaxandi cutim, atque euacuandi, quæ ſub ea continen-

tinentur,retinent: ſudores peculiari proprietate ſuſcitant, & morbis proſunt,quibus iſtæ indicationes concernunt. Vt autem expertũ eſt, in Laconicis naturalibus oculi lęduntur,& in Stufis ſiccis,& imbecilliores euadunt. Tuſſis oritur,pulmo intemperatur,& ſtomachus debilitatur ijs,qui frequentiùs vtũtur. Ea verò corpora,quæ non benè purgata Stufas adeunt,quam celerrimè in articulorum dolores incurrũt: quare eius loco ſuffitus quoſdam vſurpari poſſe, Mercatus in loc. cit. adnotauit,ſi quis talia vitare voluerit. Quando attamen Laconici vſus adhibēdus eſſet ſanis corporibus,principio hyemis, aut veris, vel alio anni tempore, cum frigus, aut æſtus ingens minimè prædominatur, conuenit. Solent enim ad huiuſmodi præſidium homines accedere, cũ exercitia ſolita intermittunt,ſeu copioſè crapulati fuerint. De his Columella dicebat: Mox deinde, vt apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus. Quando autem infirmus ad huiuſmodi auxilium ducendus ſit,ipſa rei neceſſitas indicabit.

Vltimum genus balneandi à ſolidiori ſubſtãtia innaſcitur, ex arena ſcilicet,ſale,milio,tritico,vel vinaceis, ex quibus ſaluberrima veniunt in plurimis morbis auxilia. De omnibus diſſeremus,vt poſtremã manum balneorũ quæſitis ducere valeamus. De arenatione adeò lucidè, & ſapienter Baccius lib.4.& Iaſolinus lib.2.cap.8.& 33.tractarunt,vt poſteritas omnis ijs multũ tribuere debeat: quare pauca tantũ adnotabo. Si arena maritima eſt vim calefaciendi,exiccandi,extenuandiq; humores frigidos,& craſſos habebit. Potentior autem eſt, ſi fuerit mineralis,qualis in inſula Ænaria propè templum Sãctæ Reſtitutę reperitur: ſiquidẽ calida quaſi in tertio gradu, & ſicca propè quartum exiſtit. Harum defectu fluuialis arena deſumitur,atq; arefacta cum modico ſale in affectibus vtimur. Confert arenatio aſthmaticis, cacheticis, hydropicis ex aſcite potiſſimum, colicis, hepaticis, ſpleneticis, iſchiadicis,paralyticis,&c. cùm autem vſus paratur; ſepeliuntur corpora in arena calida,excepto capite, & continuò nouam,& calidam accumulamus,ſi prima refrigerabitur,quæ deijci debet. Qua tamen methodo, & conſilio in cit.lib. Lector inueniet.

Balneum à ſale paratum conſimilibus paſſionibus ſummopere prodeſt,alterat enim corpora, atq; ad calidum habitum reducit, ob id frigidi, & aquei humores huiuſmodi balneo conſumuntur, & in inſenſibilem,& ſenſibilem halitum euaporantur.

Balneum ex tritico ex Plinio lib.22.cap.25. tanquam ſummũ pręſidium laudatur, eo quia roborandi, & modicè calefaciendi, teſte Gal.

 8.ſimpl.

8.ſimpl.med.facult.vim habet. De vi tritici humores attrahendi,lege eundem 1.de nat.facult.De hoc etiam præſidio loquuti ſunt Guainerius, Marcellus Empiricus, & Quintus Serenus,inter quos referam carmina, quæ Antonius Sneeberger, Parabil.lib. ad articulorum dolores adduxit.

Non audita mihi ſit fas, ſed lecta referre,
Hoc quidem captus morbo per tempora meſſis,
Vicino plantas frumenti preſſit aceruo,
Euaſitque grauem caſu medicante dolorem.

Balneũ ex milio in ijs affectibus præſtamus,vbi citra morſum exiccare eſt opus,in pedum nimirum,manuũq; tumoribus ex ſalſa,aut acri pituita enatis diſcutiendis, vt Gal.7.ſimpl. apertiſſimè docet. In quibus ſi humorem diſcutere etiam optamus,feruentiſſima aqua ſolemus milium irrorare.Ita equidem ſi partibus adaptatur,actuali calore,pori cutanei aperiuntur, humoreſque facilius euaneſcunt, ſuperata tamen frigiditate.

Balneum ex vinaceis ex Donato Antonio ab Altomari Medico cõſumatiſſimo,varijs experimentis legimus fuiſſe comprobatũ. Prodeſt iſchiadi,podagrę, lumborum doloribus,renum paſſionibus à calculo, ab arenulis,vel frigido humore excitatis,ędematibus diuturnis,neruis imbecillibus, hydropicis, ſcyrroſis,duriſq; tumoribus,& omnibus ijs, qui à frigidis, & craſſis ſuccis moleſtantur. Habent enim vinacei omnes moderatum calorem,quo fit,vt omnibus etiam ferè corporis partibus prodeſſe queant.Calefaciunt moderatè,molliunt,& propter adſtringentiam,quæ eſt in acinis etiam roborant.Circa vſum ita Altimarus dicebat: Capiẽdi ſunt vinacei modo dicto,vt ex dulcibus vuis ſint expreſſi,nõ parum prælo preſſi,vbi prius cum eorum muſto efferbuerint, recenteſq; fuerint, humiq; aut conclauis pauimento aceruandi. Nã multi eſſe debent,ijſq; manibus adeo premendi,ac leuigandi ſunt, vt quoad fieri liceat,partes omnes inuicem cohęreant: deinde craſſis, lineiſq; tegumentis,quæ eos omnes circumambiunt, contegẽdi ſunt, ne ex ambiente aere refrigerentur, ſeruetūrq; eorũ caliditas, foribus, ac feneſtris omnino clauſis,potiſſimum vbi ex aliqua cauſa aer ambiẽs frigidior fuerit: atq; vbi ex eiſdẽ vti velis, vniuerſo prius corpore euacuato,ventreq; à cibis,alijſq; ſuperfluitatibus immuni,ac decedes alui prius excremẽtis exſutus veſtibus,ſcrobe quam primum longitudine, latitudine,& profunditate, manibus cõmodè parata, in eos ſe ingerat æger, protinuſq; eiſdem vinaceis, qui pro ſcrobe fienda ſublati ſunt,

contegi

contegi debet, eis moderatè manibus compreſſis, ac leuigatis, & deinde laneo etiam tegumento velentur. Vbi verò mediæ, ac ſuperiores corporis partes minimè affectæ ſunt, ſatis erit eiſdem vinaceis inſidere, ac crura, tibias, ſimulq; pedes affectos in eos inferre, reliquo corpore conſuetis pannis contecto. Hæc Altimarus. Reliqua autem quę adducuntur, à ſtudioſo videri poſſunt.

De potionibus ſudoriferis.

POſtremus ordo ſudandi per potiones efficitur, cui omniũ conſenſu primatum in agendo tribuimus, eo quòd epota medicamenta, quæ ſudorifera vocantur, efficaciorem attenuandi, liquandi, diſſoluẽdi, & euacuandi humores per cutaneas partes retinent facultatem: ſiquidem hæc cum interna corporis permeant, faciliori, & apertiori ductu omnes percurrũt regiones. Hinc alia præſidia, quæ pro ciendis ſudoribus à nobis adducta ſunt, omnia in gratiam huiuſmodi capitis adnotauimus, ex eo, quod potiones directè humores diſponant, & ſudores prouocent; magiſq; in vſu veniant, quàm cętera: quippe faciliùs apparantur à Medicis. Ex quibus autem ingredientibus conſtent, vt loquamur tẽpus exigit. Galenus 4. ſimpl. med. facult. cap. 19. loquendo de qualitate acris ſaporis, ſimplicia, quæ acria ſunt, atq; exactè calida, ſi craſſæ ſunt eſſentiæ, terreæq; interiora exulcerandi pollere facultate, ſin tenuis vrinã mouendi, ſudoreſq; ciendi vim habere, ſi intro corpus ſumuntur, aſſeruit. Hoc etiam confirmauit lib. 5. cap. 21. & 22. & Serapio in cap. de ſudore acuto. Vt autem quæſitum intelligatur, ſtudioſos monemus, calidorum medicamentorum, quædã temperatum calorem poſſidere, vel parum à mediocritate diſtãtem; in paſſiuis verò qualitatibus in ſiccitate, & humiditate ſymetriã habere. Hæc ad lactis generationem idonea ſunt. Quędam maiorem habere vim calefaciendi, atq; manifeſtè exiccandi, licèt non plurimũ. Hæc menſes mouent, vrinas, & ſudores. Quædam intenſiùs calefacere, quoad paſſiuas verò qualitates non multũ deſiccare. Hæc poſſunt etiam menſes, vrinas, & ſudores prouocare. Quædam verò potentiorem calefaciendi, & exiccandi habere facultatem. Hæc prouocant ſolas vrinas, & ſudores. De his ita Gal. in loc. cit. dicebat: Siquidem excalfactio tribus generibus medicaminum communis, vtpotè, quæ lacti procreando ſuccurrunt, quæq; ciendis menſibus, & vrinæ cõueniunt. Differunt tamen caloris menſura, tum etiam, quod quædã deſiccant, & quædam non. Siquidẽ

quæ non deſiccant, & modicè calfaciunt, lacti generando vtilia ſunt; quæ verò plus calfaciunt, non tamen valenter deſiccant, menſibus eliciendis ſunt congrua. Verùm & hæc, vtraque vrinas prouocant, & ad hæc cum primis ea, quæ deſiccant, & calfaciunt. Propterea, quę ſudores verè dicuntur ciere, ſunt quæ propriè vrinas prouocãt, quę potenter calefaciunt, & exiccant, & tenuium ſunt partium. Ratio capitur à Gal. 10. ſimpl. med. facult. in cap. de ſud. vbi ſudores eandẽ materiam, quam habet vrina, poſſidere voluit: ideo medicamenta, quæ prouocãt vrinas, de iure prouocant etiam & ſudores, vt 4. ſimpl. cap. 19. dixerat. Heurnius 2. method. dicebat, ſudoriferum debere diuretico eſſe potẽtius, niſi febris obſtiterit, quo caſu vel diureticus, vel minus calidioribus vtimur: ſemper enim calidiora vſurpamus ad ciendos ſudores, niſi magnitudo febris impedierit; quare vbi febris moleſtat infirmũ, diureticis, ſi fieri poterit, ſudorem euocabimus: quippe diuretica, ſiue vrinã cientia, ſanguinem fundunt, attenuant, & ſeroſam partem ſeparant à ſanguinis craſſiore. Hoc bene expreſsit Gal. 5. ſimpl. cap. 13. Qui autem ſint huiuſmodi caloris gradus, enodare non recuſabimus.

Quippe medicamenta, quæ calida ſunt in primo gradu, aut parum ſupra, in paſsiuis verò temperata ad lactis generationem ſunt vſurpãda. Calida in ſecundo, vel parum ſupra, ſicca verò in primo, vel parum ſupra ad prouocandos menſes, & ad vrinas mouendas eſſe idonea iudicamus. Calida verò, & ſicca in tertio vrinas tantum, & ſudores mouere, & prouocare nõ dubitamus, tum teſtimonio Gal. in loc. cit. tum etiam, quia hæ ſunt, quæ propriam eliquandi, & extenuandi humores facultatem habent, non ſic cætera, quæ in calore, & ſiccitate minoris ſunt potentiæ. Propterea Gal. 5. ſimpl. 22. vretica appellauit, non quæ ſola moueant vrinas: ſed quia ſolas, & non etiam menſes, aut lac. Nos hæc ſudorifica etiam appellamus, quia conditiones omnes, quæ pro ſudoribus ciendis opus ſunt, ſuppeditant. Hæc autem ſi potentiora, & validioris facultatis in calore, & ſiccitate exiſtent, vtique ſudores tantùm mouere neceſſarium eſt principaliter, ſecundariò verò vrinas: nã ſi ea, quę magis fundunt, & colliquant humores, ſudorifica vocari merentur; nulli dubium eſt, quod quantò vehementioribus erũt viribus, tantò copioſiores ex ijs ſuſcitari poterunt ſudores. Profectò ſuſcitantur ſudores, tùm ab ijs, quæ in primo, tùm ſecundo, & tertio gradu caliditatis, & ſiccitatis exiſtunt, potentiùs autem ab vltimis, quàm à primis, eo quod horum facultas validior eſt. Hinc china, ſalſa parilla, ſmilax aſpera, chamæmelum dicuntur euocare ſudores; tamẽ hæc calida, & ſicca

& ſicca in primo gradu ſunt. Aſſarum tamen, daucus, apium, lignum ſanctum, &c. potentiùs mouebunt, nam potentioris naturę ſunt: ſiquidem calida, & ſicca in ſecundo. Calamintha autem, ſmyrnium, pulſatilla, ſaſſafras, &c. quia ſunt calida, & ſicca in tertio omnium maximè ſudores procreant.

Sed incidimus in graue quæſitum ex medicamentorum examine, quæ ſudores prouocant, ſiquidẽ ea eſſe propria ſudores cientia diſputauimus, quæ calida, & ſicca in tertio, atque tenuium partium ſunt: ſuperius tamen hoc improbauimus, dum admodum ſicca, & calida, in ſudoribus mouendis fore fugienda declarauimus: diximus enim calore, & humiditate, non autem adurentibus, & ſiccis, ſudores eſſe promouendos. Profectò in ſuſcitandis ſudoribus, maxima opus eſt prudentia, & maxima ſolertia, cum enim negligenter prouocantur, plurimum nocumenti corporibus inferre nulli dubium eſt, quippe ſæpenumero ſubſtantia corporis diſsipatur, virtus proſternitur, corpus contabeſcit, morbus augetur, & ſymptomata exoſcitanter motis ſudoribus intenduntur. Quapropter antequam ſudoriferum præſidium apparemus, ideam morbi, vires, facultates, & locum benè ruminare ſtudioſos oportet: ſiquidem eo perpetuò Medici vacare debent, vt infirmos ſi iuuare nequeunt, ſaltem non lædant. Ideo cum ſudores parare intendimus, primò affectus idea ſit ante oculos; ſi enim erit calida, quales febres ſunt vehementes, & præſidijs admodum calidis, & ſiccis abſtinere conſulo, ſatius erit potionem aquæ hordei, vel in qua fuerit decoctum chamæmelum eligere. Sin febris fuerit minus calida, & humores craſsi, & viſcidi redundauerint ad calidiora deueniendum exiſtimo, ad decoctum nimirum hyſſopi, thimi, pulegij, aſſari, & ſimilium. Hæc autem tùm in humorum præparatione, tum atque in ciendis ſudoribus deſeruire poterunt, tum maximè quando inciſione, vel abſterſione in ſuccis indigemus, quo tempore ſi cum decoctis ſerapia miſcebimus oximellis ſcilicet, acetoſi, vel alterius conſimilis naturæ, vtique optatum intentum conſequemur. At ſi alij erunt affectus ex humoribus frigidis, & humidis, & vires, & facultates infirmi validæ, & locus diſpoſitus; proculdubio maiori audacia ſimplicia calidiora, & ſicciora in euocandis ſudoribus vſurpare poterimus; eo potiſsimum ſi morbus fuerit rebellis, vel humores in reconditis partibus recluſi, & in articulorum cauitatibus, ſeu muſculoſis, & carnoſis particulis colligati. Quapropter ex morbi varietate, ſudoris apparatum variari

poſſe

poſſe conſentaneum eſt, quo fit (licèt propriè cientia ſudores, calida, & ſicca in tertio ſint) vt modò mitiora, modò autem potentiora præſidiam propinare valeamus.

Cùm autem epota ſudorifica, ex ingredientibus calidæ texturę cōponantur, vulgatiſſimum eſt apud Medicos conſilium in affectibus ijs commodiùs vſurpari, qui à frigidis, humidiſq; materijs innaſcuntur; in cuius rei argumento, experimento probatum eſt quamplurimos difficiles morbos, ſudorificis potionibus egregiè compeſci, atque fugari. Hinc oculatiſſimi Medici, peractis generalibus requiſitis ad hæc confugiunt epota; in frigidis nimirū diſtillationibus, hemicranea, cęphalea frigidis, epilepſia, paralyſi, maximo ventriculi lapſu, dolore iſchiado, oculorū diuturna lippitudine, podagris à frigida intemperie, omnibus ex viſcerum, vel articulorum refrigeratione paſſionibus, atq; inueteratis febriculis, quæ ex eo, quod à lento, frigidoq; humore prodeunt, diuturnæ eſſe conſueuerunt. Tandem hoc ſingulari pręſidio omnibus inueteratis, & frigidis affectibus ſuccurrimus. Inter hos Gallicus affectus, eiuſq; ſymptomata, tantam ex huiuſmodi auxilio recipiunt vtilitatē, vt medici audaciores in dies fiant in ægris prębendis decoctis, vt talis affectus reprimāt ferociam. Ex Medicis autem prudentiores, non ſolum ad relatas paſſiones, ad attenuandos, & euacuādos rebelles humores decocta vſurpant ſudorifica, verum atq; in alui, vrinę, aliarūq; corporis partium inueteratas fluxiones, vt Lælius à Fonte cōſult. 57. quippe reuellunt hæc, diſtrahuntq; humores, & illorum illuuiem à locis affectis diſgregant, quo fit vt corroborentur, & in priſtinam reducantur valetudinem. Propterea partibus corporis imbecillibus, quæ vel generant, vel ſuſcipiunt excrementa, ſudorifica potio, ſummum iudicatur remedium, nam alio his euocatis, excretis, vel conſumptis admirabili celeritate vigorantur, & reuiuiſcunt.

Quia autem varij ſunt affectus, diuerſæq; corporum diſpoſitiones, idcirco diuerſimodè præſidia, quæ per os ſumuntur ad ciendos ſudores, parare ſolemus. Quippe ſimplicia hæc modò vino, modò aqua ebulliri mandamus, atque eorū decocta infirmis potanda conſulimus. Sæpè ijs ſyrupos cōficiendos, vel pulueres, paſtillos, vel tabellas iubemus, vel eadem cōtrita ſyrupis, vel conſeruis è roſis, boragine, vel bugloſſo cōmiſta adminiſtramus. Formularū porrò varietatem ratio ipſa edocuit: nam ſyrupi, vel præſidia craſſioris conſiſtentiæ, quia diutius in ventriculo, & hepate cōmorantur, potentiùs capiti, ventriculo, & locis continuis ſuam inferunt virtutem. Dilutiora verò citiùs pertranſeunt,

ſeunt, propterea in affectibus à primis regionibus diſtãtibus commodiùs adhibentur. Duplici tamen cautela perpetuò hęc propinari, communi Medicorum conſenſu decretum eſt, vt cũ ſimilibus epotis etiam ea miſceantur ingredientia, quæ partem reſpiciant affectam, vt humores corrigant peccantes. Si enim roborandi partes indicatio cõſurg t, præſtabit decocto vini optimi, aliquã menſuram addere: ſin etiã euacuandi, ea quæ ſoluunt, & euacuãt. Profectò humores magis extenuati per ſudores, minus verò, vel qui craſſiores reſtant per aluum, & vrinam cõmodius expurgantur: quod ſi thoracem affectũ reſpicere oportebit, betonicam, carduum benedictum, violas, iuiubas, & ſimilia in media decoctione infundere oportebit. Sin autem neruorũ paſsiones, ſaluiam, roſmarinum, ſtęcadem, &c. In viſcerum internorum vitio ea eligimus, quę peculiariter illa reſpiciant; propterea in anaſarca, aſcite, & cachexia radices enulæ, iridis, ebulum, aut ſoldanellã decoquimus. Cùm autem humores corrigere, ſeu contemperare ſtudemus, endiuiã, cichorium, boraginem, lupulum, bugloſſum, & alia, quæ hanc retinent facultatem admiſcemus.

Simplicia, quæ in præſentiarum in vſu frequentiori pro apparatu ſudorifico à Medicis vſurpantur, eſt lignum indicum, quod ſanctũ, ſiue Guaiacum vocatur. China, ſalſa parilla, & ſaſſafras. Hoc tamen diſcrimine. Vtuntur china in omnibus viſcerum paſsionibus, atq; ijs, quę ab ipſis originem habere poſſunt, nec ſine ratione, ſiquidem cõſtat experimento, maximam illas partes corroborãdi in china ineſſe facultatẽ. Vtuntur ſalſa parilla, quando affecta corpora, imbecilla exiſtunt, vel morbi, aut febres leuiores, & remiſsiores ſunt. At lignum ſanctũ, quia eius efficacia maior, & potentior eſt, ad affectus ſæuiores, difficiliores, & diuturniores vſurpant. Saſſafras verò indiſcriminatim adhibetur; tanta enim eſt eius bonitas, vt cunctis ferè morbis diuturnis, cunctiſq; corporibus competat. De planta hac, quę à Florida apud Indos defertur, & de Tabacco etiam, qui eſt admirandæ etiam virtutis in ſuſcitãdo ſudore, differit Nicolaus Monardes, apud quę multa ſtudioſus Lector in præſenti materia videre poterit. Sunt autem præter hæc innumera ſimplicia, quæ horum defectu ſumi poſſunt: ſiquidem apud nos plantarum aliquot catalogus, tantæ efficaciæ in ſuſcitandis ſudoribus reperitur, vt niſi aliquorũ incuria hic tẽporis tanta eſſet, haud ijs forſitan indigeremus, quæ ab Indis aſportantur. Afferam tamen in ſtudioſorum gratiam nonnulla, quæ apud ſapientiſsimos experimentis comprobata ſunt. Datur Aſſarũ, quod in febribus quartanis, in euacuando

humore craſſo per ſudorem purgato corpore, mirificum iudicatur auxilium. Hoc in ſecretis Ioſephi ſcientiæ habetur: Pentaphyllum cuius radicis decoctum in thoracis affectibus commendatur. Semina hęderę arboreæ pro morbis peſtilentibus. Hoc ex Alexio Pedemontano in ſecretis. Camædreos pro morbis articularibus, chamæmelum, ſaluia, chamæpyteos, betonica, ſabina, centaurea in doloribus viſcerum. Laudantur etiam ſchinantum, calamus aromaticus, ramenta iuniperi, angelica, cortices citri. Heurnius 2. method. laudat Cerui lachrimam, qua tanta cietur ſudoris copia, vt penè totum corpus ſolui credas. Loco ligni ſancti, ebanum, cedrum, aut mali aurantij planta ſumi poteſt. Loco ſalſæ parillæ, noſtra ſmilax aſpera reperitur, quæ, vt obſeruaui, maioris eſt efficaciæ. Loco chinæ, radicibus noſtrę harundinis vti poſſumus. Loco ſaſſafras, fœniculum noſtrum ſylueſtre vires habet conſimiles. Hæc porrò in decoctis, ſyrupis, & in diuerſis potionum generibus vſurpari poſſunt, quemadmodum ex plantis, quæ ex Indis aſportantur, facere conſueuimus.

Hoc tamen circa ea, quæ potantur animaduertendum puto, corpora billioſa non eſſe diutius, neque vehementibus decoctis, ad ſudorem cogenda, quippe ſudores cientia, nam calidis compenſantur viribus, in calidis corporibus, & in feruidis humoribus minimè conueniũt, eo quia timor eſt ne viſcerum pariant inflãmationes. Hoc tamẽ in phlegmaticis corporibus, frigidiſq; humoribus nullatenus veremur: idcirco maiori cum fiducia ijs propinamus. Quapropter ante huius præſidij adminiſtrationem conſulo infirmi, & humorum peccantium cõditionem benè explorare: deinde ea prębere, quæ citra noxiam ægrũ adiuuent, rationabileq; erit ſi quæ plus iuſto calfacere poſſent, contẽperare ſtudebimus. Tandem infirma corpora coactè ad ſudores moueri, nequaquam iuſtum exiſtimaui, ne forſitan natura & à morbo, & ab auxilio ſudorifico labefactata inopinatè ſuccumbat. Propterea ſudores blandè perpetuò moueantur, conſultò, & magna prudentia. Sed veniamus ad exempla.

Decoctum ſalſæ parillæ in morbis articularibus.

℞. Salſæ parill. benè lotæ, & minutim inciſæ vnc. iij. ponãtur in infuſ. per horas 24. in lib. vj. aquæ fontis, deinde adde flor. cord. iuę artheticæ, meliſſæ, hepaticæ añ. m. j. fol. ſenæ orient. vnc. j. ſampſuci, bettonicæ, ſtechadis añ. dra. iij. bulliãt vſq; ad conſumpt. medietatis, & reliquę lib. 3. colentur, & ſeruentur pro ſyr. doſis ſit lib. ÷ pro vice.

Aqua,

Aqua, ſeu potus ſalſæ.

℞. Salſæ parill. eodem modo prępar. vnc. j. infund. per horas 24. in lib. 24. aquæ fontis, deinde bull. lento igne vſque ad conſumpt. quartæ partis: adde in fine ſemin. coriand. præparat. vnc. ÷ cinnamomi, & ſeminis peoniæ an̄. dra. ij ÷ Fiat colatura, & ſeruetur pro potu.

Decoctum ligni abſque cortice.

℞. Ligni ſancti benè limati lib. j. aquæ fontis lib. xij. infundatur lignū in aqua calida per horas 24. in vaſe vitreato bene clauſo, deinde coquant. lento igne ad conſumpt. duar. part. aquæ, coletur, & ſeruetur pro ſyrupo.

Decoctum pro potu.

℞. Lignum ſanct. prioris decoctionis, aquę fontis lib. xij. iterum coque vſq; ad conſumpt. 3. part. cola, & ſerua pro potu in prandio, & cœna ſumendo. Cum cortice poteſt fieri conſimili via, poteſt etiam decoctum vigorari, cum additione vini, ſi Medico placuerit.

Decoctum chinæ.

℞. Radic. chinæ optim. vnc. j. aquæ fontis lib. xij. rad. incida. minutim, & in prędic. aqua tepida per horas 12. infun. in vaſe vitreato, deinde decoquan. lento igne ad conſumpt. 3. par. cola, & ſerua pro ſyrupo.

Decoctum ligni cum ſalſa pro ſyrupo.

℞. Salſæ parill. cortic. lign. ſanc. an̄. vnc. ij. polypodij quercini vnc. j ÷ cinnamo. electi vnc. j. aquæ lib. xij. coquan. ad conſump. 3. par. cola, & ſerua pro ſyr.

Decoctum ſalſæ, & ligni pro potu.

℞. Materiam prioris decoctionis, aquæ lib. viij. coquan. ad conſumpt. duar. part. aquæ, cola, & ſerua pro potu ordinario, addendo in fine cinnamo. electi vnc. ÷

Decoctum ſalſæ, ligni, & chinæ.

℞. Salſæ parill. vnc.iij.
Cortic.ligni ſancti vnc.j.
Radic.chinæ dra.ij.
Hermodattil.vnc.j.
Polydij, rhapontici, turbith, capill. ven.radic.lilior.alb. apij, aſparag.fœniculi, petroſeli. glycyrrhizæ añ.dra.ij.
Fol.ſenæ vnc.÷ Decoqu. ſecund. artem, & ſeruetur pro ſyrupo, in reſiduo infunde lib.xx. aquæ, & decoqu. ad lib.xij. & ſerua pro potu ordinario.

Puluis ſalſæ.

℞. Puluer.ſalſæ parill.præpar.vnc.j÷
Puluer.ſen.orient.vnc.j÷ gariophill.ſcrup.÷ cinamo.dra.iij.
Sem.coriand.præpar. vnc.÷ terantur, & fiat puluis, doſis dra.j÷ cum vnc.iij.vini græci.Ita poteſt fieri de ligno,china.Poſſumus etiã omnia miſcere ſimul, & cum vino, vel ſyrup. aut conſeruis capere, vel orbiculos,vel tabellas fingere cũ zucc. ad formã manus Chriſti.

Potio ſudorifera in peſte miniſtranda, ex Teophraſto Paracelſo.

℞. Vini ſublimati,quod accenſum,pinguedinem non relinquat,menſuram j.
Theriacæ optimæ vnc.vj.
Mirrhæ vnc.ij.
Radic.Tuſſilaginis vnc.iij.
Spermatis cæti,terræ ſigillatæ añ.vnc.÷
Radic.aſclepiadis vnc.j.
Dictami,pimpinellæ,radic.valerianæ añ dra.ij.
Camphoræ dra.j. miſta omnia in purum vitrum conijciantur, ac in ipſo bene obturato ad Solem ſtẽt per octiduum. Doſis ſit cochlear. dimidium,vel integrum pro ratione corporis.

Potio ſudorifera in febribus propinanda.

℞. Specier.diarhod.Abb.dra.ij.
Quatuor ſem.comun.frigid.vnc.j.

Cum

Cum zuccaro diſſolut.in aqua capill.vener.fiant tabellæ. Doſis ſint dra.ij. cum vnc.vj. decocti radic.fœniculi, apij, cichor.calentis, & poſt duas horas fricetur corpus.

Potio in febribus ſudorifera.

℞. Chamæmeli, anethi añ.pug.j.
Apij pug.÷ flor.cord.pug.j. fiat decoct.ſecund.artem in aqua fontis fiat colatura,& detur infirmis tepida. Doſis vnc.vj.

Potio in materia craſſa,& viſcida.

℞. Hyſſopi,thymi,pulegij añ.pug.j.
Chamæmeli, & anethi añ.pug.÷ facta decoct.decolatur. ℞.lib.÷ cui adde oximell.ſimpl.vnc.ij.vel ſyrup.acetoſi,& tepidè ꝓpinetur.

De generali ſudorum curatione. Cap. III.

AGgrediamur modò poſtremam huius operis partem, quæ de ſudorum, qui corrigi, compeſci, & remitti à Medicis conſueuere,curatione inſcribitur. Profecto quæſitum hoc non modò ob difficultates,quæ in eorum tractatione ſuccedũt, vtillimum eſſe iudico, verum atque ob vtilitates, quæ infirmis ſuperueniunt, quando à ſudoribus moleſtati ſuccurruntur. Hi profecto ſudores curatione indigẽt,qui morbi ſtimulis, prauorũq; humorum acrimonia,vel virium defectu;& qui nulla ratione,nulloq; naturę ordine, ſed ſolum morbificæ cauſæ impetu, & iudicio concitantur. Propterea inter alias noſtri inſtituti partes,caput hoc de ſudorũ cura, non infimum locum habere exiſtimo,cùm in ea medicinæ parte, quæ Therapeutica eſt,includatur: ſiquidem Medici officium eſt,nõ ſolum valetudinem hominis conſeruare, & tueri,verum atq; lapſam,& affectam erigere,& in integrum reſtituere,vt vitam ipſam ſaluam,& incolumem quam fieri poteſt,longiſſimè producat. Idcirco poſt tot ſudorum tractatus ad eorum curationem accedere, tanquam ad id,in quo vltimum Medicinæ conſiſtit opus,rationabile in præſentiarum ineſſe iudicaui. Vt autem ad huius quęſitum capitis ritè accedamus,ſudores

tam bonos,quàm malos aliquando manu Medici indigere poſſe referre liceat. Boni enim, & ſalutares, quandoque difficulter erumpunt, quo fit vt medicum requirant auxilium, vt natura ſollicitari queat: ſæpè verò copioſi adeo ſunt, vt virtus corporis effluxum ſuſtinere nequeat;ideo illos compeſcimus. Mali autem,prauiq; ſudores perpetuò ſunt curandi, atque impediendi; vires enim eneruant, & mortem minantur. Propterea pro ſudoribus bonis, & criticis aliquot enodare cautelas conſideraui, vt ijs abſolutis, ad ſymptomaticorum,immodicorum,& malorum ſudorum curam peruenire valeamus.

Referam primò, quæ dixit Arnaldus Villanoua in regulis febrium generalibus. Si febricitans paratus eſt ſudare die critico cum digeſtione materiæ, ſi erit deſiccatus facie, collo, & pectore, faciat Medicus irrigare infirmi caput, collum, & pectus de lacte mulieris puellam lactantis in magna copia. In Reg.19. Si infirmus incipit ſudare die critico cum ſignis digeſtionis,ſi multum appetet bibere, propter æſtum, det Medicus poculum aquæ frigidæ plenum ad bibendum in vna attractione, nam iſto modo non impeditur, ſed potius prouocatur. In Reg.20. Sudans non eſt cogendus, vt coopertura ſudet,ſed dimittatur in ſua libertate: nam ſi moleſtant linteamina, remoueantur, & vnum ſufficit,& ſi vult ſe vertere,vertat hinc inde. Ioannes de Sancto Amando hanc ſcripſit cautelam. Si æger paratus eſt ſudare in febre, non eſt vtendum populeon, quia impediret ſudorem, quo cōſilio nos impedimur vti aſtringentibus cum ęgri die critico mouentur ad ſudores,ne hi compeſcantur.Sudantibus enim criticè cum ſignis digeſtionis,non ſolum adſtringentia vituperantur, ſed præſidium quodlibet, quod motum naturæ diuerteret,aut perturbaret. Propterea & phlobotomia, pharmacia, clyſteria, conſtrictiones, vnctiones frigidæ,flabella frigidantia,vnguenta conſtipantia improbãtur. Pharmacia enim à circumferentia trahit ad centrum, qui motus ſudoribus planè contrarius eſt. Sanguinis miſſio ſudorum curſum ad ſuperficiem, ad corporis venas retrahit, cæteraq; præſidia naturam à propria intentione remouent: idcirco tanquam inimica ſunt fugienda, dimittendumque totum naturæ imperio tunc rectè operantis.

Galenus 1.Prognoſt.comm.4.ægros ſudantes voluit in diebus criticis non eſſe dimittendos ad balnea, vt perfuſiùs ſudent, nec cogendos pluribus operimentis, vel rebus internis irritandos, vt copioſiores reddant,niſi fortan natura debiliter moueret illos: ſiquidem tempore Galeni quidam æger ſudabat,& Medicus dimiſit ad balneum,

&ille

&ille perijt. Paulus Ægineta verò reſiſtentem ſudorem criticum, aut remiſſum fotu, quiete, calido clyſtere, ſorbitionibus, & ſomno adiuuabat. In hac re ipſe huius voti ſemper extiti, nullum ſudorem vi exprimendum eſſe, ſed virtutem tantùm adiuuandam, ſi ea debiliter excretionem molitur: laudoq; in hoc caſu veſſicas decocto calente plenas ad emunctoria admoueri, & pannos calidos ad pedum plantas, vt ſapienter Ioſephus Pomius tetigit 1. de febrib. 55.

Auicenna 4. 1. tract. 2. cap. 14. loquendo de regimine ſuperflui ſudoris in febribus, hæc attulit: Oportet ne ſudor criticus, quantum poſſibile eſt, reſtringatur. Quum autem euenit neceſſitas, & pertranſit terminum, tunc oportet vt euententur, & infrigidetur locus. Si autem non excuſat tunc ſuper inſtrumentum poſitus, quo pueri, vel iuuenes ſolent in aere concuti, commoueatur in loco frigido. At præſidium hoc ridiculum videtur, nam alia auxilia ſuperſunt, vt commota flabella, & alia remedia, quæ ſudores comprimere poſſunt. Sed non eſt cũ ſilentio pertranſeundum, quod hic 1. 4. doctr. 5. cap. 20. diſputauit, An in multo ſudore conueniat venæ ſectio, & pharmacia? Cui quæſito reſpondet Auicen. quod vel ſudor eſt propter cauſam procatarticam, nimirum propter cibum, & potum, & in eo caſu diæta eſt neceſſaria: ſi ob cachochimiam tunc opus eſt pharmacia, ſi verò ob plectoriam ſanguinis miſſio iure competit. At reprehenditur ab Actio Philippo ex eo quod 4. 2. tract. 1. cap. 71. oppoſitum dicat, dum infert, ſudorem multum, longitudinem morbi ſignificare propter multitudinem materiæ, cui non competit phlobotomia, nec ventris ſolutio: quaſi vellet dicere Auicen. Quo natura vergit, eo ducere oportet, ex 1. Aphor. ſed ſudor per poros cutis excernit humores, ergo per illos tantum ducere oportet. De his reprehenditur ab Actio: ſed vtinam viueret ipſe princeps, vt patrocinium ſuum tueretur. In præſentiarum autem in gratiam Auicennæ reſpondetur Actio, Medicum prudentem eſſe debere, ſi arte Hippocratica dignus vocari cupiet: hinc ſi rationabili cõiectura præuidebit totam peccantem materiam expurgari, & euacuari poſſe per ſudorem, nec pharmaco equidem, nec phlobotomia opus erit, ſin è contra ambo præſidia licere non eſt dubium, eo præſertim ſi magna fuerit cachochimia, vel plectoria: quibus compenſatis, Auicennæ loca non patiuntur contradictionem.

Petrus Foreſtus lib. 7. obſeruat. ſchol. 27. dum loquitur de præſenti materia, dicit: Critici ſudores ſiquidem reſiſtunt, excitari debent, ac ferè reſiſtũt vel quia copioſior materia eſt, vel quia qualitate craſſior,

&

& lentior, alioquin externa cauſa eſt. Propterea conſuetudo eſt vt ſyrup.acetoſum cum ptiſſana, vel aqua hordei calida imperent. Atque hæc calida imperentur, vt citiùs penetrent in corpus. In ſumma quæcunque habent vim aperiendi, nec adeò calefaciunt, mouendis ſudoribus ſunt imperandi, atque vbi materia craſſior eſt, nimiſque viſcida, decoctum hyſſopi, thymi, pulegij, & ſimilium, vel oximelite, vel ſyrupo acetoſo miſcendum eſt. Verum in ſudoribus etiam criticis modus quidem eſſe debet, quemadmodum & in reliquis omnibus criticis excretionibus. Modum verò tibi indicabit pulſus, qui per eiuſmodi excretiones vehemens, & magnus eſt. Quo igitur tempore talis permanet, nihil ab excretione tibi metuendum eſt. Vbi verò cœpit imminui, & langueſcere, ſiſtenda hæc excretio eſt.

Sed veniamus ad malorum ſudorum curam. Hi porrò vel copioſi, & ſuperflui, vel pauci, diminuti, & deſinentes eſſe ſolent. Dicuntur mali, quia non voto naturæ, ſed ſymptomaticè, ex ipſius nimirum defectu, vel morboſo irritamento ſuccedunt. Propterea à Medicis praui, infeſti, lethales, non conferentes, non vtiles, infidi, & maligni vocari conſueuere. Hi ſolent vt plurimum in malignis febribus conſpici, atque in ijs potiſſimum, quæ maiorem cauſæ habent vrgentiam. Apparent autem ſæpenumero in nonnullis etiam morbis, qui licet abſque febre incipiant, ſudores tamen huiuſmodi ſuſcitant, diſſoluto ſpiritu, & proſtratis naturæ viribus, & muneribus; accedamus itaque ad omnium enodationem.

Sudores in febribus immoderatè, & ſuperfluè profluunt, Galeni teſtimonio in 3. de cau. ſympt. cap. 2. aut propter corporis raritatem, aut facultatis retentricis imbecillitatem, aut expulctricis immoderatum motum, aut excrementi abundantiam, vel propter eius, quod vacuatur tenuitatem. Pauci autem vel propter horum contraria, vel ſimilia ſuccedunt. Profectò hic cauſarum malorum ſudorum catalogus eſt, licèt harum modò vna, modò verò plures in generatione concurrant. Hippocrates autem breuitatis ſtudioſus, ad duo mēbra, 1. Progn. 26. eas videtur reduxiſſe, dum ait: Noſſe oportet hoc in vniuerſum de ſudoribus quoſdam fieri præ corporis diſſolutione, quoſdam præ inflāmationis vehementia. Sed à Galeno dubitatur, an hæc Hippocratis ſint verba, cum in cunctis illius exemplaribus minimè reperiantur: propterea à nonnullis meritò fuiſſe deleta iudicauit: vtcunque tamen ſit, nec plures, nec pauciores à ſcriptoribus noſtris adnotantur, ideo ad illarum intelligentiam venire me accingo.

Cor-

Corporis raritas, vel quod ex internis, vel externis generetur cauſis, ſemper à calido (cuius vis eſt partes dilatare) fieri conſpicitur. Hinc Galenus 5. Aphor. 69. docebat, in viris cutem eſſe magis raram, quàm in mulieribus, eò quia calidiores, & magis perſpirabiles ſunt. Et 6. Epidem. comm. 3. tex. & com. 1. nonnullos propter cutis raritatem ventrem ſuppreſſum habere dicebat, quoniam per cutim plurima euacuantur. Ecce modò quomodo per calorem ex internis principijs rareſimus, & dilatamur. Vt autem à calido cutis raritas adnaſcatur, humiditas quodammodo neceſſaria eſt, aliter ſi cum calido ſiccitas copulatur, potius cutis duritiem, circumtentionem, & occluſionem pareret, quàm raritatem. Hoc volebat innuere Hippocrates 5. Aph. 71. Quibus cutes circumtenduntur aridæ, & ſiccæ, ſine ſudore moriuntur: quibus verò laxæ, & raræ, cum ſudore. Nam laxitas, & raritas ad ſudorem ſunt aptiſſimæ: laxitas enim humiditatem ſignificat, raritas verò ad ſudorem parat viam. Ex his ſtudioſi corradere poſſunt laxitatem, & raritatem cutis, vel natura, vel ex morbo procedere poſſe, in vtroque enim quoad internas partes calor poteſt dominari, & cutem rarefacere. Propterea, qui naturaliter raræ texturæ reperiuntur, ſuperueniente calido morbo, abſq; ad ſudores fiunt procliues, quemadmodum corpora illa, quæ à febribus humidis, & ſudorificis infeſtãtur. Dantur etenim aliqui morbi, qui cutem laxare, & ſudores copioſè inducere poſſunt. Hoc videre eſt in lib. Galeni aduerſus Lycum. Si ergo ex interiori calore corporis raritatem fieri reperimus, nulli reſtat dubium ab exteriori etiam adnaſci poſſe, quod eſt magis euidentius. Hinc Galenus de ſectione venæ, aduerſus Eraſiſtratũ, cap. 9. à calore, motuq; corporis raritatem fieri diſputauit. Si enim aer ambiens calidus fuerit, & animans exercitijs vacauerit, tunc cutem rariorem fieri neceſſe eſt. Et Hipp. 5. Aphor. 22. hoc confirmauit, dum calidum cutem emollire aſſeruit. Galenus inſuper 3. de ſanit. tuen. c. 3. aquam calidam cutem emollire, & rarefacere demonſtrauit. Quibus exemplis facilè erit alias conſimiles cauſas in ſex rebus non naturalibus inuenire, vt ſtudioſi de corporis raritate quæſitum intelligere poſſint.

Facultas retentrix pro ſuo munere obeundo, calore, & ſiccitate gaudet, ab opere autem à frigido, & humido impeditur. Hoc capitur à Gal. 3. ſympt. cau. cap. 3. quando dicebat: Retentiuę virtutes, quę naturales ſunt, in calidioribus, & ſiccioribus inſtrumẽtis validiores ſunt; in humidioribus, & frigidioribus ſiue à primo natali alicui, ſiue alias

con-

contingerint imbecilliores. Propterea iuuenes melius retinere, quàm pueros, & ſenes aſpicimus; nec ſine ratione, nam quę ſicciora ſunt, diutius retinent, vt imagines, quę imprimuntur, demonſtrant: quas ſi fortè in liquido aptare volueris, citiſſimè euaneſcunt. Hæc omnia perpendens Gal.loc.cit. ita loquutus eſt: Siccitas ad robur, & nixum conducit, ſi tamen adhuc, nec difficile mobilia, nec frangibilia facit. Humiditas ad nutritionem maximè eſt accommoda, ad alias autem functiones maximè contraria, auctione tamẽ excepta. At 1.de pręſag. ex pulſ.cap.4. Facultatem retentricem propter intemperiem, imbecillam fieri diſputauit, inter quas frigidam locum principem obtinere clariſſimè demõſtrauit. In qua re tyrones ſtudioſos monere volumus, non omnem frigiditatem retentricem imbecillitare, ſed quæ tantum immoderata eſt. Frigus enim moderatum tantum abeſt, vt imbecillitatem inducat, vt potius firmitatem addat: quemadmodum Vidus Vidius ſenior 10.de tuen.valet.cap.5. in hac materia adnotauit: Intemperies autem frigida validum nobis inducit exemplum de retentricis languore in morituris, quando ex diſſipato, ſeu propè extincto naturali calore, non amplius retentrice quicquam retinere valente, per ſudores ſæpeſæpiùs inutiles, & vtiles excernuntur humores, & alimentitiæ humiditates; in cuius rei teſtimonium, Hippocratem adducimus 4. Aphor.52. qui per lachrimas inuoluntarias ſymptomaticè in morbis eruptas, languorem virium, & virtutis retentricis imbecillitatem, inter alias cauſas oſtendere conatus eſt, cuius excretionis genus, cum ex vna, eademque materia oriatur, ex eadem, & conſimili cauſa proficiſcitur.

Facultas expulſtrix tantum conſortij cum retentrice retinet, vt ijdem morbi, eademque ſymptomata ad vtramque ſpectare poſſe videantur. Propterea ipſa validior conſpicitur, quibus inſtrumenta ſicciora ſunt, vtique ad expellendum firmitas quædam requiritur, quam à partium ſiccitate innaſci videmus; eam tamen moderatam ipſa poſtulat facultas, vt Galen.2.Aphor.comm.20. qualis in iuuenibus eſſe ſolet, quorum validior conſpicitur expulſiua, quàm in pueris; eo quia his ob nimiam humorum copiam imbecillior eſt; licèt talis imbecillitas, teſte Galeno 5.de loc.aff. ob celeritatis actionem lateat. Immoderata autem ſiccitas nequaquam expulſtrici vtilis eſt; cum corporis partes adeò duras illa reddat, vt fibræ contrahi nequeant ad illius expreſſionem, quod excerni debet. Scribit Gal.1.de loc.aff.cap.1.in omnibus corporis particulis eſſe vim, qua excrementa excernantur: hac

tamen nequaquam continuò illas vti,ſed tantummodo cum vrgentur ab excrementis. Hinc in ſanis corporibus facultatẽ hãc excitari apud auctores cõpertum eſt, cum diuiſo per corpus alimento lęditur à reliquijs:quo tẽpore ad ea mouetur expellenda,quę aut qualitate,& toto genere irritant, aut pondere, & copia onerant,& diſtendunt: quod ſi ſecus accideret,otioſa maneret;quemadmodum inutilis conſpicitur, dum concoctrix facultas ſuũ facit officium, quo peracto,quia reliquię excrementoſę,expulctricem irritant: propterea mouetur ipſa,arcetq; quod inutile reperit in corpore,qualecunq; fuerit. Cõſimili induſtria cum irritatur in morbis,mouetur ad excretionẽ facultas hæc. Stimulatur verò, vt Gal.3.de cau.ſympt. vel à nimia copia, vel ab acri,mordaci,& praua excrementorum qualitate, à quorũ onere membra quidem grauata,& ſenſibilis qualitatis vrgentia irritata,quia nec breuiſſimo temporis ſpatio ſuſtinere queunt,confeſtim eijciunt,& expellunt. Tales excretiones in morborum principio ſæpenumero conſpiciuntur,ob id iudicia,& criſes illæ inſidæ iudicãtur: nam facultas ipſa ante humorum coctiones hoſtiliter ab excrementis percuſſa,& irritata,cogitur ante tempus iudicium moliri, atq; ſudores, vel alias moleſtas excretiones in animalis perniciẽ expromere. Ex hac cauſa Hippocrates ſapientiſſimus 2.Aphor.auſus eſt dicere,acutorũ morborum non omnino eſſe certas pręnunciationes,aut ſalutis,aut mortis. Siquidẽ,vt ait Gal.in com. iſtud euenit propter ſubitam in iudicatione permutationem,quę morbificorum humorum ſequitur naturam. Et quia nõnunquam humor noxius vi expulctricis, vt par eſt, de vno loco trãsfertur ad alterum. Quomodo autem humorum copia, prauaq; eorum qualitas in morbis fiat, apud Galenum in lib. de cauſ.morb. & cauſ.ſympt. facillimè inuenies.

Tenuitas humorum, quæ eſt poſtrema cauſa ſuperfluorum ſudorũ, à duplici innaſcitur cauſa,à calida ſcilicet,vel frigida. A calida fit quãdo propter febris ardorem,& vehementiam adeò eliquãtur,& diſſoluuntur humores, vt per vias etiam anguſtiſſimas facilem habeant trãſitum. A frigida fit, quando hepatis,& venarũ coctrix à frigida tentatur intemperie; qua adeò impeditur,ab humorum coctione,vt eos tenues,& aqueos gignat;& tenues emittat ſudores. Huiuſmodi generis ſunt ſanguinei ſudores, quando ab imbecillo calore immodicè humeſcit,& in ſpeciem ſaniei diluitur, & per meatus cutaneos percolat, vt alias diſſeruimus.

Veniamus ad paucos ſudores,qui, Gal.teſtimonio 3.de cau.ſympt.

cap.2. oriuntur;quando quod ſuperfluit,exiguum eſt,vel glutinoſum, vel craſſum,vel meatus ſunt anguſti. At 3.Prorrhet.comm.33.paucos ſudores, vel copiam in ſudantibus partibus, vel retentricis imbecillitatem oſtendere manifeſtauit. De quorum cognitione in cap.de ſudore pauco, tum verò in cap.de ſudore ſymptomatico longiſſimè diſputauimus,quapropter non eſt hic,vt iterum eodem repetamus.

Paucitas ſudoris in ægris ſecundùm naturam nec vnquam ſuperuenit : perpetuò autē ſymptoma eſt, ſiue ſudor ex toto corpore,ſiue ex partibus duntaxat profluat:inter omnes tamen huiuſmodi ſudorum differentias, qui copiam in ſudantibus partibus, & qui retentricis imbecillitatem arguunt, ſunt omnium periculoſiſſimi, & maiori indigēt Medicorum auxilio,quippe quando pauci ex humorum craſſorum,& lentorum copia eueniūt,naturam ſuccorum putreſcentium expulſionem moliri, nō poſſe tamen,niſi tenuiorem ipſorum partem excernere,coniecturamus. Quo fit,vt ſudores intercepti,& diminutæ oriātur exudationes, & proinde malę, atq; exitiales,ſi à virium languore peruenerint. Inter hos eſt ſudor diaphoreticus, ſiue mador corporis, qui omnium Medicorum conſenſu peſſimus iudicatur: procedit enim vel à diſſoluto ſpiritu,vel ab imbecillitate retētricis,vel à viribus deiectis. Eius materiæ partes nutrimentales adeſſe ſolent, quæ colliquatæ, & reſolutę in febribus à prauo,& venenato calore,in ſudores excernuntur. Hinc ſudor hic colliquatiuus dictus, quia à colliquatione adoritur, qualis in cardiacis, ſtomachichis, & in febribus colliquatiuis viſitur. In alijs autem morbis,à quacunque proficiſcitur eſt narratis cauſa,ſemper ſecum pericula affert, & timorem. At mortis indicia certè oſtendit, cum deiectis viribus, diſſolutoque ſpiritu, & calore natiuo excernitur.

Sed referamus in quibus potiſſimum morbis mali ſudores videātur. Profectò in febre ſemitertiana non exquiſita,præſertim ſæuiſſima apparent ſymptomata, vt Gal.in lib.de typis,quemadmodum vomitus, deiectio,& ſudores: omnia tamen praua,idcirco non ſine cauſa perniciosam Medici appellant. Hipp.1.Epid.hanc appellauit ſudorificam. In hac ſolent praui ſudores ſuccedere:etenim vi exprimuntur,& propter humorum copiam,& virium imbecillitatē adnaſcūtur:quod animaduertens Hipp.in Coacis dicebat:Horrore etenim affecti,multum inſuper exudantes,difficili,funeſtoque malo implicantur. In febribus colliquatiuis feruentior calor adeſt. Hic modò humores tantū in venis contentos eliquat, modò corpus vniuerſum, carnes primum mox

ſolida

ſolida membra, in his à reſolutione corporis tenues ſudores excitari ſolent: apparent ſyncopes, & ex malignitate ſæpiſſimè mors ſuccedit. In lyppirijs, & epialis febribus ſępenumero cernuntur ſudores, vel ex inflammationis vehementia, vel ex virium, corporiſq; diſſolutione, vel à natura deiecta ab humorũ copia, eorumq; praua qualitate. In peſte, febribuſq; peſtilentibus, ſudores fœtidi, & pernicioſi ex mala, & venenoſa humorum qualitate, & corruptela, & ex virium, & corporis diſſolutione erumpunt. In cardiacis, ſtomachichis, ſyncope, colico, iliacoque cruciatu, conuulſionibus, vteri ſtrangulatu. Ictibus venenoſis, animi deliquijs. Strãgulatis, alijſue doloribus maximè afflictis, ſudores excitantur modò à retentricis languore, modò à diſſoluto ſpiritu, à viribus deiectis, a corporis reſolutione, & caloris natiui defectu. In hecticis ſpectantur ſudores & pauci, & copioſiſſimi: illi autem nõ erumpunt, declinante morbo, quinimo quanto hectici deterius ſe habent, & morti fiunt propriores, tãto copioſiores ſuſcitantur ſudores, ex retentrice debili, quæ adeò impotens eſt, vt nec humiditates naturales retinere queat. In febribus, quæ typhodes, & elodes vocantur apud Aetium, & ſudorificæ apud Galenũ in lib. aduerſus Lycum, & in alijs quamplurimis morbis ſudores mali, & ſymptomatici ſuccedunt, proueniuntq; à narratis cauſis, à raritate nimirum cutis, ab humorũ copia, à tenuitate humorum, à virtute retentrici debili, ab expulctrice irritata, à colliquatione corporis, à diſſolutione ſpirituum, & caloris natiui, à viribus deiectis, ab inflãmationis vehementia, & ſimilibus: quos affectus non licet omnes recenſere, ſatis eſt Medico cognitionem cauſarum adipiſci, vt ſuccedentibus in ijs ſudoribus, opportunis poſſit occurrere præſidijs. Veniamus ergo ad curationes.

In curandis ſudoribus accuratè ſe gerat Medicus in perſcrutandis cauſis à quibus illi originem habent: ita enim facillimè, induſtrioſoq; auxilio languentes adiuuabit. Profectò non vna, eademq; cauſa ſudorum exitus eſt: propterea non vna eſt curãdi methodus. Si enim facultas retẽtrix imbecillitate, vel intemperie torquetur, cuius cauſa ſudores excitentur: ſtatim oritur indicatio vires corroborandi, intemperiemq; curandi. Virium corroboratio fit cibis, & potionibus nutrientibus, quæ ſint citiſſimæ coctionis, vt oua ſorbilia, contuſa ex carne gallinacea, iuſcula, aqua ex carnibus electis, e lambicco extractę, diſtillatum, vulgo dicitur, vina alba, & odorifera. Inſuper cuſtodiæ ſpirituũ valde vacandũ tam ad intra, quam ad extra. Celſus ad reficiendos ſpiritus, naribus admouet roſas, & vinum. Ideo laudantur odoramenta

ex aceto,roſis,pomis aurantijs,citro,violis, ita enim aer alteratus reficit ſpiritus. Ad intra præſtabit electuaria concinnata ex puluere Diamargaritonis,fragmentis de gēmis,alijſq; confectionibus cordialibus. Proderunt cordis regioni ex huiuſmodi rebus compoſita, epitemata. Proderunt & alexipharmaca, ſi ſpiritus,virtuſq; deficient ob aerem peſtiferum,vel calorem venenatum,vt in malignis febribus.Hæc ſunt bezoar, ſemen citri, acetoſæ, theriaca cum acredine citri accommodata, olea contra venenum, & plurima alia præſidia, quæ in tali caſu obſeruantur.Intemperies corrigitur ſuo contrario,vt apud practicantes notum eſt: & ita ſuccurrimus facultati imbecillæ, ſpirituumq; reſolutioni, ſudorum malorum tempore.

Si in ſudorum eruptione facultas peccat expulctrix, quia hæc vel à copia, vel à mala excrementorum qualitate ſtimulatur. Ideo duplex oritur indicatio, euacuandi ſcilicet copiam, & prauam qualitatem alterandi. Copia ſi eſt ſanguis,venæ ſectione euacuandus eſt: ſi alter humor purgandus,vel auertendus: ſi non eſt præparatus,præparandus, vt exitui obedientior exiſtat. Mala excrementorum qualitas ſuo contrario alteranda,& corrigenda eſt: ſi enim eſt calida,refrigeranda eſt, & è contra,ſi humida exiccanda,& è contrario, quemadmodum in praxi habemus. Si humores peccant,quia à febris vehementia tenuiores fiunt, tunc duplex inſurgit indicatio, febrem ſcilicet curandi, & humores incraſſandi. Febris curatur per refrigerantia, & per eradicantia materiam omnino putrefactam.Humores tenuiores fiunt craſſi, partim alimentorum qualitate, partim verò medicamentis refrigerantibus. Alimenta erunt alica, pedes, inteſtina, & cerebella animalium, orixa,omphacium ad condienda edulia,& ſimilia. Medicamenta autem refrigerantia, hæc eligi poterunt. Syrupus de papauere, de lactuca, agreſta, diacodion, theriacà nouella, ſuccus portulacæ, potus aquæ, decoctionis myrti, plantaginis cum ſucco granat. vinum rubrum adſtringens tali aqua dilutum, & plurima alia. Inſuper humores ipſi, qui per ſudores excernuntur ex multarum partium conſenſu aliò diuerti poſſunt. Sicuti enim cum per aluum fluxiones nimium deijciuntur, ad vias vrinæ diureticis medicamentis reuelli poſſunt, atque à vijs vrinæ ad aluum medicamentis purgantibus, cum oportuerit, deriuantur, vt Galen. 6. Epidem. 2. comment. 7. ita ſudores reuellere poterimus partim ad vaſa vrinaria, partim ad aluum, planè totum corpus expirabile, & inſpirabile adeò eſt, Hippocratis teſtimonio 6. Epidem. 6. vt partes externæ ab internis, internæque ab

ex-

externis miro conſenſu trahant. De hoc reuulſionis genere vide Gal. 5.method.med.cap.3.

At ſi ſudores ex cutis raritate immoderatè profluunt, vtique illam conſtringendi, poros claudendi, & cōtrahendi indicatio oritur. Equidem caput hoc magnę in curatione neceſſitatis eſt, nāq; rarò eſt, quod in ſudore ſymptomatico pororum clauſuræ vacare non oporteat: licèt ille, & à retentrice imbecilli, ab expulſtrice irritata, ab alijſq; ſudores mouentibus cauſis, oriri poſſit. Cùm enim ſudores reprimimus, vtique cutem denſare, quoquo pacto oportet, qua via curationem, quæ ſudoribus à raritate cutis fluentibus competit; omnibus cauſis etiam, quibus ſudores excitari conſueuere: habita tamen cura, præſtitoque auxilio, vt diximus, alijs corporis partibus, à quibus alię indicationes ſumuntur, conuenire confitemur. Medicamenta autem, quæ cutis raritati ſuccurrunt, auxiliaq; omnia ad frigidum inclinare oportet: ſiquidem huius denſare, claudere, conſtringere, ſeu contrahere partes opus eſt. Capimus hoc à doctiſsimo Galeno in lib. de venę ſect. aduerſus Eraſiſtratum cap.9. vbi loquens de frigoris efficacia, dicebat: At contrarium rerum ſtatu, vbi videlicet ambiens, nos frigidus, inſuperq; animal ſine motu degat, denſari illico exteriorem ſuperficiem, defluereq; nihil prorſus, aut vndequaque parum: & ob id feræ quæcūque latibula incolunt, alimentis opus non habent. Cùm enim hæ ſub hybernum frigus, quo tempore in cauernis commorantur, toto corpore, frigidæ, ſegneſque, ac denſæ, ob quietem redditæ ſint, & exterior ſuperficies, iam adſtricta fuerit, nihil tunc defluere par eſt, &c. quare pro ſiſtendis ſudoribus à cutis raritate, ad explananda præſidia accingamus.

Primò neceſſarium eſt aerem, & locū infirmi ad frigidum alterare, pro quo perficiundo auxilio, herbas proderit, flores, frondes frigidæ qualitatis humi ſternere, quales ſunt lactucæ, roſæ, ſalices, violę, vites, portulaca, nenuphar, myrthus, arundines, & aliæ, eaſq; vnà cum pauimento aqua frigida roſarum, violarum, myrtillorum aceto commiſto, puluereq; ſandalorum conſpergere. Præſtantiſſimū iudicatur præſidium, fontem artificialiter parare, è quo aqua ſurſum proijciatur, vt hodierno vſu nonnulli facere in febricitantibus cōſueuere. Hoc conſulit Blaſius Aſtarius. Quoad habitationem, quæ pro negotio hoc eligitur, domus verſus Boream ædificata, cōmodior exiſtimatur: vbicunque tamen æger fuerit, habeat ad Aquilonem feneſtras patentes, hic enim perflatus aerē refrigerat, & maximopere ſudores hos condenſat.

Non

Non laudantur ea, quæ aerem calfaciunt, qualis ignis accenſus, luminaria ardentia, motus corporis ad calidum, & plurium hominum viſitatio; hæc enim maiorem pororum apertionem facerent, & profuſius ſudores excitarent.

Secundo ægrotum quoq; intereſt refrigerare ad hoc vt pori magis claudantur. Huius rei ſcopum multis aſſequimur vijs, nam modò corpora nuda aeri frigido exponimus, modò flabellis aerem mouemus, modò perfuſionibus, ſeu lotionibus, aut linimentis cutem refrigerare, & adſtringere ſtudemus. Inter alia requiſita, infirmum lecto duriori, leuiſſimoq; operimento cõtectum retinere proderit: quieſcere enim molli pluma, aut lana, corpus incaleſcit; & ſudores magis citantur. Sed dubium inſurgit ex doctrina Ariſt. 2. probl. 34. infirmos eo minus ſudare, quo pluribus indumentis muniuntur. Cui dicimus, valere hoc in Sole, & in aere calido; in frigido autem nequaquam. Perfuſiones ad refrigerandam, & adſtringendam cutem, & ad pororum foramina claudenda decocto componuntur ex ſimplicibus frigidis, acerbis, & adſtringentibus, in quo ſpongiæ imbibuntur, & ſudanti corpori applicantur. Exempli gratia.

℞. Aquæ pluuialis lib. v.
Portulacę, plantaginis, polygonij, & roſ. rub. añ. m. j.
Fol. rubi corticum granat. myrtill. & balauſt. añ. m. ÷
Contundantur, & bulliant ad conſumpt. quartæ partis.

℞. Aquæ plantaginis, myrtill. portul. & roſ. añ. lib. ÷
Succi fol. rubi, roſ. rub. & polygonij añ. vnc. ij. miſce, & fiat lotio.

℞. Fol. ſalicis, polygonij, roſ. rub. añ. m. j.
Balauſt. hypociſtidis, acacię añ. vnc. ÷ Bulliant ſecundum artem, & fiat lotio.

℞. Polygonij, myrtill. fol. ſalicis, añ. m. j.
Plantaginis m. ÷
Bulliant, & in fine addatur aliquid aluminis, & ſpongijs fiant perfuſiones.

In perfuſionibus vnum Ariſtotelicum in lib. cit. eſt attendendum, ne ægro nauſea excitemus. Si ſudãti corpori, aqua frigida admouetur, aut illud aere frigido tractatur, nauſeam excitare: ratio eſt, nam vapores, qui per cutim expirari debebant, ad ventriculum repercuſſi, nauſeam commouent. Quod dubium licèt poſſit adaptari in ſanis, & ęgris corporibus, & forſitan in ſudoribus criticis, tamen quod in præſentiarum attenditur, eſt, vt in hiſçe caſibus aliquo corroboratiuo ventriculum

lum foueamus. Linimenta, quæ ad nimium ſudorem compeſcendum vſurpantur, eiuſdem virtutis, cum perfuſionibus exiſtunt. Componuntur autem oleis refrigerantibus, vnguentis, ceratiſque conſtringentibus, gummatibus, & huius generis quamplurimis. Exempli gratia.

℞. Olei de cucurbita. de nenuphare, carabe, & roſ. omphac. añ. vnc.ij. gummi tragant. vnc.÷ miſce ſecund. artem ad ignem, & frigidum adminiſtretur.

℞. Olei cidonior. myrthini, roſ. omphac. añ. vnc.ij÷
Olei maſtic. melini añ. vnc.j. mucilagginis pſyllij dra.vj. miſce.

℞. Olei maſticini, olei de cucurbita añ. vnc.ij÷
Vnguenti roſ. vnc.j÷ ceroti ſandal. vnc.j. miſce.

Auicenna in caſibus deſperatis, & quando alia nõ contulerint præſidia; ad auxilium niuis confugere audit; & ad balneum aquæ frigidæ: vtrumq; iubet remedium ad extremas corporis partes, manus, & pedes adhibendum. Mercurialis, & Maſſaria vituperant hoc conſilium tanquam temerarium: ſed rei veritate, in deploratiſſimis caſibus non eſt aſpernendum. Ego quidem in corporibus imbecillibus, & extenuatis non vterer, quia in ijs de facili calor natiuus mortificaretur; in robuſtioribus autem vti non diffiderem, nam ex citiſſima refrigeratione, quàm facilè ſudores compeſci poſſunt.

Sed veniamus ad controuerſiam, quę apud Medicos de ſudoris abſterſione ventilatur, An ſcilicet pro compeſcẽdo ſudore liceat potius abſtergere, an verò infirmos nõ abſterſos quieſcere, ſudantes permittere? Lis magna eſt inter illos, qui Auicennam, Ariſtotilem, & Paulum Æginetam inſequuntur. Auicenna 1.4.tract.2.cap.13. reſolutè à detergendis ſudoribus, Medicum abſtinere conſulit: eo quia motus deterſionis, non ſolum maiores prouocat ſudores, ſed etiam ſyncopim. Hanc opinionem defendit etiam Ariſt. 2. probl. 12. vbi dimittendos potius, quàm detergendos ſudores conſultò proponit: nam ſudores emiſſi, refrigerantur, & ſua mora cutem refrigerant, & poros claudũt. Ægineta verò obſtinatè tenet, ſudores eſſe detergendos. Hoc videre eſt lib.2.cap.47. & quod magis aſſeruit (quotieſcunque neceſſitas prouocandi ſudores, quales ſunt critici, adfuerit) optimum eſſe ſudores dimittere, eo quia ſudor ſudorem trahit. Mercurialis, qui vidit hanc controuerſiam, hoc pacto cõciliat. Deterſionẽ fieri poſſe, aut blandè, & paulatim, aut concitatim. Si concitati, & fortiter fiat, certè magis prouocat ſudorem: quam intentionem Auic. & Ariſt. habuiſſe voluit. ſed ſi loquamur de blanda, ait magis coercere ſudorem, & minimè pro-

prouocare ſyncopim; & ita defendit Paulum, quẽ voluiſſe habere oculum, vt auerteret ſyncopim, conſiderauit. Equidẽ in hoc negotio deterſionem iubere nunquam mihi placuit, eo quia vel blanda, vel fortis ſit, ſemper alijs ſudoribus viam parat, nam ianuam aperit: nec Mercurialis defenſio ab hac ſententia me diuertit, quippe ſi oculum ad euitandam ſyncopim Paulus habuiſſet, vtique alia ſelectiora auxilia in medium attuliſſet: placet potius Pauli conſilium in hac materia, vt myrtus nigra, galla, cortex piceæ in pollinem coacta corpori inſpergantur. Hoc enim optimum eſt præſidium, & electius deterſione.

Diſputemus modò de paucis ſudoribus, quos vel ex exigua, vel glutinoſa, vel craſſa materia, vel à meatibus anguſtis oriri poſſe dicebamus. In hoc caſu, niſi exigua materia ex febris incendio prouenerit, ex quo humores adurantur, ſed à craſſa, & infirmus fuerit cum virium robore, attenuantibus, incidentibus, concoquentibus, cutemq; detergentibus eos indigere potius, quã cohibitione, par eſt: de quibus, quia aliàs diſſeruimus, non eſt quod hic iterum repetamus. Sin materia ſudoris, quia febris ex ardore erit exigua, paucos faciet, vacandum eſt febri, compeſcendiq; ſunt, ſi ſymptomatici fient. At id quod magis inquiritur, in ſudorũ paucorũ tractatu, & quod Medicos magis torquet eſt, cùm hi fiant vel à copia humorum in ſudantibus partibus, vel à retentricis imbecillitate, inter quos cõnumeratur ille ſudor, qui diaphoreticus dicitur, qua via curandi veniant. Profectò ſi procedunt à copia in ſudantibus partibus humorum frigidorum, craſſorum, lentorum, & viſcidorum, diſtinguere oportet, ſiquidem vel fiunt cum viriũ robore, quo caſu eos concoquere, attenuare, euacuare, & expellere oportet: cohibere autem ſi motus eſt ſymptomaticus: adiuuare tamen ſi fuerit criticus. Sin autem cũ virium languore apparebunt, quia hi periculoſiſſimi ſunt, ſtatim ſunt conſtringendi, & reprimendi, vireſq; adiuuãdę, & corroborãdę ad hoc, vt morbus, ſi dederit inducias, poſſit Medicus materias præparare, & purgare. Ita & diaphoreticus, de quo dicebat Gal. in lib. de trem. rig. palpit. & conuulſ. cap. 5. At ſi per ſudorem digeſti, fiant tremuli, vt in deliquijs, cardiacis, & ſtomachichis calefacere hos extremum malum eſt: quippe contrarium in his conuenit, nempe cutem denſare, quæ refrigerant, adſtringunt, coarctantque meatus adhibentes, non quæ calefaciunt, laxant, & aperiunt.

Quod autem magis attendendum exiſtimo, eſt eam morbi ideam cõpenſare, in quo tales apparuerint: ſæpè enim ſudores curamus adhibitis morbo licitis præſidijs: propterea malè, & perperam Medicus

ſudores

ſudores curare, & compeſcere tentabit, niſi vnà ſimul morbum, in quo tales fuerint curabit: eo quia ex diuerſitate cauſarũ, diuerſa oriuntur auxilia. Percurramus igitur aliquot morbos, in quibus ſudores hi ſæpenumero ſuſcitantur, atque exempli gratia curationem in actu ſudoris tangamus. Si pauci ſudores in morbo cardiaco ſuccedunt, Cornelius Celſus lib. 3. cap. 19. melius inter ſcriptores curationem percurrit, dum ait: Sudor autem ſupra conſuetudinem, & modo, & tempore ex toto thorace, & ceruicibus, atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo, & cruribus ſiccioribus, atque frigentibus. At vbi id morbi genus eſt, curatio prima eſt, ſupra præcordia imponere, quæ reprimant cataplaſmata: ſecunda ſudorem prohibere. Id præſtat acerbum oleum, vel roſa, vel melinum, aut myrteum. Quorum aliquo corpus leuiter perungendum, ceratumq; ex aliquo horum, tum imponendum eſt. Si ſudor vincit, delinendus homo eſt vel gypſo, vel argẽti ſpuma, vel cimolia, creta, vel etiam ſubinde horum puluere reſpergẽdus. Idem præſtat puluis ex contritis aridi myrti, vel rubi folijs, aut ex auſteri, & boni vini arida fœce. Pluraq; ſimilia ſunt, quæ ſi deſunt, ſatis vtilis eſt quilibet ex via puluis iniectus. Super hæc verò, quo minus corpus inſudet, leui veſte debet eſſe contectus, loco non calido, feneſtris patentibus ſic, vt perflatus quoque aliquis accedat. Tertium auxilium eſt imbecillitati iacentis vino, ciboq; ſuccurrere. Hæc Celſus. Medici ergo in cardiacis ſtudium erit, vt cutis denſetur, ac refrigeretur, vel aere frigido, vel ventilatione, de quibus ſuperius loquuti ſumus. Soranus infirmos hos ſudantes in vmbroſis, & ſubterraneis locis collocandos docuit. Quoad cibos Hieronymus Capiuacius lib. 3. cap. 6. conſulit medicinales offerendos, non facilis coctionis adſtringentes, quia ſic non facilè corrumpuntur ab æſtuante ventriculo. In qua re laudantur pedes ſuilli, & mala punica. Ego quidem ante cibum vomitum ſollicitum ſemper conſulerem, vt materia praua in ſtomacho innatans educi poſſet. Quoad vinum, non exhiberem, niſi ſumma vrgente neceſſitate, & illud quidem auſterum, atque dilutum, vt adſtrictione, & viribus languidis ſuccurrerem. Cæterum, quæ huic morbo conuenirent, ad auctores confugiat Lector. In conuulſionibus, in colicis, iliacisq; cruciatibus, & magnis alijs doloribus, ſudores apparentes Æginetæ conſilio lib. 2. cap. 47. curantur ſi extrema deligentur, calfiant, & per laneos panniculos reficiantur. Hinc Hollerius lib. Ab animi quoque moleſtia (dicebat) conuulſionibus, magnis doloribus, ſudores commoti, cohiberi debent, vt etiam qui reſoluto corpo-

ris habitu defluunt. Hos extremitatum ligatura, fotu extremorum, veſtimentis laneis compeſcit.

In ſyncope ex copia grauante, inflammationibus viſcerum in morborum acutorum principijs, ſudores mali: quia non naturæ robore, ſed imbecillitate effluunt. Idcirco cohibendi ſunt, quia corpus reſoluunt. In hoc morbo pernicioſiſſimo ad id maximè attendendum eſt, quod 1. de arte cur. ad Glauc. cap. 14. quoad ſuas cauſas Galenus conſulit. Deinde ad vires lapſas, & ad ſpiritus reſolutionem. Propterea vt ægrum ſemimortuum excitemus: odorifera quædam naribus admouenda ſunt, quæ tum ſpiritus recreare, tum ſopitam animã valeant reuocare. Hæc ſunt vinum potens, & odoriferum, aqua florum aranciorum, ſampſucum, & alia grati odoris, & euaporabilia, potiſsimum ſi ſyncopis à cauſa frigida habuerit originem. Extremæ corporis partes vinculis vehementer ſunt conſtringendæ, ac linteis modicè aſperis perfricandę. Prodeſt pullos gallinaceos aſſos, ac per mediũ ſciſſos, naribus ægrotantium admouere: poſtea iuſculis, ac alijs ſorbitionibus alendus eſt æger. Quod ſi à cauſa calida ſyncopis naſcetur, à calidis odoramentis fugiendum; quorum vice poterimus aceto, quàm acerrimo, roſis, violis, nimphea, aqua roſarum, malis cidonijs, & huiuſmodi in ægri remedium vti. Ita ſudores etiam ceſſabunt, & à morte ægrum vindicabimus. In vteri ſtrangulatu, in quo ſudores mali etiam excitantur, præſtabit vinum ipſum, vel rutæ folia odoranda præbere; & ad vires lapſas reficiendas, vinum potandum exibemus, vel panis micam ipſo madefactam; vinum enim tum maximè nutrit, tum celerrimè in alitionem tranſit: & quoad ſudores, & vinculis, & frictionibus ſuccurrimus prout caſus vrget. Quod ſi patientes ſtupidæ adhuc fuerint, ſolent practicãtes, patientis palatum optimo balſamo inungere, & tempora optima theriaca linire. Ceſſante autem ſudore, & ſtupore ad cauſarum curationem accedimus. In ictibus venenoſis, ſcorpionis ſcilicet viperæ, aſpidis, phalangij, & aliorum virulentorum animalium, in quibus à proſtrata virtute ſudores contingunt, hi non curantur, prius quàm venenum, quod cauſa mali eſt, à medicamentis non ſuperatur: proinde alexipharmacis, bezoarticis maximè vacandum eſt. Locus commorſus incidẽdus eſt, optimaq; theriaca, poſt ſanguinis magnam extractionem per vulnera, collinendus eſt; vel ſi opus eſt, vrendus, vt ipſe in quodam à vipera commorſo pauci ſunt menſes, experiri mandaui, qui ſolo hoc præſidio conualuit. De his lege Æginetam lib. 5. per totum. In febribus colliquatiuis, appetente morte, tenuis ſudor, ſyn-

cope, & mors à reſolutione corporis apparet, quare in huiuſmodi affectibus, curæ maximè vacandum puto, ante iſtorum apparitionem aliter proficua fore auxilia nulla exiſtimo. In lyppirijs, epialis, peſtilentibus, typhodibus, elodibus, ſudorificis, & in alijs, vbi ſudores mali, & ſymptomatici ſuccedunt, credo ex narratis, ad curationis ſcopum Lectorem poſſe peruenire. Veniamus modò ad curandos quoſdam particulares ſudores.

Ad arcendum fœtorem ſudoris, Auicenna compoſuit multa diapaſmata, & pulueres ex cinnamomo, cypero, amomo, gariophyllis, quæ fricantur per corpus, & fœtorem emendant. Clemens Alexand. lib. 2. Pędagogij, vnguēto Myrſino curare ſolebat. Ariſt. 13. probl. 11. in fœtore ſudoris, vnguenta exactè odorifera fore applicanda conſuluit, ſiquidem ea, quorum odores pauci vigoris exiſtunt, ſudoris fœtorem potius augere, quàm emendare probatum eſt. De his vide Mercurialem in lib. de Decorat.

Ad fœtorem ſudoris in pedibus, Arnaldus de Villanoua in lib. de ornatu mulierum, fricationem cum alumine reſoluto in aqua conſulit: vel lotionem ex decocto cum folijs cypreſſi, vel tamariſci; Antiphanes apud Athen. in pedum, & manuum fœtidis ſudoribus videtur vnguentum ægyptium ſuo tempore in vſu fuiſſe aſſerere. Poſſunt tamen varia parari præſidia pro hoc emendando. Vt lixiuium ex cinere lauri, in quo bullierint folia lauri, roris marini, calami odorati, cui addatur quarta pars vini odoriferi, & in hoc pedes per horā ſingulis diebus contineantur. Proderit abluere pedes lixiuio communi, cui addatur aliquid aluminis, & ſalis communis. Præſtat poſt ablutionem fricare pedes pulueribus ex farina lupinorum, ſale communi, fol. lauri, origani, calamenthi, roris marini, cyperi, &c. concinnatis. Iuuat per diem ſub pedibus habere puluerem aluminis diſſeminatam, vel farinā lupinorum. Ioannes Baptiſta Zappata pedum fœtorem aqua ex litargirio curabat, ita ſimiliter fœtorem axillarum, & pudendorum. Ad fœtorem axillarum, & totius corporis ex ſudore, ex Arnaldo Villa noua: Sumatur litargirium albificatum cum aqua roſacea, in qua ſit canfora, & aſpergatur. Fiant trociſchi ex roſis ſiccis; qui poſſunt eſſe in vſu. Poteſt epitthemari locus cum decocto ex roſis, galla, ſpica, cypero, myrrha, & alumine concinnato. Fœtor axillarum aliquando fit in coitu, propter nimium ſudorem, vel nimiam ſolutionem humorum putridorum, in quo caſu, ſi diù perſiſteret purgatio conueniret: deinde liniatur cum myrrha, aloe, alumine, temperatis cum vino odorifero,

vel litargirio cum aqua roſarum. Ad ſudores fœtidos,& axillarum,ex Galeno in lib.de Medicinis paratu facilibus. Aſſaro alas ſubline à balneo,& ſummo mane quotidie. Aut alumine liquido vnge ſingulis diebus. Aut ocimi ſemine ex vino,& melle linito. Ad ſudores ventris,& præcordiorum,& fęmorum à partu, ex eodem; Cimoliæ,& pulueris thuris añ partes æquales, cum oui albo miſce, & line. Ad maculas factas à ſudoribus,ex eodem in lib.de ſimpl.med.Radix lapathij,& cortex ipſius intus ex aceto,vel alumine liquido,omnem maculam ex ſudore factam infricata ex balneo tollit.Pro ſudoris fętore in pudendis, ablutio, ex vino roſaceo, aqua roſarum, aqua florum citrangulorum confert.Ad ſudores capitis: Succus centaureæ permiſtus vino,& vnctus, raſo capite, tollit ſudores, ex Gal.in lib.aſcripto de virtute Centaureæ. Ex his cætera addiſcet ſtudioſus. Quare finem imponimus huic operi ad laudem Omnipotentis Dei, & ſacratiſſimæ Virginis Mariæ,& ſanctiſſimi Ioſeph mei in cœlis Patroni. Omnia autem,quæ hic adduximus, Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ correctioni libentiſſimè ſubijcio.

Finis vltimi Libri de hydronoſa natura.

RERVM MEMORABILIVM quæ in hoc opere continentur elenchus.

Numerus paginam indicat.

A

ABſceſſus inſidi, et pernicioſi quales. pag.334
Ab habitu veniunt conſiderandi ſudores. 183
Abundantia ſudoris, vel tempus, vel materias reſpicere videtur. 98
Ab auditu dicuntur ſudores ſonori, & ſilentes. 119
Ablutio pro ſudoris fœtore in pudendis. 428
Ab actione, & paſſione conſideratur ſudor. 279
Abſceſſus ſalutares quales exiſtãt. 302
Acuti, acres, & amari ſudores. 310
Acceſſionis declinatio quando ſit. 223
Acuti morbi ex decidentia quales. 224
Actuarij opinio de ortu ſudoris. 16
Accidentales cauſæ ſudorum, prȩuio calore operantur. 57
Aduentitius calor inſuauis eſt. 50
Aduẽtitius calor quãdo vtilis. 51
Aduentitius calor ad corruptionem tendit. 52
Ad auditum faciendum quid oporteat. 181
Ad arcendum ſudoris fœtorẽ. 427
Ad ſudores capitis curatio. 428
Aeſtatis principium ab ortu Pleiadum. 195
Aemorrhagia ſalutaris qualis ſit. 294
Aeſtiui ſudores. 196
Aegri ſudantes criticè non ſunt mittendi ad balnea.
Aeſtas ſimilis veri plurimos affert ſudores. 194
Agreſtes ſudores quales dicantur. 179
Agricolæ opinio de calore balnei. 392
Altimarus fœliciter de vinaceis ſcripſit. 402
Alexander Maſſaria contra Trincauellum. 232
Aliqui ſudores nec ſunt boni, nec mali. 67.125
A loco cõſiderãtur ſudores. 76.272
Altimarus quid ſenſerit de ſudore. 22
Altimari lapſus de ichoris notitia. 29

Ali-

Aliqui ſudores, abſque caloris ope fiunt. 36
Aliqua animalia mingunt, & nõ bibunt. 40
Albi, crocei, rubei, & nigri ſudores. 76. 148
Aliqui admittunt criſes in morbi declinatione 270
Alexandri corpus odoriferũ. 173
A motu Lunæ præſagimus ſudores. 356
Ampulla olearia cuius formæ fuiſſet. 350
Antiquorum opinio de humorum expurgatione. 151
An balneum aquarum dulcium putridis conferat. 389
An morbi longi ſudoribus terminentur. 350
An in aſcenſu morbi ſudores vtiles. 238
An ſinguli morbi habeant quatuor tempora. 223
Anglicus ſudor cur multos occideret. 225
Anaxion leuatus eſt crudo morbo. 226
An criſes intempeſtiuæ ſint vtiles. 228
Ante humorũ coctiones, an excretiones aliquando bonæ ſint. 229
An vna cauſa contrarios producat effectus. 144
An ſudor ſit actio animalis, & voluntaria. 61
An detur ſudor animæ. 62
Animalia aliquot ſudant, & lachrymant. ibid.
Antonini ſtatua in Alba ſudauit ſanguinem. 65
An ſudor excernatur violento motu. 18
An calor faciens ſudores, ſit humidus. 37
An calor opera ſpirituum ſudores excutiat. 38
An ſudor ſit euacuatio naturalis. 58
An quilibet ſpiritus valeat ſudores excernere. 45
Antiquitus homines ad tuendam ſanitatem vomitui maximè indulgebant. 97
An ſudor ſanguinis Chriſti noſtri Saluatoris fuerit miraculoſus, vel naturalis. 155
An ſudores inodorati indicẽt perpetuò non eſſe putrefactionem in humoribus. 180
Animalis appetitus. 203
Animalis facultas, quas habeat actiones. 251
An in declinatione morbi æger mori poſſit. 270
Animaduerſio pro particularibus ſudoribus. 275
An in ſanis, particulares ſudores mali. ibid.
An ſudores agãt, uel patiãtur. 276
An ſudor particularis copioſus ſit ſalubris. 292
Anglicus ſudor, quando in Nouergos, & Danos translatus fuerit. 310
Animaduerſio in colliquatiuis febribus. 426

Ap-

Apparatus ſudorum. 362
Apepſia eſt ablata coctio in ventriculo. 259
Apollinis ſtatua olim lacbrymauit. 65
Apparentes ſudores circa inferiores partes alui deiectionem indicare poſſunt. 96
Appetitus quid ſit. 203
A quibus cauſis natura extinguatur. 131
A qualitate oriuntur ſudorũ differentiæ. 76
Argentum viuum diſcutit. 380
Ars in parandis ſudoribus non eſt infimæ conditionis. 362
Ardens febris duplicis eſt generis. 45
Ariſtotelis lapſus de ſudoris origine. 15
Ardentis febris ſigna patognonomica. 53
Ariſtotelis aſſertio de nocturno ſudore. 188
Aſtra motu, & lumine in nos agunt. 357
Aſini ſudor in auribus indicat pluuiam. 361
Aſſidui ſudores in febribus ſudorificis fiunt. 310
A tempore multi conſiderãtur ſudores. 76. 184
Atræ bilis ichor infeſtum eſt ſerum. 30
Atra bilis, quos faciat ſudores. 166
Augenij animaduerſio in ſudoribus. 72
Auicennæ opinio de ſudore. 19
Auerroes Galenum accuſat. 43

B

B*Alſamum pro vteri ſtrangulatu.* 221
Balneum aquæ dulcis quibus conferat. 387
Balneum multis de cauſis omittitur. 391
Balnea mineralia vim habet exiccandi. 393
Balnea artificioſa quomodo parentur. 395
Balneum ex oleo confectum. 396
Balneum ex lacte. 397
Balneum ex muſto. ibid.
Balneum ex vino maturo. ibid.
Balneum paratum ex ſale. 401
Balneum ex tritico, milio, & vinaceis. 402
B. Auguſtinus quendam cognouit, qui ſudabat cum volebat. 61
Beneolentia, & graueolentia odorum genera. 172
Bilioſus humor facilè per ſudorem elicitur. 368
Bilioſi, & calidi humores ſudores calidos creant. 121
Bilis, & atra ab immodico fiunt calore. 127
Bilis non æqualiter omnibus generatur. 29
Bilis receptaculum. 28
Bilis poteſt eſſe naturalis, vel præter naturam. 150
Bonum eſt cibos appetere, et ex ratione ſitire. 258
Boni ſudores qui vocentur. 67

Bucefalum Alexandri, & equum Cæſaris Dictatoris, de nece domini lachrymaſſe legitur. 63

C

Cauſæ calidæ ſudores excitantes quales ſint. 120
Calidi ſudores, opinione Raſis, quando fiant. 121
Calidi ſudores quo calore potiſſimum fiant. ibid.
Calidi ſudores, frigidis ſemper ſalubriores. 124
Calor qualis cogendi, & liquandi vim habeat. 88
Calor extraneus refrigerat natiuum. 145
Cauſas colorum Medici non perſcrutantur. 147
Calor feruentiſſimus humores, & carnes adurit. 80
Carnes liquatæ graueolentes faciunt ſudores. ibid.
Calor quando agit ingraſſando. 88
Calidi rarefacere, & frigidi eſſe condenſare, quomodo intelligatur. ibid.
Calor naturalis ab anima regulatur. ibid.
Calor vel naturalis, vel elementalis. ibid.
Cardani opinio de ſudore ſtatuarum. 65
Calor carnem colliquans feruentiſſimus. 55
Cauſa ſudoris materialis vbi fiat. 41
Cauſa efficiēs ſudoris, calor eſt. ibi.
Calor natiuus eſt natura ipſa. 43
Calor natiuus vtitur facultatibus. ibid.
Cauſa ſudoris in lethalibus efficiens, quæ. 48
Calor natiuus quando placidam naturam amittat. 49
Calor duplex eſt in nobis. ibid.
Calor innatus, ſemper ad ſalutem tendit. 51
Calor triplex ſtatuitur ab Augenio. 52
Caliditas ſi immediatè corpora tāgit, cutem intendit. 108
Carnoſo genere colliquato, excretio vel per aluum, vel per ſudores ſuccedit. 102
Caſus de fluxu ſanguinis ex mammillis. 153
Capitis ſudor cur malum non reddat odorem. 178
Caſus ſudoris, inſtar vndæ ſpumantis. 182
Canes ſub Canicula rabiunt. 196
Calor natiuus in hyeme fortiùs operatur. 201
Calidus ſudor iuxta caput, & ceruicem. 273
Cerui lachryma ad ſudores ciendos. 408
Celerrimi, & creberrimi pulſus mali. 256
Chamæmelum Soli conſecratum ab Aegyptijs. 374
Chylus antequam ad iecur peruenit, obſcuram habet ſanguinis ſpeciem. 28
Chriſtus Saluator noſter ſanguinem ſudauit. 155

Cibi inappetentia in morbis ſuſpecta eſt. 258
Circa initia, & fines, omnia imbecilliora. 248
Cibus ad deperditum humidum eſt neceſſarius. 203
Cleonactides octuageſimo die ſudauit. 291
Coctiones celeritatem iudicij portendunt. 262
Cōſueti minus sētiūt labores. 215
Colliquatio ſenſibilis quando fiat. 167
Concoctio perfectio eſt à calore naturali. 127
Corpora noſtra rationabiliter cō ſtant ex humoribus. 147
Colores corporis ab humoribus procedunt. 148
Continui ſudores ex virium defectu ſæpè fiunt. 101
Coctiones corporis tres, excepto Auerroe. 27
Controuerſia inter Gal. & Ariſt. de ortu ſud. 38
Colliquationes carnium ſæpè per ſudores excernuntur. 54
Colliquationes inſenſibiles, quando fiant. 55
Colliquatiuæ febres hecticæ q̃. 53
Cōuulſi curātur acceſſu febris. 50
Corporis diſpoſitio in morbis penſitanda. ibid.
Colliquatur ſanguis venarum, renum, & totius corporis, & quomodo. 52
Controuerſio in Gal. de cutis raritate. 91
Comeſtio in ſanis debet fieri cum appetitu. 95
Copia ſudoris modò flaua, modò alba, modò alterius exiſtit coloris. 105
Corpora à quibus cauſis fiant denſa. 107
Colliquatiui ſudores in reſoluto corporis habitu apparent. 102
Corpora, quæ habitum ſudādi retinent, qualia. 117
Colores ſudorum ex bilis ſpeciebus. 150
Corpora quæ noctu ſudant, quid requirant. 186
Corpora debilia vel primò ſine criſi occumbunt, vel in pugna ſubitò ſuperantur. 306
Conditiones critici ſudoris. 285
Continui ſudores non conferentes, qui. 309
Copioſi ſudores à quibus fiant cauſis. 310
Controuerſia de ſudoris abſterſione. 423
Columnæ, et ſimulacra Gentilium Deorum exudabant antiquitùs. 62
Criſes quomodo noſcantur ex ſtellarum influxu. 356
Criſes parùm ante ſtatum, quando bonæ. 239
Criſes multæ in diebus paribus. 283
Critici ſudoris imperfecti, à perfectis diſtinguuntur. 243
Cruditas à diminuto, vel aucto calore procedit. 126

Crudus humor differt à ſedimento in vrinis. 128
Craſſum corpus quale dicatur. 78
Craſſum à calido, & frigido generatur. ibid.
Craſſi ſudores in ardentibus contingunt. 80
Craſſi, & tenues ſudores à ſubſtantia ſumpti. 75
Critici ſudores an ſint naturales. 68
Critici ſudores à natura mouentur. 45
Criſes optimæ an fiãt à calore præter naturam. 48
Cruentus ſudor dupliciter conſideratur. 152
Criſis abſque pugna procedere nequit. 268
Criſis eſt naturæ, & morbi iudicium. 279
Critici ſudores debent prius indicari. 289
Criticus ſudor, multus eſſe debet. 291
Criticus ſudor integrè febrem ſoluit. 293
Cum lingua arida non ſitire, exitioſum. 258
Cur lachrimæ, quas mœrẽdo emittimus, calidæ. 120
Cui proprius ſudor ſit. 62
Cutis corporis in primo ortu eſt continua, deinde perforatur. 1
Cutis habet duplicia ſpiramẽta. 2
Cutis ueluti naſſula piſcatoria ibi.
Cur in febre diaria fiant ſudores. 36
Cur relaxato ſpiritu ſudor fiat. 38
Cur qui multum bibunt, multum ſudent. 40
Cur volucres bibentes, non mingant. ibid.
Cur ex proportione ſeri non ſudemus. ibid.
Cutes aridæ, & intentæ ſudores non habent. 109
Cutis arida, in febribus quid indicet. ibid.
Cur ea parte qua iacemus ſudare non poſſimus. 188
Cur induta corpora, magis quàm nuda exudent. 197
Cur æſtate ex potu frigido ſudor oriatur. 210
Cur pedes in trepidatione ſudent, & non facies. 213
Cubitus ægri, ſanorum ſimilis bonus eſt. 253
Cur ſudor particularis in acutis malus. 71
Cur Hipp. in eriticorum numeratione relinquat quartum. 283
Cur aliqui ſudores dicantur critici. 285
Curatio generalis ſudorum. 411
Cura ſudoris ſuperflui. 414
Cura ſudoris ex peccato expulctricis. 420
Cura ſudoris fœtentis in pedibus. 427

D

Datur tertia cauſa ſudoris ſanguinei. 152
Debilis natura morbo ſuccumbit. 266

Decernentia in melius non ſtatim apparent. 241
Declinatio morbi vel vera, vel falſa eſt. 269
Decoctum ſalſæ parillæ in morbis articularibus. 408
Decoctio ligni ſancti. 409
Decoctum chinæ. ibid.
Decretorÿ dies, qui paribus indicant, qui. 283
Deiectiones alui pernicioſæ. 326
De inuſtione ſolari Aetius multa ſcribit. 398
Deorum Gentilium ſtatuas, fraude Sacerdotum ſudare potuiſſe coniecturandum. 66
Dioclis opinio de ſudore. 16. 58
Dioclis dogma durum, & inefficax. 17
Differt ichor à ſeroſo excremento. 30
Diffinitio vera quæ ſit. 3
Differentia inter artem, & naturam. 368
Diaphoreticus ſudor qualis ſit. 313
Diaphoretici ſudoris curatio. 424
Dies decretorÿ principes, & radicales. 281
Diuturni morbi dupliciter conſiderantur. 351
Diuiſiones ſudorũ quales ſint. 58
Diſpoſita corpora ad ſudores, quæ. 117
Diarnus ſudor. 185
Diuerſa ſunt præſidia quæ ſudores mouent. 406
Dolores fortes circa viſcera mali ſunt. 254
Donati Sanctori opinio de ſudore. 226
Dorſales ſudores quid indicẽt. 275
Dum ſudor regulatur à natura, bonus eſt. 239
Duplici via euocatur ſudor. 218
Dulcedo in ſanguine, & pituita dulci. 170
Duplici via ſudores boni eſſe poſſunt. 67
Duplex ſerum ſit in corpore. 34
Duæ ſunt cauſæ ſudoris ſanguinei. 152
Duplex eſt ſtatus in morbis. 248

E

EMpedoclis opinio de ſudore. 4
Epilepſia, & apoplexia an morbi acuti. 224
Epilepſia à Quartana non ſemper curatur. 52
Epiphanÿ lapſus de ſudore à potu. 210
Eraſinus cõtinuò ſudabat, & qua cauſa. 100
Erupit ſudor, vel naturæ vi, vel morbi. 305
Eſſentia virium, in quibus conſiſtant. 101
Euacuationes cum ſignis coctionis vtiles. 237
Euacuationes magnæ ſuſcitãt ſudores frigidos. 138
Exigua eſt putredo in ſudoribus benè olentibus. 319
Excretio per ſudorem eſt maximæ vtilitatis. 362

Ex arena, & ſale parantur ſudatoria. 219
Excretiones ante coctionem, quando vtiles. 233
Excretio triplex eſſe poteſt. 229
Excretio in morborum principio periculoſa. 234
Ex imperfecta coctione humores craſſi fiunt. 80
Exudant plantę multa liquorum genera. 63
Excrementum cutaneum multa habet nomina. 3
Excrementa primæ coctionis quæ. 27
Exemplum ſudoris in Clepſydra. 38
Expulctrix facultas quando ſuſcitat ſudores. 56
Expulctricis facultatis operatio. 43
Ex morbo humido cutis corporis relaxatur. 91
Excrementorum abundantia duplex. 94
Ex humorũ repletione nocte, qui ſudant, diminutam oportet habuiſſe cœnam. ibid.
Excrementa, vt per ſudores excerni poſſint, ſubtiliari indigent. 104
Ex pinguedine, & mollitie corpora à ſudorum excretione impediuntur. 107
Ex poris obſtructis pauci fiunt ſudores. 109
Ex idea morbi maximum fit præſagium. 260
Exigui ſudores in acutis, cur maligni. 114
Ex feruido ſpiritu fieri poteſt ſanguinis ſudor. 152
Ex ichoroſo ſanguine fit ſudor cruentus. 153
Ex præſentia calidorum humorũ appetitus deſtruitur. 205
Exercitatio motus eſt vehemens. 211
Exemplum de ſudoribus perfectè exitialibus. 246
Exemplum de ſudoribus, & criſibus imperfectis. 245
Ex humorum cruditate multa veniunt incommoda. 286
Exitiales criſes, quando excitantur. 306

F

Falſum eſt releuamen, ſi non eſt ſtabile. 266
Facilis ſpiratio in acutis laudanda eſt. 255
Facultates ad munera perficienda egent ſpiritibus. 44
Facultates corporis tres numero. ibidem.
Facultas expulſiua valida multos facit ſudores. 111
Fames, ſuctionis ſenſus eſt. 203
Faſtidiũ, et attritio vẽtriculi. 208
Facultates robuſtæ, naturam validam arguunt. 258
Falſa alleuiatio, quomodo noſcatur in morbis. 266
Facultas retentrix, ſiccitate gaudet. 415

Fa-

Facultas expulſtrix habet conſortium cum retentrice. 436
Fœtor à putrefactione procedit. 176
Fœtidus ſudor ſub axillis. 174
Febres peſtilentes, frigidos habent ſudores. 141
Febres mitiores, quæ ſint. ibid.
Febris ab internis inflammationibus lethalis. 73
Febris an fiat à frigido. 142
Febricitantium ſudores quales boni. 67
Fernelij definitio de ſudore. 21
Febris diaria peſtilens, & benigna. 36
Febres colliquatiuæ duplicis generis. 53
Feræ latibula colentes, alimentis non egent. 107
Fœniculum ſylueſtre loco ſaſſafras. 408
Febres, quæ habent ſudores in acceſſionis principio malę ſunt cõditionis. 235
Febris ardens vt plurimum ſudore ſoluitur. 290
Filia Eurianactis non ſudauit, & mortua eſt. 343
Finalis cauſa ſudorum naturaliũ animalis eſt conſeruatio. 56
Flauities in ſudoribus prædominium eſt bilis. 149
Fluxio ſanguinis ex oculis, et gingiuis. 155
Fomenta ſudorifica. 376
Formalis cauſa ſudorum, quæ. 56
Frictio præparat corpus ad ſudores. 365
Frigidum per os expirare, malum eſt. 255
Franciſcus Lombardus de Balneis ſcripſit. 218
Frigidi ſudores, à quibus fiant humoribus. 132
Frigidi ſudores ſemper ſunt ſuſpecti. 143
Frigidus ſudor vel exit cum corpore calido, vel frigido. 136
Frigidus ſudor, quando exitialis eſt. 140
Frigidi ſudores in colico, & iliaco dolore fiunt. 138
Frigidi ſudores à caloris extinctione. 141
Frigidum calefacere quomodo intelligatur. 145
Frigidus ſudor quando minus eſt malus. 142
Frigidi ſudores aliquandò boni. ibid.

G

Galenus non laudat ſudores in morbi aſcenſu. 236
Galeni opinio de ſudore. 17
Galenus calidum, & frigidum poſuit ſaporum principia. 163
Galenus vbi explicauit ichoris genera. 30
Galenus ſub nube explicauit ſegregatiuam virtutem. 43
Galenus vidit fluxũ ſudoris adeò magnum, vt plumas etiam madefaceret. 98

Gene-

Generales ſudorum differẽtiæ plurimæ. 75
Gordonij, & Mercurialis lapſus de ſudore. 12
Graueolentes ſudores, quid indicent. 180
Glutinoſi humores paucos faciunt ſudores. 110

H

HAemorrhagia pernicioſa quę ſit. 323
Hermocrates non ſudauit, et mortuus eſt. 340
Herba, quæ purgat ſanguinem, ex quodam Indo. 158
Hiſtoria de ſudoribus pfectis. 246
Hiſtoriæ de criſibus in aſcẽſu morborum. 245
Hippocrates omnem repletionem, vomitu curare, quando intendebat. 97
Hippocratis opinio de ſudore. 7
Hiſterica paſſio ſolet habere ſudores frigidos. 138
Homines hydropoti, & fætentes. 176
Homines, animalia, plantæ, & lapides etiam ſudant. 62
Homo eſt naturæ miraculum. 63
Homines æſtiuo tempore copioſè ſudant. 196
Homines ſine cauſa ſudantes, minus ſalubres. 276
Homerus ichorem Deorũ ſanguinem eſſe intellexit. 29
Humores vel quieti, vel furentes ſunt. 228
Humores crudi quando cõcoquantur à calore natiuo. 142
Humano corpori naturaliter ineſt ſalſedo. 169
Humor duplici via poteſt carere perfectione. 126
Humor propriè crudus, ſubliuidus eſt. 128
Humores craſſi quomodo fiant. 78
Humores tenues faciliter excernuntur. 84
Humores craſſi, quando per ſudorem excernũtur, vel extenuantur, vel miſcentur ſero. 82
Humores attenuantur ab inflammatione, & calore magno. 85
Humorum euacuatio per ſudores à Marcello Donato quomodo intelligatur. 73
Humor aquoſus à renibus allicitur. 28
Humiditates alimentales ſæpè in ſudores abeunt. 101
Humorum copia morbi longitudinem arguunt. 103
Humorum ſubtilitas in æſtate redundat. 198
Hydroa quomodo intelligatur ab Auicenna. 343
Hydrocephalus morbus ex aquoſo humore. 345
Hyoſciamum an primò cerebrum lædat. 140
Hydrargirum cauſare ſudorẽ ęternum, quomodo intelligatur. 89
Hydroa, quæ exanthemata ſint. 343
Hyberno tempore pauci ſudores. 202

Iachi-

I

IAchini opinio de criſibus intempeſtiuis. 228
Ictus venenoſi pariũt ſudores frigidos. 139
Ichor ſanguinis eſt blandum ſerum. 30
Ichores quomodo noſcantur in ſanguine. 31
Ichor ex qualibet pituita an fiat. ibidem.
Ichor poteſt mutari in ſanguinẽ. 32
Impetus ſpirituum aliquãdo cauſa eſt ſudorum naturalium. 44
Improbatur ſudor in hyeme. 202
Imperator Antoninus faſtidio vẽtriculi correptus. 208
In peſte ſudores fœtentes ſentiuntur. 319
In fronte, & capite ſudor quando eſt peſſimus. 320
Infirmi à ſudoribus malis non alleuantur. ibid.
In inſula Irlandia eſt mons, ex quo ignis emiſſus, ſiccis extinguitur, aqua verò alitur. 393
In longis febribus fiunt abſceſſus. 350
In morborum incremento, qui ſudores boni. 244
In ſudoribus quæritur, an educi debeant. 366
In morborum aſcenſu, ſudores nec boni, nec mali quales ſint. 240
In ægris, quæ ſint ſigna ſalutaria. 264
In ſtatu naturæ exquiſita ineſt coctio. 262
In criſibus ſalutaribus æger fit coloratior. 263
In ſtatu morbi infida ſunt iudicia. 264
In motu laborioſo aliquid boni trahitur. 215
Inſolatio qualis ſit. 220
In malignis febribus criſes in principio malæ. 234
In ſalutaribus affectibus ſudores in principio boni. 227
Incpinata ſalus, quando ægris ſuccedit. ibid.
In vlceribus quando effluat pus, laudabile. 230
In morbi principio excretiones licet quoquo pacto vtiles videantur, ſunt tamen dubiæ. 233
Inſipidus ſapor vbi reſideat. 162
In viuentibus quomodo fiant colliquationes. 166
In malignis febribus, ſolis ſudoribus fidendum non eſt. 123
In omni corporis coctione cruditas accidere poteſt. 126
In ventriculo duplex cruditas fieri poteſt. ibid.
In tertia coctione quomodo fiat cruditas. 127
In hepate multæ bilis ſpecies per aduſtionem fiunt. 79
Inutiles ſudores quales ſint. 71
Inuidia, & ruditas hominum nocet ſtudioſis. 4
Inſenſibilis tranſpiratio quomodo intelligatur. 13

In-

Inquiritur in qua parte uentriculi fiat coctio. 27
In ſanguine, & ſpiritu calidum innatum continetur. 44
In febricitantibus non duo, ſed vnus eſt calor. 51
In peſte excrementa fœtida ſunt. 178
In ſomni principio nutritio adiuuatur. 190
In Aegypto luxus balneorũ exercetur. 105
In autumno fiunt multi morbi æſtiui. 197
In ſtatu naturæ ſalutares ſunt ſudores. 262
Infirmi aliquando tenaci ſudore moriuntur. 265
In declinatione morbi ſudores fiũt ſine pugna. 270
Inter contraria adeſt repugnantia. 276
In ſudorum excretione ſentitur perturbatio. 278
Indices dies, & contemplabiles, quales. 281
In decretorijs diebus fiunt morbi mutationes. ibid.
Intercalares dies quales. ibid.
In ſudoribus criticis, quæ coctio requiratur. 287
In quibus morbis mali ſudores videantur. 319
In cura ſudorum accuratè ſe gerat Medicus. 420
In vteri ſtrangulatu ſudoris curatio. 426
Iudicationes optimæ ſunt concocto morbo. 244
Iulius Iaſolinus de Balneis. 218
Iudæi ſudorem fœtidum emittũt. 174
Iunonis ſtatua olim lacbrymauit. 65
Ydros, græcè ſudorem deſignat. 19

L

Laconica naturalia propè Neapolim. 400
Lacbrymæ præter voluntatem, pernicioſæ. 254
Laborantes quando exudant. 215. & 217
Laconicum à Lacedemonijs dictũ. 219
Lanceæ militum, & ſcuta quando ſudarunt. 62
Lapides viuere, & nutriri, ex Paracelſo. 64
Lapides, & columnæ miraculoſæ exudarunt. 65
Lacrymæ sũt de natura ſudoris. 9
Lacrymæ inuoluntariæ origo. 56
Laxæ cutes ſudores magnos commouent. 90
Laborioſus motus qualis ſit. 214
Leuia coctionis veſtigia in vrinis quando appareant. 241. 243
Lemniæ mulieres fœtidiſſimæ 174
Leporis marini venenum pulmones tentat. 140
Læſio facultatis ventriculi biſariam fit. 208
Linimenta, quæ ſudores compeſcunt. 422

Lingua cur percipiat omnia ſaporum genera. 162
Loca malorum ſudorum in Prorrhet. 336
Locus vnde fluit ſudor, cutis eſt corporis. 373
Locus excretionis in ſtatu naturæ qualis. 263
Ludouici Mercati opinio de ſudore. 122
Ludouici Mercati lapſus. 317
Lux, & lumen differunt ſubiecto, & non ſpecie. 146

M

Materia ſudoris è iecore ad venas trahitur. 362
Malæ euacuationes, ſunt prauarum ſigna diſpoſitionum. 230
Materia ſi turget, ſtatim eſt purganda. ibid.
Malorum omnium natiui caloris eſt culpa. 141
Mali ſudores febrem non minuũt. 70
Materiæ ſudoris aliquandò reliquiæ cibi ſemicocti ſunt. 35
Madores, & deſudationes quando fiant. ibid.
Materia ſudoris quot modis dicatur. 42
Materia ſudoris repletio eſt humoralis, vel cibalis, & quando. ibidem.
Materiæ quæ colliquantur in febribus. 52
Maculæ rubentes. 159
Magnitudo febris, ſequitur multitudinem calidi innati. 48
Materia caloris in qua corporis ſubſtantia verſetur. 49
Mador, et deſudatio in acutis pernicioſa eſt. 116
Matutini, meridiales, & veſpertini ſudores. 189
Materia ſudoris matutini an pars ſit ſeminis. 190
Materia ſeroſa per ſudores, & vrinas excernitur. 202
Marcidi, & rancidi ſudores, qui. 179
Manus ſi exercitamus, ſudores oriuntur. 213
Malignitas horroris poſt ſudores vnde. 307
Maius ineſt periculum, indicato ſudore. 306
Medicata balnea qualia ſint. 292
Medicum oportet naturæ motum obſeruare. 234
Methodus inquirendi morbi, & naturæ ſtatum. 248
Mercati opinio de frigido ſudore in acutis. 135
Mercurius, & cinnabaris in morbo gallico. 381
Mercurialis lapſus de fœtore in ſenibus. 175
Mercati adnotatio de ſudore calido in malignis. 122
Medici de vrina plurima, ſecus autem de ſudore ſcripſerunt. 2
Mercurialis Empedoclis opinionem non ſentĳt. 6

Mercurialis, & Gordonius diſputant de ſudore. 10
Mercurialis definitio de ſudore. 22
Mercati, & Alpini laudes de ſudoris eſſentia. ibid.
Melancholiæ receptaculum. 28
Medica ars in tres partes digeſta. 59
Mercurialis lapſus in verbis Hippocratis. 92
Meridies pars diei calidiſſima. 192
Medicamẽta purgantia tutò dantur in morborum generali declinatione. 270
Miliiformes ſudores mali, ſi circa ceruicem fiunt. 81
Modus, quo ignis generatur. 393
Morbi aliquot ſudoribus terminantur. 346
Motus vehemens arteriarum robur oſtendit. 217
Motus ordine exercendus eſt. 214
Morbi principium, cum ſignis cruditatis apparet. 221
Morbus acutus, peracutus, & cronicus. 224
Morbi vel ſunt ſalubres, vel lethales. 47
Morbus eſt tanquam dux perfidus. 249
Motiua potentia vt cognoſcatur in morbis. 252
Mori poſſunt ægri in morbi declinatione ex erroribus, vel nouo affectu ſuperueniente. 271
Morbi idea maximè examinanda in ſudoribus. 405
Multæ febres poſt ſudores non refrigerantur. 321
Multa apud Romanos exercitationum erant genera. 363
Multi obeunt in morborum incremento. 238
Multæ vrinæ craſſæ ante mortem claruerunt. 244
Multi ſunt ſanati cum ſignis cruditatis. 228
Mulieres quando in oris fœtorem incidunt. 175
Multi, & pauci ſudores à quantitate. 89
Munus ſeri humorum, eſt reficere partem roridam. 34
Multi ſudores producuntur nec ab ope caloris, nec ab impetu ſpirituum. 46
Multi ſudores ex excrementorum abundantia. 95
Multus ſudor calidus, vel frigidus quando malus. 96
Multitudo ſudoris ex colliquatis carnibus. 95
Multi ſudores à tenuitate humorum. 104
Multus ſudor in acutis ſine requie, vel hecticam, vel ſpaſmũ indicat. 101
Multi ſudores in ſalubribus morbis quid arguant. 102
Multa corpora quoad ſudores in ſecunda ſpecie qualitatis reponuntur. 117
Multi ſudorem cruentum exudarunt. 151
Multi guſtant ſudorem ſuũ. 162

Multi ſudores nocturni nec à cibo, nec à potu. 186
Multitudo ſudorum in ſomno, quid indicet. ibid.
Multi tenent naturam vti calore tanquam inſtrumento. 250
Multæ ſunt excretiones naturæ. 270

N

NAtura per interualla molitur ſudandi genus. 368
Naturæ iudicia certa, & fidelia ſunt. 264
Naturæ iudicium quomodo procedat. 229
Natura tripliciter intelligitur in morbis. 130
Natura quando irritetur ad iudicium. 320
Naturalis facultas in hepate. 250
Natura eſt ſpiritus, ſeu calor innatus. 249
Natura eſt dux, & præfectus corporis. ibid.
Natura an faciat excretiones per diuerſas partes. 270
Naturalis appetitus caret ſenſu. 203
Naturalis potentia ſudandi reperitur in quibus rara eſt corporis textura. 217
Naturalis calor attenuat materiã potulentam, & ex illa ſuſcitat ſudores. 105
Naturalis calor corrumpitur ab alieno. 48
Natura compoſuit canales, per quos ſpiritus trãſire poſſent. 44
Natura vnicuique corporis excremẽto aſſignauit receptaculum. 24
Naturales ſudores duplicis ſunt generis. 66
Nauta eſt cauſa ſalutis, & ruinæ nauis. 144
Nemo moritur in declinatione morbi. 271
Nidoroſus affectus vbi fiat. 127
Nigrum ſudorem, melancholiam ſignificare. 82
Nobiles qua via ſudores procurẽt. 364
Nocturni ſudores. 186
Non eſt fidendum ſudoribus, qui non iuuant. 237
Non oportet fidere, qui ſine ratione leuantur. 266
Non ſemper calidi ſudores ſunt boni. 125
Notitia quid nominis, origo eſt cognitionis. 2

O

OBſtructio ab humorum craſſorum procedit. 345
Obſeruatio de ſudore in morborũ principio. 231
Occaſio ſudorum cutis raritas eſſe poteſt. 47
Oculi in morbis maximè obſeruandi. 254
Odoris ſenſus vbi fiat. 170
Odores ſentiuntur in corporibus, vbi ſapor eſt. 171

Odorati ſudores. 173
Odores cum ſaporibus proportionem habent. 181
Oleracei ſudores, qui dicãtur. 179
Omnis cruditas imperfectio rei coquendæ eſt. 126
Omnes ſudores à calore natiuo fieri poſſunt, & quomodo. 37
Operationes naturæ quando dicãtur mortuæ. 131
Opinio Ariſtotelis de ichore. 30
Optimi ſudores quales eſſe creduntur. 67
Optimi ſudores guttatim excerni debent. 291
Optimi ſudores ex toto erumpere debent. 292
Ordines ſudorum quot reperiantur. 375

P

PAnthera iucundũ emittit odorem. 173
Papulæ ſudorum quales. 159
Papulæ in peſte ante concoctionem vtiles. 234
Papulæ rubeæ. 159.345
Partes corporis quandò magis ſolito coloratæ ſudores indicent. 254
Parthi habẽt oris graueolentiam. 176
Paracelſi opinio de ſudore. 20
Pernicioſi ſudores quando in morborum aſcenſu. 242
Perfectæ, & imperfectæ criſes in aſcenſu morbi. 243
Pericles Abderæ tertia die habuit vrinas multas, & inconcoctas. 122
Per modum celationis multæ ſudorũ conſiderationes fiunt. 183
Pernicioſi ſolent eſſe ſudores aſſidui, & copioſi, in acutis morbis. 99
Pernicialis eſt in acutis corporis mador. 116
Peripatetici duo colorum genera eſſe ponunt. 148
Periodicus ſudor qualis ſit. 285
Perfecta coctio vbi requiratur. 287
Perfuſiones ad conſtringendam cutim. 422
Peſſimi ſudores quales exiſtant. 70
Peſſimi ſunt ſudores à naturæ diſſolutione. 316
Philiſcus frigida ſudauit. 134
Philiſcus ſudauit tertia die ex inſigni plenitudine. 99
Pleuritis cuius membranæ ſit inflammatio. 260
Plantas, Pithagorici animalia eſſe credunt. 63
Platonis falſa opinio de origine ſudoris. 15
Poſt ſudores recaleſcere prauum eſt. 321
Pontani opinio de Thermis. 393
Potiones ſudorificæ quales. 403
Pori cutanei caloris potentia aperiuntur. 47
Potentia generatiua excitatur in aurora. 190
Poſt effuſos ſudores, rigores praui ſunt. 307

Potus

Potus quotuplex ſit. 209
Potio ſudorifica in peſte miniſtrã-da. 410
Prauæ ſanguinis eruptio. 323
Præſagia retenti ſudoris. 339
Præſagia ſudorum ex ſaporibus. 169
Principiũ morbi vniuerſale, quale ſit. 221
Prima coctio fit in ventriculo. 27
Principia ſaporum ſiccum, & humidum. 163
Prima conditio ſudoris critici eſt humorum coctio. 285
Proprietas viſus eſt recipere colores non denudatos à materia. 146
Proſper Alpinus quid voluit de ſudore. 22
Prope mortem ægri quieſcere videntur. 265
Pulſus vndoſus, & altus, ſudores præſagit. 354
Pulſus inæqualis, & inordinatus. 322
Pulſus ex languida natura quales ſint. 131
Puluis ſalſæ parillæ. 410
Putredo eſt cruditas à caloris exuberantia. 127
Pueri parum ſudant. 40
Pueri, mulieres, & eunuchi mollem habent cuticulam. 108
Pueri ex carnis mollitie pilis carent. ibid.

Q

QValitates Balneorum mineralium, quæ. 392
Qualis ſit humor, qui per excellentiam crudus appellatur. 128
Quantitas exercitij, quæ proba ſit. 365
Quantitas ſudoris vacuãda penes virium robur compẽſatur. 367
Quando ſudor in acutis eſt inutilis. 237
Quando in ſudoribus eſt maior copia ſpirituum. 44
Quatuor ſunt colorum genera in humoribus. 148
Quando fiunt ſudores copioſi. 100
Quale eſt corpus, quod paucos habet ſudores. 106
Quando in æſtate fiunt copioſi ſudores. 199
Quando coctionis ſigna falſa ſunt. 266
Quatuor in totum criſes reperiuntur. 280
Quę ſimplicia ſudores moueãt. 405
Quæ partes corporis habeant pinguedinem. 52
Quibus inſtrumentis, & conſilio ſudores excitentur. 368
Quibus ſudoribus Medicus fidere non debet. 240
Quibus fit criſis, his nox grauis. 263
Quilibet humor habet ſuum ſerum. 31
Qui ſudant ciborũ repletione quid præſagiant. 94
Quid intelligat Hipp. per ſudorem ſemper fluentem in 4. Aphor. 47. 96
Quid per ſudorem acetoſum Auicenn.

cenn. ſentiat. 181
Quomodo parentur exercitia ad ſudores ciendos. 364
Quomodo fiat appetitus naturalis. 204

R

RAdix harundinis loco chinæ. 408
Res præter naturam, quæ ſint. 60
Res non naturales quot numero. ibidem.
Res naturales in quot diuidantur. ibidem.
Reparatio ſenſuum quando fiat. 190
Retentrix facultas, quando ſuſcitet ſudores. 56
Regimen ſuperflui ſudoris in febribus. 414
Rigor ſolet præcedere ſudores criticos. 289
Rigoris, & horroris differentia, quæ ſit. 307
Robur, & impotentia naturę, quomodo cognoſcatur. 249
Romanorum Thermæ artificioſè factæ. 359
Romanæ meretrices cur pudenda colluerent à coitu. 176
Robuſta natura morbum ſuperat. 233

S

SAlus infirmis ſuccedere poteſt abſque criſi. 244
Sanguis in venis ſemper habet ſeri portionem. 362
Sana corpora ad plura ſtudia trahi poſſunt. ibid.
Sanorum ſudores ſalſi ſunt. 168
Sana corpora quando habent ſudores nocentes. 125
Sanguis duplici via attenuatur. 5
Sanguis alimentalis non ſyncerus eſt. 29
Sanguis moderatus, eſt cauſa ſanitatis. 151
Sanguinis ſudor an ſit verè ſanguis. 152
Sapores multas habēt naturas. 162
Secunda coctio fit in hepate. 28
Senſibiles colliquationes, quando fiant. 53
Secūdum genus colliquatiuarum febrium. ibid.
Semen retētum an fiat venenum. 191
Senibus parum ineſt calidi innati. 250
Senes ſicciores fiunt ex motu magno. 215
Serum non omnino eſt excrementum. 34
Serum excrementum in venis, & arterijs. 42
Scuta, & militum lanceas ſudaſſe legitur. 62
Semina iacta ſub Syrio, non naſcuntur. 196
Sicci, & humidi ſudores quales erant. 359
Signa futuræ criſis qualia ſint. 348
Signa futurarum criſium per ſudores. 353

Si-

Signa cruditatis in vrinis, quæ. ibidem.
Signa mali cubitus ex ægro, quæ ſint. 253
Signa facultatis expulctricis robuſtæ. 257
Signa contraria coctioni, quæ ſint. 222
Signa obſtructionis cutis multa ſunt. 112
Signa cerebri labefactati, quę ſint. 252
Si homo vnus eſſet, nõ doleret. 148
Simulacra Deorum Gentilium, ſtatuas, columnas, ſcuta, & militũ lanceas ſudaſſe legitur. 62
Silenus circa caput modicè ſudauit. 135
Si in meatibus narium, & oculorum fuerit inflammatio, ex ijs partibus tenues effluunt humores. 85
Sitis quomodo fiat. 209
Sol è quibus corporibus copioſiores trahat ſudores. 108
Sonus in auribus ſentitur. 181
Sonus in ſudoribus an detur. 182
Smilax aſpera loco ſalſæ parillæ. 408
Spiritus cauſa ſudorum. 44
Spiritus huc illuc mouentur ab anima. ibid.
Spiritus inſitus, vel influens eſt. ibidem.
Spiritus ſubſtantia ignea, & aerea. ibid.
Spiritus flatuoſus quomodo fiat. 45
Sputa ſalutaria qualia ſint. 300
Spiracula cutis, quæ ſint. 2
Spiritus omnium operationũ ſunt inſtrumenta. 40
Spiritus frequens quid præſagiat in acutis. 255
Sputa praua, et lethifera, quæ. 331
Status morbi cum ſignis cruditatis perficitur. 265
Status morbi, & naturæ reperitur. 248
Status morbi omnium criſium eſt norma. ibid.
Strigiles inſtrumenta erant pro ſudoribus abſtergendis. 359
Strigiles varia erant inſtrumenta. ibid.
Stufa ſicca quomodo paretur. 399
Sub graueolentia multi conſiderãtur ſudores. 319
Sub nomine potus, aquam intelligimus. 209
Sub Cane difficiles ſunt medicationes. 196
Sudatorium Laconicum. 397
Sudatorium Sancti Germani. 219
Sudantes ex cibali repletione, & ſanguinis miſſione, excretione, & dieta ſanantur. 187
Sudores praui cum malignis ſignis erumpunt. 322
Sudores retenti, quia præſagiant. 339
Sudores non abſterſi quid operentur. 345
Sudores conueniunt omnibus febribus. 349
Sudor aridus apud Euſtathiũ. 359

Sudor animaliū multa affert mala. 361
Sudores leproſorum inficiunt carnes. ibid.
Sudores primò à corporis habitu, ſecundò à venis, poſtremò ab omnibus particulis erumpunt. 368
Sudores ante paroxiſmos apparentes. 235
Sudores in augmento morborum. 236
Sudores modicè mali. 240
Sudores in aſcenſu morborum imperfecti. 241
Sudores in ſtatu naturæ ſalutares. 263
Sudores in ſtatu naturæ ſignis ſalutaribus apparent. ibid.
Sudores in ſtatu morbi pernicioſi ſunt. 264
Sudor à coitu copioſus ſi eſt, malus. 216
Sudores poſt motum. 217
Sudores à Balneo, Sole, & Laconicis. 218
Sudores in morbi principio. 225
Sudores frigidi in acutis exitiales ſunt. 136
Sudor frigidus, eſt minus malus ſi apparet abſque prauis ſignis. ibidem.
Sudor frigidus à quibus fiat cauſis in acutis. 140
Sudores abſque odore quales ſint. 172
Sudores calidi à calidis cauſis oriũtur. 123
Sudores calidi, fortitudinem caliditatis oſtendunt. 124
Sudores frigidi in mitioribus morbis non adeò pericuſi cenſentur, vt homo ſaluari nequeat. 141
Sudores frigidi in mitioribus, longum morbum arguunt. 141
Sudores viſibiles, qui dicãtur. 148
Sudores plumbei, & violares mali. 160. 318
Sudores à ſubſtãtia deſumpti, quomodo intelligantur. 75
Sudores ex ichoribus excitati, moleſtiſſimi ſunt, ſi bilioſi, vel ſalſi. 85
Sudor reponitur inter corporis excrementa. 60
Sudor dupliciter conſiderari poteſt. ibid.
Sudor naturalis, & præter naturam eſt. 66
Sudores particulares, quales boni. ibidem.
Sudores hecticorum cur mali ſint. 70
Sudor duplici via producitur. 13
Sudoris materia aliqua portio ſemicocti alimenti eſſe poteſt. 16
Sudor habet eandem materiam, quam vrina. 17
Sudoris materia cibi eſt vehiculum. ibid.
Sudoris excretio vna eſt è communibus euacuationibus. 18
Sudoris materia duplici via excernitur. ibid.
Sudor eſt nota ſuccorum in corpore

re abundantium. ibid.
Sudores & à ſero humorum, & à ſuccis ipſis fieri poſſunt. ibid.
Sudoris nomen principaliter ſero aſſignatur humorum. 19
Sudor ſanguinis eſt aquoſitas, & quomodo. ibid.
Sudor ſanguinis eſt aqua admiſta. ibidem.
Sudor, ſanguinis eſt excrementũ, ex Paracelſo. 20
Sudor per poros, & per emunctoria funditur. ibid.
Sudor eſt euacuatio ſenſibilis. 23
Sudor magis elaboratus, quàm vrina. ibid.
Sudor eſt portio ſeroſi excrementi. ibid.
Sudor cur quotidie non excernatur. 25
Sudoris materia & per vrinas, & per aluum excernitur. ibid.
Sudoris ortus, & materia. 27
Sudor nobilioris conditionis eſt, quàm vrina. 34
Sudoris materia à bile profunditur. ibid.
Sudores ſuſcitantur præuio calore. 36
Sudores aliquando fiunt à naturali debilitate. 37
Sudores aliquãdò ab extincta virtute. 38
Sudoris cauſæ materialis, & efficiens, quæ. ibid.
Sudor excrementum tertię coctionis. 39
Sudorum cauſæ vniuerſales. 40
Sudor ex cauſis intrinſecis, vt plurimum noctu contingit. 41
Sudores becticorum, & ſyncopticorum, extincto calore naturali ſuſcitantur. 56
Sudor multus in ſomno factus abſque occaſione manifeſta, quid præſagiat. 92
Sudores pauci, à multis fiunt cauſis. 106
Sudores aliquãdo cur modicè fiãt. ibidem.
Sudores copioſiſſimi, quando ſuccedant. 98
Sudores perpetui, & interpellati quales. ibid.
Sudor multus in prima die, in phreneticis ſignũ exitiale. 100
Sudores ex virium imbecillitate quando appareant. ibid.
Sudores pauci in ſanis, & ægris corporibus. 112
Sudor paucus poteſt arguere cutis obſtructionem. ibid.
Sudores guſtabiles dicuntur amari, dulces, ſalſi, acidi, &c. 119
Sudores à pituita cuius ſint coloris. 148
Sudores è ſanguine colorati. 151
Sudor ſanguineus in quodam ſtudioſo. 154
Sudores ex nigro humore colorati. 160
Sudores à guſtu, qui. 161
Sudores fœtidi, quando leprã præſagiant. 177
Sudores ſonori, & ſilentes. 181
Sudores ex habitu. 183

Sudores ex relatione deſumpti.ibi.
Sudores à tempore capti. 184
Sudores circa anni tempora. 192
Sudores vernales. 193
Sudores æſtiui à raritate, & laxitate corporum. 195
Sudores autumnales. 199
Sudores hyemales. 201
Sudores ante cibum. 203
Sudores ex alimenti indigentia ſæpè fiunt. 204
Sudores à cibo. 206
Sudor à naturali partis debilitate. 207
Sudores à potu. 209
Sudores ex motu, & labore. 211
Sudores in aſcenſu morbi vel boni, vel mali ſunt. 237
Sudores in morborum conſiſtentia. 248
Sudores in ſtatu morbi fiunt valida pugna. ibid.
Sudores in morborum declinatione. 268
Sudores à ſitu. 272
Sudor in brachijs, cruribus, & pedibus. 274
Sudores critici ſalutares ſunt. 285
Sudores critici in die decretorio ſuſcitantur. 288
Sudores critici calidi eſſe debent. 291
Sudores ſymptomatici cum cruditate fiunt. 305
Sudores pauci in acutis ſuſpecti. 312
Sudor, quem Græci epidroſin vocant exitialis. ibid.
Sudores à veneno, & toxico quales. 139
Sudoris curatio ex cutis raritate. 421
Sudoris in ſyncope curatio. 426
Sudoris curatio in ictibus venenoſis. ibid.
Suffimigia qualia ſint. 382
Superba erant antiquitus Balneorum ædificia. 359
Superabundans eſt materia ſudoris, æſtate. 198
Symptomatici ſudores, à toto ex imbecillitate. 320
Symptomata vel vnà naſcuntur, vel ſequuntur morbum. 322
Symptomatici ſudores cur pernicioſi. 308
Symptomatici ſudores multi ſunt, & non vtiles. 309
Symptomatici ſudores à qualitatibus ſenſibilibus. 316
Syrius, ſtella calidiſſima eſt. 196

T

Tabaccum, & eius operatio. 407
Tactus inter alios ſenſus certior iudicatur. 119
Terrei ſudores. 179
Tempora morborum. 220
Tempus ſudoribus opportunũ quale ſit. 370
Tenues ſudores ex immodico fieri poſſunt calore. 85
Tenues ſudores à refrigeratis facultatibus quandoque habent originem. ibid.

Tenues ſudores à locorum, & meatuum anguſtia ſæpè ſuccedunt. 87
Tenues ſudores ex frigido fiunt, et per accidens. 86
Themiſtij opinio de lapidum augmentu. 64
Tiberius Cæſar vir maximæ crudelitatis. 205
Tintinnabulum cui vſui apud veteres. 359
Typhodes, & helodes febres ſudoricæ ſunt, ſic & aſſodes. 98. & 311
Totum id, quod bibimus in vrinã, & ſudorem conuertitur. 17
Tranſpiratio inſenſibilis duplex eſt. 13
Tremor Pythionis vnde naſcebatur. 101
Triplex materia ſudoris. 35
Triplex ſudandi genus. 36

V

VEnenum qua via interimat. 140
Venæ æſtiuo tempore exiccatæ, acrem, & bilioſam ſaniem ad ſe trahunt. 84
Ventriculus natura calidior melius concoquit, quàm appetit. 28
Venena prauos ſuſcitant ſudores. 57
Ventriculus naturali, & animali appetitu gaudet. 203
Vernale tempus tribus ſignis cœleſtibus conſtituitur. 193
Ver tempus ſalubre. ibid.
Veris principium æquinoctiũ poſt hyemem eſt. ibid.
Veſpertini ſudores aſſimilãtur nocturnis. 192
Veteres vtebantur ſudoribus in medendo. 158
Vires debiles non tolerant ſudores. 367
Vires collabuntur, vel ex humorum copia grauantium, vel inflammationis, & caloris incendio. 101
Viſio quomodo fiat. 146
Vitalis facultas in corde. 250
Vlceroſa Hydroa apud Virgiliũ. 344
Vltima coctio in ſingulis fit corporis partibus. 32
Vnguentum ſudorificum in morbo gallico. 381
Vnguenta, cerata, linimenta, & emplaſtra ad ſudores, quæ. 379
Vnctiones maximè mouent ſudores. 380
Vnius effectus plures cauſæ eſſe poſſunt. 143
Vniuerſales, & particulares ſudores. 272
Vnguenta qualia conſtringant ſudores. 422
Vomitus praui quales. 325
Vomitus virulenti ſub ſtatu morbi fiunt. 265
Vomitus ſalutares quomodo noſcantur. 295
Vrinæ pernicioſæ. 328
Vrinæ ſuppreſſæ ſudores poſſunt indicare. 353

Vrina quando præſagiat ſudores. 355
Vrinæ nigræ, turbidæ cum nigris ſedimentis. 265
Vrinæ tenues vel cruditatem, vel obſtructionem ſignificant. 87
Vrinæ, ſudoris, & lachrymæ vna eſt materia. 33
Vrina eſt merum excrementum. ibidem.
Vrina retinet qualitates potulentas, vel cibales. 36.40
Vrina nota eſt eorum, qui in venis ſunt humores. 42
Vrinæ colliquatiuæ, quæ. 52
Vrinæ ſtillicidia in autumno. 200
Vrinæ ſalutares, quomodo noſcantur. 297
Vſus ſudorum in medendo, qualis erat apud veteres. 360
Vſus extenuãtium diuturnus, noxius. 372
Vtilitas boni exercitij. 365
Vt ſudores inculpatè profluant, quid agendum. 370
Vt valent oculi, ſic & totum corpus. 257
Vtrum ex artificio poſſint dari ſudores ſanguinei. 158
Vxor Loth in ſtatuam ſalis conuerſa. 169

FINIS.

Imprimatur.

Petrus Antonius Ghibertus Vic. Gen.

Ioannes Longus Canonicus, & Curiæ Archiepiſcopalis Neap. Theologus deput. vidit, & regiſtr. fol. 16.

Lectori beneuolo S.

SPerabam, amice Lector, has mei ingenij primitias expolitas, & ab erroribus vindicatas, mundaſq; ſolerti tuo iudicio offerre: ſed ob impreſſoris, & correctoris inſcitiam, meamq; à Typis abſentiam, factum eſt vt quoquo pacto deturpatę, in hominum conſpectũ appareant. Tu verò, quæ tua eſt humanitas, ſequenti correctione, quam in tui gratiam exaraui, eaſdem emundato. Cætera autem ad Orthographiam, elegantemq; ordinem ſpectantia, prudentiæ tuæ, errata remitto: quippe ſi hos meos ſudores hilari vultu à te complecti animaduertero, alia limatiora, quæ in manibus habeo, propediem in Typis excudenda curabo. Vale.

Errata grauiora huius operis ſic corriguntur.

F. intelligatur folium. l. linea. leg. legatur.

In primo libro.

F.12.l.36. conuerti, leg. conuerſi
f.21.l.34. opinionis, leg. opiniones
f.24.l.20. expeditus, leg. expeditius
f.25.l.4. alios, leg. alij.
f.eod.l.28. alium, leg. aluum
f.28.l.4. conqueret, leg. concoqueret
f.29.l.20. Melãcholicos, leg. Melãcholicus
f.34.l.22. illam, leg. illud.
f.eod.l.26. roſidiq;, leg. roridiq;
f.36.l.8. Alphanaes, leg. Alphanus
f.38.l.16. operat ales, leg. opera tales
f.40.l.6. Mercatu, leg. Mercato
f.eod.l.18. eandem, leg. eadem
f.43.l.19. expulctrix, leg. expulctrice
f.51.l.21. poſſe, leg. poſſit
f.52.l.30. extenuat, leg. extenuet
f.53.l.14. maiore, leg. maiora
f.eod.l.29. ab ij, leg. ab ijs
f.58.l.29. ſubtiliori, leg. ſubtiliari
f.61.l.5. animus, leg. animans
f.63.l.25. Dioſcoridis, leg. Teophraſti
f.72.l.20. leg. quaſi perpetuò

In ſecundo libro.

f.79.l.24. ſibi, leg. cibi
f.84.l.27. caſus, leg. cauſis
f.85.l.22. leg. exire humores
f.87.l.20. tennes, leg. tenues
f.eod.l.30. ſui, leg. ſuis
f.91.l.7. defectu, leg. defectum
f.100.l.12. magni, leg. magnis
f.102.l.21. aeri, leg. acri
f.107.l.22. aere, leg. aerem
f.108.l.18. mollities, leg. mollitie
f.eod.l.21. piloſum, leg. pilorum
f.110.l.33. leg. obiectioni dicimus, quod ſic
f.112.l.7. inualidæ, leg. inualida
f.113.l.4. intermino, leg. intermiſſo
f.eod.l.24. quia, leg. quid
f.114.l.1. priores, leg. peiores
f.116 l.25. ab eius, leg. ob eius
f.120.l.13. videbant, leg. videbantur
f.126.l.2. iudicet, leg. iudicent
f.eod.l.15. leg. Galenus habuit
f.130.l.6. leg. de eo prædicendum

f.132.

f.132.l.14. euaneſcat, leg. euaneſcit
f.eod.l.15. diſſipati, leg. diſſipata
f.134.l.9. ſancinatur, leg. lancinatur
f.135.l.15. cõſequẽtur, leg. cõſequetur
f.138.l.24. nephrico, leg. nephritico
f.140.l.4. humores, leg. pulmones
f.152.l.10. leg. ille enim ſi deficit
f.153.l.32. gengiuis, leg. gingiuis
f.155.l.6. leg. gingiuis
f.157.l.10. homini, leg. hominis
f.166.l.15. venæ, leg. veru.
f.170.l.12. colliquatio, leg. colliquationẽ
f.196.l.5. tantamq;, leg. tantumq;
f.eod.l.14. &, leg. ex
f.213.l.14. theoremata, leg. theorema
f.237.l.11. ſalutis, leg. ſalute
f.240.l.32. dicuntur, leg. dicantur
f.242.l.5. languidas, leg. languida
f.255.l.5. irratationẽ, leg. irritationẽ
f.eo.l.24. orthonoicis, leg. orthopnoicis
f.256.l.31. ĩmoderãtia, leg. in moderãtia
f.259.l.18. corporibus, leg. corporis
f.261.l.33. odoratus, leg. odoratu
f.262.l.35. eruptionis, leg. eruptiones
f.263.l.14. alij, leg. alijs
f.eod.l.35. tantum, leg. totum

In tertio libro.

f.284.l.36. nomini, leg. nominis
f.285.l.14. leg. intermittentiũ typis
f.306.l.33. ſalutari, leg. ſalutares
f.324.l.27. præcidere, leg. prædicere
f.331.l.23. faris, leg. ſatis
f.335.l.11. excretienes, leg. excretiones
f.336.l.22. ſymptomati, l. ſymptomatici
f.341.l.28. euiednti, leg. euidenti
f.eod.l.32. cõtiuuam, leg. continuam
f.343.l.13. decupitum, leg. decubitũ
f.eod.l.14. leg. conſuetum retentum
f.eod.l.19. leg. ἴδρωα.
f.344.l.4. populos, leg. papulas.
f.eod.l.25. admudum, leg. admodum
f.345.l.3. ſuquebatur, leg. ſequebatur
f.346.l.1. leg. ex his febres.
f.355.l.31. credulitatis, leg. credulitat
f.356.l.26. Aſpergo, leg. Asfurgo.

In quarto libro.

f.359.l.16. fugiebant, leg. fugiebat
f.360.l.10. leg. quandam vim
f.eod.l.21. leg. de ijs ſentijt
f.362.l.5. molimus, leg. molimur.
f.363.l.8. exutari, leg. excitari
f.eod.l.30. malichymis, l. maliſchymis
f.365.l.36. ſudore, leg. ſudorem
f.369.l.2. attenuant, leg. attenuent
f.eod.l.5. Marco, leg. Mercato
f.eod.l.33. hac, leg. hæc
f.370.l.27. humoris, leg. humores
f.372.l.6. paulus, leg. paucus
f.373.l.1. declarando, leg. declarãda
f.eod.l.11. potioribus, leg. potionibus
f.eod.l.13. leg. ſyrapia conferunt
f.374.l.24. comodoſimũ, l. cõmodiſſi-
f.eod.l.32. inuenire, leg. inueniri (mũ
f.379.l.17. Andernatũ, leg. Andernacũ
f.eod.l.23. Bege, leg. Rege
f.380.l.35. leg. retundi docet
f.382.l.12. vnd. leg. vnctio
f.eod.l.21. leg. ad vteri vitia
f.383.l.22. Heuroniũ, leg. Heurnium
f.eod.l.31. apparere, leg. apparare
f.387.l.35. more, leg. moræ
f.388.l.27. acrimonia, leg. acrimoniã
f.391.l.18. leg. hoc balneum
f.396.l.25. iuniperis, leg. iuniperi
f.eod.l.29. leg. ex alijs liquoribus
f.399.l.15. qcæ, leg. quæ
f.403.l.23. ſudore, leg. ſapore
f.404.l.11. diureticus, leg. diureticis
f.eod.l.26. vretica, leg. diuretica
f.406.l.2. præſidiam, leg. præſidia
f.410.l.6. polydij, leg. polypodij
f.412.l.37. leg. forſan
f.415.l.19. leg. abſque dubio
f.420.l.26. leg. oriza
f.423.l.13. audit, leg. audet
f.425.l.29. ſollicitũ, leg. ſollicitãdum

Coll. [illegible]
G. 15.